M. T. CICERONIS
PHILOSOPHICORVM
VOLVMEN II.

Post Naugerianam & Victorianam correctionem, emendatum à

IOAN. STVRMIO.

De Natura deorum.
De Diuinatione.
De Fato.
De Somnio Scipionis.
De Legibus.
De Vniuersitate.
De Petitione Consulatus.

Indice locupletissimo.

J. Lehmann.
No. 40.



Cum gratia & priuilegio Cæsareo ad annos octo.

M. D. LXXIIII.

Cim. o. 614



550 a 2019

IOAN. STVRMII AD IOAN. BONERVM SEVERINI FILIVM PRAEFATIO.

DVAE CAVSAE FVerunt & adhuc sunt Ioannes Bonere, cur homines cœlestem vim Deumque colant atq; reuereantur. Vna natura ipsa: altera authoritas est. Bestias enim, quae quidē vel curantur, vel hominis amātes sunt, credo si loqui possent homines deos appellarent: & quae perpetuam feritatem retinent Veiones, furiasq; nominarēt, cū quibus nunquā queant conuiuere. Vtrū que etiam genus, si agnosceret vnde pastus suos haberet, eum quē fulminantem audiret, antequam cognosceret quid esset, Deum esse diceret. Scio equidē non haec rectè scirent: & illi qui Iouē Iunonemq; nominarunt, etiā in erroribus ysq; maximis sunt versati. Sed tamen esse aliquid potētius quod supra se dominaretur, & quod ab omnibus animantiū generibus metueretur, et quod amaretur à bonis, & negligeretur à malis, facile cogitarent: et vel deū vocarent, vel aliud verbū quod eodem pertineret constituerent. Hac de causa prope nullae aut gen-

tes nationesq3 aut populi ciuitatesq3 sunt quæ carent religione: multósq3 barbarissimos homines legimus, quasi vltro & sua sponte cerimonias cultumq3 cœlestis maiestatis instituisse. Quamobrem quidem mihi placet improbari Epicurum & Velleium à Cotta in his libris: falsa enim & impia dogmata habent: & in delegendo, quæ vehementiora argumenta erant sæpe prætermerunt: tamen quod leuis ratio sit deos esse, quia in omniũ mentibus eorum notionem natura impressisset: id ego nego verissime à Cotta dictum esse. Non enim idcirco leuis est hæc ratio, quia Diagoras ac Theodorus ἄθεοι fuerũt: & gentes quædã populiq3 fuerũt, quos non profert, apud quos nulla fuit religio: sed quia prope omnes homines ita statuunt, quasi omnes statuerent, vniuersos statuere virum bonũ prudentemq3, præsertim cũ vtile est quod statuitur, decet. Non leue argumentum naturæ est, quæ duce ad Dei cognitionẽ peruenimus. Cœli enim cursus: siderumq3 & motus & stationes: & solis, lunæq3 splẽdor & vis: ignisq3 in æthere coruscans, & aëris mutationes ac nubes abstractæ ab hominis spiritu, terræq3 firmitudo, & quæ in ipsa latent, & quæ ex ipsa erumpunt in eademq3 crescunt: animantium quoq3 formæ atq3 vitæ: deniq3 hominis admirabilis natura atq3 pulchritudo cum bene comparatus est, & cum non bene, tamen quod viuit, quod dominatur, quod obtemperat, quod ratione vtitur, omnia hæc quæ in natura sunt, esse cœleste numen, omnes homines docuerunt, qui quidem non bestiæ potius quã homines fuerunt. Nam quod de Diagoræ

gora & Theodoro & cæteris dicitur: id ab ira Dei proficiſci exiſtimo, qui grauiſſime vindicare ſolet, cum ex operibus ſuis agnoſcitur deus, eſſe: & tamẽ metũ religionẽq; in hominibus nõ inuenit. Non enim leuis pœna eſt, ματαίωσις διαλογισμῶν : καὶ σποτιδεῖς καὶ ἀσύνετος νῶς de quibus eſt apud veriſſimum doctorem, & ſalutarem interpretẽ Paulum. Manet ergo adhuc firmum, aut omnes homines: aut quod bono viro eſt ſatis prope omnes homines, à natura doctos eſſe quod Deus ſit: & ſi q ſunt qui id non credunt eos aut improbos nefariosq; poſt illã notionẽ atq; anticipationem factos eſſe: aut beſtijs ſimiles eſſe, nullaq; vti ratione. Sequitur authoritas, quæ cõfirmatrix naturæ fuit: & in ſempiternum religionẽ ſtabiliuit. quæ principio ſumma primaq; fuit: poſtea ita degenerauit: vt niſi prima clarius nobis reſtituta eſſet, amiſiſſemus omnem religionem, deiq; intelligentiã. Adam, & Noe, & Abraham, & Moyſes Dei voce edocti, vniuerſum populum cerimonias ſacrosq; ritus, & Dei voluntatem maieſtatemq; cœleſtẽ docuerũt. Ab his Chaldæi & Ægyptij etiã hanc diſciplinam acceperunt: ſed vt fit, & quia ita placitũ deo fuit, ſtatim ea corruperũt, & occaſionem poſteris dederunt, eam magis corrumpẽdi. Translata etiã hinc in Africam & Aſiam & Græciam, vicinasq; gentes eſt: quæ vna cum cerimonys, & Deorum numerũ amplificarunt, & noua nomina finxerũt, & varias conſuetudines introduxerunt. Ipſaque Græcia occultatrix alienæ gloriæ cultum maiorẽ addidit, & Italos, ad imitandũ prouocauit, vnde per Gal-

liam reliquasq; Europæ gentes videtur fuisse propagata. Ita primo Deus ipse authoritatē constituit: inde qui voce Dei fuerunt instituti ad populū tulerunt: post ciuitates & populi & gentes atq; nationes confirmarunt: in quibus error & superstitio, et ignoratio, omne lumē veritatis obscurarūt: atq; adeo labefactarunt, nō contemptu religionis, sed nugatorys cerimonys atq; superstitione: vt docti postea, philosophiq; euellere inueteratas opiniones non potuerint, & tamen sint conati, qua in re plurimū obstiterunt poëtæ, qui sua doctrina vulgi errorem comprobarant, aut potius ipsi authores fuerant. Credo enim si Socrates non propositum habuisset illud suum ad extremum tenere, nihil vt affirmaret, de Dijs apertiorem sententiam dicturum fuisse, & Plato fecisset idem nisi leges obstitissent, quibus cautum erat non solum vt dij alieni non in Remp. introducerentur: sed etiā vt ne illi abrogarentur, tollerentúrue qui indigites erant, quiq; in concilio cœlestium esse legibus habebantur. Ac tametsi fieri non poterat vt veram intelligentiā diuinitatis consequerentur: tamen accessissent propius si non obstitisset authoritas, quæ ad tollendum & ad confirmā dum valet sæpe nimium. Sed tamen ab omnibus philosophis diu multumq; in hac re laboratum est, & alius alio errauit minus, penè omnes autē eodem contenderunt, videlicet ad veritatē: à Socrate, vt opinor, excitati. qui in Theæteto Theodorū ad cognitionem Dei inflammans: in deo inquit positum est, & quod multū vir potest, & quod nihil potest, est q; ignauus. Dei enim

cognitio,

cognitio, sapientia virtusq; vera est: ignoratio autem in scientia est & vitiũ manifestum: cæteræ vero facultates quæ sapientiæ assimulatæ speciem habent, in ciuilibus rationibus molestæ sunt, in cæteris artibus sordidæ. Verissima ista sententia est, & digna quam omnes philosophorum familiæ sequi debebant: & sunt sane secutæ quidem propè omnes: sed quoniam humanis oculis exposita hæc res nõ est, & diuinitus in mentes hominum immittitur: dum quid esset demonstrare artificiose voluerunt: aberrarunt à verò: & aliquando ineptè, sæpe impiè falsèq; senserunt. Quo magis nostris temporibus Epicurei vituperandi sunt: qui post tantam lucẽ veritatis, non adhuc versantur sõlum in tenebris, sed postquam etiam eductí fuerunt, ad easdem sunt reuersi. Qua in re id dolendum est, impune nostro seculo committere impuros & nefarios homines, quod olim ne his quidẽ, qui doctrina præditi fuerunt, facere licuit. Protagoras quoniam scripsit se dicere non posse, vt sint Dij, & vt non sint, eiectus Athenis est. nõ negauit esse, tamẽ quoniam nõ affirmauit, & dubitare videbatur, pœnas dedit. nostra autẽ ætate negare esse Deum, minore cum periculo coniunctũ est, qua affirmare Christi beneficia, & indicare ea quæ in ecclesia sunt affirmanda. In Gallia de vno atq; altero audio: in Italia publice disputatur de animorũ mortalitate: & honestas quæstiones esse putant: & palam vtrinq; affirmant, non disputandi causa, in quo esset quoq; crimen (vetant enim etiã hi quos admirantur, Philosophi ἐλέσθαι τὰς τῶν χειρόνων

ἀθῶν θέσεις) sed vt suos errores latius spargant, & ex inopinatis laudem sibi comparent. Nominare eos omnes non possum: sunt tamen aliqui mihi nominati: qui non eiusmodi neq; oratores, neq; poëtæ sunt, vt si mihi stomachum facere pergant, & Ecclesiam vastare, non possim illam literam capitibus ipsorum affigere, quam semper metuerunt, propter scelerum conscientiam: sed eo contempserunt, quia neminem metuunt: tamen sentient ex ea dolorem, si vt dixi, pergant sua hæresi sese apud vulgus hominũ, & delicatulos atq; elegantulos venditare. Ignosces mihi Iohan. Bonere, si hic sim vehementior: noui homines, noui etiam loca in quibus versantur. habui aliquando bonã de ipsis spem: corruperunt ex amicis mihi aliquot, & metuo illi regioni ab his monstris, quam ego pro patria habeo: & eò magis doleo, quo confirmatior nostra religio est authoritate. Quid enim certius esse potest? Prophetarum libris. hi omnes de Deo & de Christo: quid de Euangelio? at id de ijsdem, & quidem illustrius: Habemus nostræ religioni inimicos homines Iudæos: at hi, quandiu Moysem atq; Prophetas nobis concedunt, comprobant nostram religionem: verum nostri Epicurei deteriores Iudæis sunt: & vtraque hæc contemnunt atque reiiciunt. Nam quod dicũt se de Deo idem quod nos statuere, mendacium est. Qui enim immortalitatem animorum esse negant, & mortalitatem affirmant: mendacia nostra testimonia, & falsum Euangelium, & vanos Prophetas esse ostendunt: ideoq; Deum esse pernegant: non verbis fortassis aliqui,

re ipsa

re ipsa tamen: & omnes vident quid ex his efficiatur. In hos seuerissime animaduertere debent, qui rectè ad Respublicas accedere, & eas bene administrare volunt. Sed duo sunt genera Epicureorum: vnum differentiũ, scilicet, qui se gloriam in nefarys cogitationibus inuenturos putant: vt Theodori: vt Diagoræ: vt Velleij: vt Cassy: alterum quod ita viuit, vt facile constet putare ipsum temere oriri omnia atq; occidere, vt Clody, vt Catilinæ, vt Verres olim erant: vt nostris temporibus, quos nominare non audeo. Nam qui Deum Christũmque esse statuunt: quoniam eum solum bonum, omnis boni autorem, verum, sapientem, conditorem omnium rerum: eum nobis apud se in cœlesti domicilio sedem præparasse: nosq; morte Christi hæredes simul cũ Christo factos esse, & victuros nos in sempiternum cum cœlesti patre. qui principium, medium, finisq; rerum est omnium: is amat eum, non odit: metuit, non desperat: reueretur, non negligit: colit, non violat: qui vero non hæc nouit: qui recte viuere non potest: & qui vitam degit scelerate, quomodo fieri possit, vt Deum esse credat? nisi credere sit semel audiuisse, & tum assensisse: postea vero nihil de ipso cogitare, nihilq; esse solicitum. Hæc ego eò ad te Bonere, vt quoniam tu ita vitam tuam instituisti, vt aliquando patriæ tuæ prosis: constituas neq; Velleianos, neque Accerras ferendos in ciuitatibus esse. Hos vero libros propterea ad te mitto, tum quia clarissimum virum patrem tuum primo libro appellaui, & in tertio Stanislaum fratrem tuum: tum quia audio te

liberalissime eruditum & doctum, in Germania & in Italia à Doctore Anselmo Ephorino: egregio viro, & nobilissimo Medico esse: vt tibi gratũ fore confidam consilium meum: & odisse eos qui in Italia mentis immortalitatem conentur euertere. Habent autem præterea hi libri multas magnasq; vtilitates, & ad doctrinam & ad eloquentiam. Continent enim dogmata philosophorum multa atq; præclara: historiam habent etiam multarum & insigniũ rerum: disserendi ratio retenta in his est academica, hoc est, diserta & copiosa: & argumentationes permultæ sunt, quædam subtiles atq; acutæ: quædam variæ atq; ornatæ, & ad confirmandum & ad refutandum: verba ipsa varia & delecta, & vere Romana: ex hisq; sententiarum formæ atq; figuræ elegantes, & significantes, & decenter illustres atq; ornatæ. ita vt existimem Theologiam latinam ex his libris multum posse non ornari solum, sed etiam illustrari. Græci enim cum in alijs artibus atq; disciplinis Romanos, nosq; plerunq; superant: tũ in Theologia præcipue: propter Chrysostomum, & Basilium, & Nazianzenũ, cum quibus pauci Latinorum comparari possunt, nulli sunt qui eos superant. Est quidem Cyprianus copiosus, & sæpe concinnus, acer etiam, atq; bene sanus in argumentando Augustinus: & vires habet Tertullianus: sed non tam salubrem ornatum adhibuerunt, vt Græci Theologi. Quam obrem velim adolescentes ex his libris ad nostram religionem rerum verba formasq; deportare: qua in re opus est & monstratore & iudicio. Itali

enim

enim quidam nimis pueriliter id sunt conati : & paucissimi sunt, qui non multum peccarint : ne Sadoletus quidem multis satisfacit : tametsi princeps in eo genere, meo quidem iudicio extiterit, in his qui de religione aliquid scripserunt in Italia : quo fit vt verear, si temere adhibeantur, ineptus fiat ornatus : qui cum non decet, deformis est, & barbara tractatione turpior. Sed haec ego fortasse liberius ad te in hoc amicitiae nostrae principio : sed puto me ingenium tuum ex sermone Vuolphgangi Droschij, cuius ego & caritate delector, & doctrina valde in collocutionibus recreor, perspexisse : malo peccare in hanc partem : ipsa oratione statim indicare cuiusmodi sim, quàm stilo, quod non sum dissimulare. Deus det dignos natura tua progressus. & firma ponat nostrae coniunctionis fundamenta : vt quemadmodum eodem seculo nati sumus, ita etiam consentientes, & sententias & voluntates retineamus. Vale mi optatissime Ioan. Bonere. Argentorati Octauo Calend. Aprileis. Anno M. D. XLI.

Matth. Dreseris in sua Rhet.
fol. 93.

Disputatio de Natura Deorum, tribus distincta libris, ordine per partes explicatur.

1. Nam in primo libro ponuntur in medio philosophorum de Dijs opiniones.

2. In secundo Balbus ex Stoicorum sententia exponit has partes: 1. Quod sint Dij. 2. Quales sint. 3. Quod mundum administrant. 4. Quod rebus humanis consulant.

3. In tertio Cotta Stoicorum sententiam de Dijs impugnat, non quidem tollens, sed absurdam & difficilem ostendens.

M. T. C. DE NATVRA DEORVM AD MARCVM BRVTVM, LIBER PRIMVS.

CVm multæ res in philosophia nequaquã satis adhuc explicatæ sunt: tum perdifficilis, Brute, quod tu minime ignoras, & perobscura quæstio est de natura deorũ: quæ & ad agnitionem animi pulcherrima est: & ad moderandam religionem necessaria: de qua tam variæ sunt doctissimorum hominũ, tamq; discrepantes sententiæ: vt magno argumento esse debeat, causam, & principium philosophiæ, esse scientiam: prudenterq; Academicos à rebus incertis assensionem cohibuisse. quid est enim temeritate fortius? aut quid tam temerarium? tamq; indignum sapientis grauitate, atque constantia? quàm aut falsum sentire? aut quod non satis explorate perceptum sit, & cognitum, sine vlla dubitatione defendere? velut in hac quæstione, pleriq;, quod maximè verisimile est, & quo omnes duce natura vehimur, deos esse dixerunt. dubitare se Protagoras: nullos esse omnino Diagoras Melius, & Theodorus Cyrenaicus putauerũt. qui verò deos esse dixerunt, tanta sunt in varietate, ac dissensione constituti: vt eorum molestum sit dinumerare sententias. nam & de figuris deorum, & de locis, atq; sedibus, & actione vitæ multa dicuntur: deq; his summa phi-

losophorum dissensione certatur. quod verò maximè rem, causamq; continet, est, utrum nihil agant: nihil moliantur: an ab omni curatione, & administratione rerum vacent: an contra ab his, & à principio omnia facta, & constituta sint: & ad infinitũ tempus regantur, atque moueantur: imprimisq; magna dissensio est, homines, atq; in maximarum rerum ignoratione versari. Sunt enim philosophi, & fuerunt: qui omnino nullam habere censerent humanarum rerum procurationem deos. quorũ si vera sententia est, quæ potest esse pietas? quæ sanctitas? quæ religio? hæc enim omnia pure, ac caste tribuenda deorum numini ita sunt, si animaduertuntur ab his: & si est aliquid à dys immortalibus hominum generi tributum. sin autem dij neque possunt nos iuuare, nec volunt: nec curant omnino: nec quid agamus animaduertunt: nec est quod ab his ad hominũ vitam permanare possit: quid est, quod vllos dys immortalibus cultus, honores, preces adhibeamus? in specie autem fictæ simulationis, sicut reliquæ virtutes, ita pietas inesse nõ potest: cũ qua simul & sanctitatem, & religionem tolli necesse est. quibus sublatis, perturbatio vitæ sequitur, & magna confusio. atq; haud scio an pietate aduersus deos sublata, fides etiam, & societas humani generis, & vna excellentissima virtus iustitia tollatur. Sunt autem alij philosophi: & hi quidem magni, atq; nobiles: qui deorum mente, atq; ratione omnem mundum administrari & regi censeant. neque verò id solum, sed etiam ab ijsdem vitæ hominum consuli, & prouideri. nam & fruges, & reliqua, quæ terra pariat, & tempestates, ac temporum varietates, cœli-

liq3 mutationes, quibus omnia quæ terra gignat, maturata pubescant, à dijs immortalibus tribui generi humano putant: multaq3, quæ dicentur in his libris, colligunt: quæ talia sunt: vt ea ipsa dij immortales ad vsum hominum fabricati penè videantur. contra quos Carneades ita multa disseruit, vt excitaret homines nõ socordes ad veri inuestigandi cupiditatem. res enim nulla est: de qua tantopere non solum docti, sed etiam indocti dissentiant. quorum opiniones cum tam variæ sint, tamque inter se dissidentes: alterum fieri profecto potest, vt earum nulla: alterum certè non potest: vt plus vna vera sit. Qua quidem in causa & beneuolos obiurgatores placare, & inuidos vituperatores confutare possumus: vt alteros reprehendisse pœniteat: alteri se didicisse gaudeant. nam qui admonent, amice docendi sunt: qui inimicè insectantur, repellendi. Multum autem fluxisse video de libris nostris, quos complures breui tempore edidimus: variumq3 sermonem, partim admirantium, vnde hoc philosophandi nobis subito studium extitisset: partim quid quaq3 de re certi haberemus scire cupientium. multis etiam sensi mirabile videri, eam nobis potissimum probatã esse philosophiam, quæ lucẽ eriperet: & quasi noctem quandã rebus offunderet: desertæq3 disciplinæ, & iampridem relictæ patrocinium nec opinatũ à nobis esse susceptum. Nos autem nec subito cœpimus philosophari: nec mediocrem à primo tempore ætatis in eo studio operã, curamq3 consumpsimus: &, cùm minimè videbamur, tum maximè philosophabamur, quod & orationes declarant refertæ philosophorum

sententijs: & doctissimorum hominum familiaritates, quibus semper domus nostra floruit: et principes illi Diodorus, Philo, Antiochus, Possidonius, à quibus instituti sumus. Et si omnia philosophiæ præcepta referuntur ad vitam: arbitramur nos, & publicis, & priuatis in rebus ea præstitisse: quæ ratio & doctrina præscripserit. sin autem quis requirit quæ causa nos impulerit, vt hæc tã serò literis mandaremus: nihil est quod expedire tam facile possimus. nam cũ otio langueremus, & is esset Reipublicæ status: vt eam vnius consilio, atq; cura gubernari necesse esset: primùm ipsius Reipub. causã philosophiam nostris hominibus explicandam putaui: magni existimans interesse ad decus & ad laudẽ ciuitatis, res tã graues tamq; præclaras, Latinis etiam literis contineri. eoq; me minus instituti mei pœnitet: quod facile sentio, quàm multorum non modo discendi, sed etiam scribendi studia commouerim. complures enim Græcis institutionibus eruditi, ea quæ didicerant, cùm ciuibus suis communicare non poterant: quod illa, quæ à Græcis accepissent, Latine dici posse diffiderẽt. quo in genere tantum profecisse videmur: vt à Græcis ne verborum quidem copia vinceremur. Hortata est etiam, vt me ad hæc confirrem, animi ægritudo, fortuna magna, & graui commota iniuria. cui si maiorem aliquam leuationem reperire potuissem, non ad hanc potissimum confugissem. ea vero ipsa nulla ratione melius frui potui: quàm si me non modo ad legendos libros, sed etiam ad totam philosophiam pertractandã dedissem. omnes autem eius partes, atque omnia membratim facillime noscuntur, cum totæ quæstiones

nes scribendo explicantur. est enim admirabilis quædam continuatio, seriesq; rerū: vt alia ex alia nexa, & omnes inter se aptæ, colligatæq; videantur. Qui autem requirunt, quid quáq; de re ipsi sentiamus, curiosius id faciunt, quàm necesse est. non enim tam authoritates in disputando, quàm rationis momenta quærenda sunt. quinetiam obest plerunq; iis, qui discere volunt, authoritas eorū, qui se docere profitentur. desinunt enim suum iudicium adhibere: id habent ratū, quod ab eo, quem probant, iudicatum vident. nec verò probare soleo id, quod de Pythagoreis accepimus: quos ferunt, si quid affirmarent in disputando, cū ex his quæreretur, quare ita esset, respondere solitos, Ipse dixit. ipse autem erat Pythagoras. tantum opinio præiudicata poterat: vt etiam sine ratione valeret authoritas. Qui autem mirantur nos hanc potissimum disciplinam secutos: his quatuor academicis libris satis responsum videtur. nec vero desertarum, relictarumq; rerum patrocinium suscepimus: non enim hominū interitu scientiæ quoq; occidunt: sed lucē authoris fortasse desiderant: vt hæc in philosophia ratio contra omnia disserendi, nullamq; rem aperte iudicandi, profecta à Socrate, repetita ab Arcesila, confirmata à Carneade, vsq; ad nostram viguit ætatem: quam nunc propemodum orbam esse in ipsa Græcia intelligo. quod non Academiæ vitio, sed tarditate hominum arbitror contigisse. nam si singulas disciplinas percipere magnū est: quanto magis omnes? quod facere iis necesse est: quibus propositum est, veri reperiendi causa: & contra omnes philosophos, & pro omnibus dicere. cuius rei tantæ, tàmq; difficilis

facultatem consecutum esse me non profiteor: secutum esse præmefero. Nec tamen fieri potest: vt qui hac ratione philosophentur: hi nihil habeãt, quod sequantur. dictum est hac de re alio loco diligentius: sed quia nimis indociles quidam, tardiq3 sunt: admonendi videntur sæpius. non enim sumus ij, quibus nihil verum esse videatur: sed ij, qui omnibus veris falsa quædam adiuncta esse dicamus, tanta similitudine, vt in ys nulla insit certa iudicandi, & assentiendi nota. ex quo existit & illud, multa esse probabilia: quæ quanquam non perciperentur: tamen quia visum haberent quendam insignem, & illustrem, his sapientis vita regeretur. Sed iam, vt omni me inuidia liberem, ponam in medio sententias philosophorum de natura deorum. quo quidem loco conuocandi omnes videntur: qui, quæ sit earum vera, iudicent. tum demum mihi procax Academia videbitur: si aut consenserint omnes: aut erit inuentus aliquis, qui quid verum sit inuenerit. Itaq3 mihi libet exclamare, vt Statius in synephebis:

Prò deum, popularium omnium adolescentium
Clamo, postulo, obsecro, oro, ploro, atq3 imploro fidem.

non leuissima de re, vt queritur ille, fieri in ciuitate facinora capitalia.

Ab amico amante argentum accipere meretrix non vult. sed vt adsint, cognoscant, animaduertant, quid de religione, pietate, sanctitate, ceremonijs, fide, iureiurando: quid de templis, delubris, sacrificijsq3 solennibus: quid de ipsis auspicijs, quibus nos præsumus, existimandum sit. hæc enim omnia ad hanc de dijs immortalibus quæstionem referenda sunt. Profectò eos

ipsos,

ipsos, qui se aliquid certi habere arbitrantur, addubitare coget doctissimorum hominum de maxima re tanta dissensio. Quod cum sæpe aliàs, tum maximè animadverti, cum apud C. Cottam familiarem meum accurate sanè, & diligenter de dys immortalibus disputatum sit. Nam, cum feriis Latinis ad eum, ipsius rogatu, accersitus q3 venissem, offendi eum sedentem in exedra: & cum C. Velleio senatore disputantem: ad quem tum Epicuri primas ex nostris hominibus deferebant. aderat etiam Q. Lucilius Balbus: qui tantos progressus habebat in Stoicis, vt cum excellentibus in eo genere Græcis compararetur. tũ, vt me Cotta vidit: peropportune inquit venis. oritur enim mihi magna de re altercatio cum Velleio: cui pro tuo studio non est alienũ te interesse. Atqui mihi quoq3 videor inquam venisse, vt dicis, opportune: tres enim trium disciplinarum principes conueniſtis. M. enim Piso si adesset, nullius Philosophiæ, earũ quidem quæ in honore sunt, vacaret locus. Tum Cotta, si inquit liber Antiochi nostri, qui ab eo nuper ad hunc Balbum missus est, vera loquitur: nihil est quod Pisonem familiarẽ tuum, desideres. Antiocho enim Stoici cum Peripateticis re cõsentire videntur: verbis discrepare: quo de libro velim scire, Balbe quid sentias. Egó ne? inquit ille. miror, Antiochum hominem imprimis acutum non vidisse: interesse plurimũ inter Stoicos, qui honesta à commodis non nomine, sed genere toto disiungerẽt: & Peripateticos, qui honesta cõmiscerent commodis: vt ea inter se magnitudine, & quasi gradibus, non genere differrent. hæc enim est non verborum parua, sed rerum permagna dissensio. ve-

rum hæc aliàs. nunc quod cœpimus, si videtur.

Mihi vero inquit Cotta videtur. sed vt hic, qui interuenit, me intuens, ne ignoret quæres agatur, de natura agebamus deorum. quæ cum mihi videretur perobscura: vt semper videri solet: Epicuri ex Velleio sciscitabar sententiam. quamobrem, inquit, Vellei, nisi molestum est, repete quæ cœperas. Repetam vero: quanquam non mihi sed tibi hic venit adiutor: ambo enim, inquit, arridens, ab eodem Philone nihil scire didicistis. Tum ego, quid didicerimus, Cotta viderit: tu autem nolo existimes me adiutorem huic venisse. sed auditorẽ, & quidem æquũ, libero iudicio, nulla ciusmodi astrictum necessitate, vt mihi velim, nolim, sit certa quædam tuenda sententia.

Tum Velleius, fidenter sanè, vt solent isti, nihil tã verens, quàm ne dubitare aliqua de re videretur: tanquã modo ex deorum concilio, & ex Epicuri intermundijs descendisset: audite inquit non cõmentitias, fictiles q3 sententias: non opificẽ, ædificatorem q3 mundi Platonis de Timæo deũ, nec anum fatidicam Stoicorum προνοιαν, quàm Latine licet prouidentiã dicere: neq3 vero mundum ipsum animo & sensibus præditum, rotundum, ardentem, volubilem deum, portenta, & miracula non differentium philosophorum, sed somniantium. quibus enim oculis animi intueri potuit vester Plato fabricam illã tanti operis? qua constructa à deo, atq3 ædificari mundum facit. quæ molitio? quæ ferramenta? qui vectes? quæ machinæ? qui ministri tanti muneris fuerunt? quemadmodum autem obedire, et parere voluntati architecti, aër, ignis, aqua, terra potuerunt? vnde vero

orta

orta illa quinque formæ? ex quibus reliquæ formantur, apte cadentes ad animum efficiendum, pariendosq; sensus? longum est iter ad omnia, quæ talia sunt: vt optata magis, quàm inuenta videantur. Sed illa palmaris quidem: quod qui non modo natum mundum introduxerit: sed etiam manu pene factum: is eum dixerit fore sempiternum. hunc censes primis, vt dicitur, labris gustasse physiologiam, id est naturæ rationem? qui quicquam, quod ortum sit, putet æternum esse posse. quæ est enim coagmentatio non dissolubilis? aut quid est, cuius principium aliquod sit, nihil sit extremum? Pronœa vero si vestra est, Lucili, eadē requiro, quæ paulò ante: ministros, machinas, omnem totius orbis designationem, atque apparatum: sin alia est, cur mortalem fecerit mundum, non quemadmodum Platonicus deus, sempiternum? ab vtroque autem sciscitor: cur mundi ædificatores repente extiterint? innumerabilia ante secula dormierint? non enim si mundus nullus erat, sæcula non erant. sæcula nunc dico, non ea, quæ dierum noctiumq; numero annuis cursibus conficiuntur: nam fateor ea sine mundi conuersione effici non potuisse. sed fuit quædam ab infinito tempore æternitas: quam nulla temporum circumscriptio metiebatur: spatio tamen qualis ea fuerit intelligi potest: quod ne in cogitationem quidem cadit: vt fuerit tempus aliquod, nullum cum tempus esset: isto igitur tam immenso spatio quæro Balbe cur Pronœa vestra cessauerit? laborem ne fugiebat? at iste nec attingit deum: nec erat vllus, cum omnes naturæ numini diuino, cœlum, ignes, terræ, maria parerent. quid autem erat, quod concupisceret

cupiſceret deus mundum ſignis, & luminibus, tanquã ædilis, ornare? ſi vt deus ipſe melius habitaret: antea videlicet tempore infinito in tenebris tanquam in gurguſtio habitauerit: poſt autem varietate ne eum delectari putamus: qua cœlum & terras exornatas videmus? quæ iſta poteſt eſſe oblectatio deo? quæ ſi eſſet, non ea tandiu carere potuiſſet. An hæc vt ferè dicitis, hominum cauſa à deo conſtituta ſunt? ſapientum ne? propter paucos ergo tanta eſt facta rerum molitio. an ſtultorum? at primum cauſa non fuit, cur de improbis bene mereretur. deinde quid eſt aſſecutus: cum omnes ſtulti ſint ſine dubio miſerrimi: maximè quod ſtulti ſunt: miſerius enim ſtultitia quid poſſumus dicere? deinde quod ita multa ſunt incommoda in vita: vt ea ſapientes commodorum compenſatione leniant: ſtulti nec vitare venientia poſſint, nec ferre præſentia. Qui vero mundum ipſum animantem, ſapientemq; eſſe dixerunt, nullo modo viderunt animi naturam, intelligentes in quam figuram cadere poſſet: de quo dicam paulo poſt. nunc autem hactenus admirabor eorum tarditatem: qui animantem, immortalem, & eundem beatum, & rotundum eſſe velint: quod ea forma vllã neget eſſe pulchriorẽ Plato. At mihi vel Cylindri, vel quadrati, vel coni, vel pyramidis videtur eſſe formoſior. Quæ vero vita attribuitur iſti rotundo deo? nempe vt ea celeritate contorqueatur: cui par nulla, necogitari quidem poſſit. in qua non video vbi nam mens conſtans, & vita beata poſſit inſiſtere: quodq; in noſtro corpore ſi minima ex parte ſignificetur, moleſtum ſit: cur hoc idem non habeatur moleſtum in deo? terra

enim

enim profecto, quoniam pars mundi est, pars est etiã dei. atqui terrã maximas regiones inhabitabiles, atq; incultas videmus: quod pars earum appulsu sõlis exarserit: pars obrigauerit niue, pruinaq; longinquo sõlis abscessu. quæ si mundus est deus, quoniam partes mundi sunt, dei membra partim ardentia, partim refrigerata dicenda sunt. Atque hæc quidem vestra, Lucili: qualia vero sint, ab vltimo repetam, superiorum. Thales Milesius, qui primus de talibus rebus quæsiuit, aquam dixit esse initium rerum. deum autem, eam mentem, quæ ex aqua cuncta fingeret. Si dij possunt esse sine sensu & mente: cur aquæ adiunxit, si ipsa mens constare potest vacans corpore? Anaximandri autem opinio est, natiuos esse deos? longis interuallis orientes, occidentesque: eosq; innumerabiles esse mundos. sed nos nisi deum sempiternum intelligere qui possumus? Post Anaximenes aera deum statuit: eumq; gigni, esseque immensum, & infinitum, & semper in motu: quasi aut aer sine vlla forma deus esse possit: cum præsertim deum non modo aliqua, sed pulcherrima specie esse deceat: aut non omne, quod ortum sit, mortalitas consequatur. inde Anaxagoras, qui accepit ab Anaximene disciplinam: primus omnium rerum descriptionem, & modum mentis infinitæ vi ac ratione designari, & confici voluit: in quo non vidit: neque motũ sensui coniunctum & continentem in infinito vllum esse posse: neque sensum omnino, quo non ipsa natura pulsa sentiret. Deinde si mentem istam quasi animal aliquod esse voluit: erit aliquid interius, ex quo illud animal nominetur. qd autẽ interius mente? cingitur igitur corpore externo.

quod

quod quoniam non placet, aperta simplexq; mens nulla re adiuncta, quæ sentire possit, fugere intelligentiæ nostræ vim & notionem videtur. Crotoniates autem Alcmæo, qui soli, & lunæ, reliquisq; sideribus, animoque præterea, diuinitatem dedit: non sensit sese mortalibus rebus immortalitatem dare. Nam Pythagoras, qui censuit animum esse per naturam rerum omnẽ intentum & commeantem, ex quo nostri animi carperentur: non vidit distractione humanorum animorum discerpi, & dilacerari deum, & cum miseri animi essent, quod plerisque contingeret: tum dei partẽ esse miseram: quod fieri non potest. cur autem quidquam ignoraret animus hominis, si esset Deus? quomodo porro deus iste, si nihil esset nisi animus: aut infixus, aut infusus esset in mundo? Tum Xenophanes, qui mente adiuncta omne præterea quod esset infinitum, deũ voluit esse: de ipsa mente itẽ reprehenditur, vt cæteri: de infinitate autem vehementius: in qua nihil neque sentiens, neque coniunctum esse potest. Nam Parmenides cõmentitium quiddam coronæ similitudine efficit: Stephanen appellat: continentem ardore lucis orbem, qui cingit cœlum, quem appellat deum: in quo neque figuram diuinam, neque sensum quisquam suspicari potest. multa eiusdem monstra: quippe qui bellum, qui discordiam, qui cupiditatem, cæteraq; generis eiusdem ad deum reuocat: quæ vel morbo, vel somno, vel oblitione, vel vetustate delentur. eademq; de syderibus. quæ reprehensa iam in alio loco in hoc omittantur. Empedocles autem multa alia peccans in deorum opinione turpissime labitur. Quatuor enim naturas, ex

quibus

quibus omnia constare vult, diuinas esse censet: quas & nasci, & extingui perspicuum est, & sensu omni carere. Nec vero Protagoras, qui sese negat omnino de dijs habere quod liqueat, sint, non sint, qualésue sint, quicquã videtur de natura deorum suspicari. Quid Democritus? qui tum imagines, earumq; circuitus in deorum numero refert: tum illam naturam quæ imagines fundat, ac mittat: tum scientiam, intelligentiamq; nostram: nonne in maximo errore versatur? cumq; idem omnino quia nihil semper suo statu maneat, neget esse quicquã sempiternum: nonne deum ita tollit omnino, vt nullam opinionem eius reliquam faciat. Quid aër? quo Diogenes Apolloniates vtitur deo: quem sensum habere potest? aut quam formam dei? Iam de Platonis inconstantia longum est dicere: qui in Timæo, patrem huius mundi nominari neget posse. in legum autem libris quid sit omnino deus inquiri oportere non censet. quod vero sine corpore vllo deum vult esse, vt Græci dicunt, ἀσώματον, id quale esse possit intelligi non potest. careat enim sensu necesse est: careat prudentia: careat voluptate: quæ omnia vnà cum deorum notione comprehendimus. Idem & in Timæo dicit, & in legibus, & mundum deum esse, & cœlum, & astra, & terram, & animos, & eos quos maiorum institutis accepimus: quæ & per se sunt falsa perspicuè, & inter sese vehementer repugnantia. Atque etiam Xenophon paucioribus verbis eadem ferè peccat. facit enim in ys, quæ à Socrate dicta retulit, Socratem disputantem formam dei quæri non oportere: eundemq; & solem, & animum, deum dicere: & modo vnum,

tum

tum autem plures deos. quæ sunt ijsdem in erratis ferè: quibus ea quæ de Platone dicimus. Atque Antisthenes etiam in eo libro, qui physicus inscribitur: populares deos multos, naturalem vnum esse dicens, tollit vim & naturam deorum. nec multo secus Speusippus Platonem auunculum subsequens, & vim quandam dicens, quæ omnia regantur, eamq; animalem, euellere ex animis conatur cognitionem deorum. Aristoteles quoq; in tertio de philosophia libro multa turbat, à magistro Platone vno dissentiens. modò enim menti tribuit omnẽ diuinitatem: modò mundũ ipsum deum dicit esse: modò quendã alium præficit mundo: eiq; eas partes tribuit: vt replicatione mundi quadã motum regat, atq; tueatur: tum cœli ardorem deum dicit esse: non intelligens cœlũ mundi esse partem: quam alio loco ipse designarit deũ. quomodo autẽ cœli diuinus ille sensus in celeritate tanta conseruari potest? vbi deinde illi tot dij: si numeramus etiam cœlum deum? cum autem sine corpore idem vult esse deum: omni illum sensu priuat, & prudentia. quo porrò modo mundus moueri potest carens corpore? aut quomodo semper se mouens, esse quietus, & beatus potest? Nec vero eius condiscipulus Xenocrates in hoc genere prudentior: in cuius libris qui sunt de natura deorum, nulla species diuina describitur. deos enim octo esse dicit: quinque eos qui in stellis vagis nominantur: vnum qui ex omnibus syderibus quæ infixa cœlo sunt, ex dispersis quasi membris simplex sit putandus deus: septimum solem adiungit, octauumque, lunam: qui quo sensu beati esse possint, intelligi non potest. Ex eadem Platonis schola Ponticus Heraclides

pueritibus

puerilibus fabulis referfit libros: & tamen modò mundum, tũ mentem diuinam esse putat: errantibus etiam stellis diuinitatẽ tribuit: sensúq; deũ priuat, & eius formam mutabilẽ esse vult. eodemq; libro rursus terrã, & cœlum refert in deos. Nec verò Theophrasti inconstantia ferenda est. modo enim menti diuinũ tribuit principatum: modo cœlo: tum autẽ signis, syderibusq; cœlestibus. Nec audiendus eius auditor Strato, is qui physicus appellatur: qui omnem vim diuinã in natura fitam esse censet: quæ causas gignẽdi, augendi, minuendíue habeat: sed careat omni sensu & figura. Zeno autem (vt iam ad vestros Balbe veniam) naturalem legem diuinam esse censet: eamq; vim obtinere recta imperantem, prohibentemq; contraria. quam legem quomodo efficiat animantem, intelligere non possumus. deũ autem animantem certe volumus esse. atq; hic idem alio loco aëthera deum dicit esse. si intelligi potest nihil sentiens deus: qui nunquam nobis occurrit neq; in precibus neq; in optatis, neq; in votis. alijs autem libris rationem quandam, per omnem pertinentem rerum naturam: vt diuina sit, effectum putat. idem astris hoc idem tribuit: tum annis, mensibus, annorumq; mutationibus. Cùm vero Hesiodi theogoniam, id est, originem deorũ interpretatur: tollit omnino vsitatas, perceptasq; cognitiones deorum. neq; enim Iouem, neq; Iunonem, neq; Vestam, neq; quenquam, qui ita appelletur in deorum habet numero: sed rebus inanimatis, atq; mutis per quandam significationem hæc docet tributa nomina. Cuius discipuli Aristonis non minus magno in errore sententia est: qui neque formam dei in-

telligi posse censeat: neq; in dys sensum esse dicat: dubitetq; omnino deus animans nec ne sit. Cleanthes autem qui Zenonem audiuit vnà cum eo, quem proxime nominaui: tum ipsum mundum deum dicit esse: tum totius naturæ menti, atq; animo hoc nomen tribuit: tũ vltimum, & altissimum, atq; vndiq; circumfusum, & extremum, omnia cingentem, atq; complexũ ardorem, qui æther nominetur: certissimum deum iudicat, idem quasi delirans in his libris, quos scripsit contra voluptatem: tum fingit formam quandam, & speciem deorum: tum diuinitatem omnem tribuit astris: tum nihil ratione censet esse diuinius. ita fit vt deus ille, quem mente noscimus: atq; in animi notione tanquam in vestigio volumus reponere: nusquam prorsus appareat. At Perseus, eiusdem Zenonis auditor eos dicit esse habitos deos: à quibus magna vtilitas ad vitæ cultũ esset inuenta: ipsas q; res vtiles, & salutares deorum esse vocabulis nuncupatas: vt ne hoc quidẽ diceret, illa inuenta esse deorum, sed ipsã diuina quo quid absurdius? quàm aut res sordidas, atq; deformes deorum honore afficere? aut homines tam morte deletos reponere in deos? quorum omnis cultus esset futurus in luctu? Iam verò Chrysippus, qui stoicorum somniorũ vaferrimus habetur interpres: magnam turbam congregat ignotorum deorũ, atque ita ignotorum, vt eos ne coniectura quidem informare possimus: cũ mens nostra quiduis videatur cogitatione posse depingere. ait enim vim diuinam in ratione esse positam, & vniuersæ naturæ animo, atque mente: ipsumq; mundum deum dicit esse, & eius animi fusionem vniuersam:

uersam: tum eius ipsius principatum, qui in mente & ratione versetur: communem q3 rerũ naturam, vniuersũ, atq3 omnia continentem, tũ fatalem vmbram, necessitatem rerũ futurarum. ignem præterea, & eum, quem antea dixi, æthera: tum ea quæ natura fluerent, atq3 manarent, vt aquam, & terram, & aëra, solem, lunam, sydera, vniuersitatem q3 rerũ, quæ omnia continerentur, atque homines etiam eos, qui immortalitatem essent consecuti. idem q3 disputat æthera esse eũ, quem homines Iouem appellarent: quiq3 aër per maria manaret, eum esse Neptunum: terramque, eam, quæ Ceres diceretur. simili q3 ratione persequitur vocabula reliquorum deorum. idem q3 etiam legis perpetuæ, & æternæ vim, quæ quasi dux vitæ, & magistra officiorum sit, Iouem dicit esse: eandẽ q3 fatalem necessitatem appellat, sempiternã rerum futurarum veritatem: quorum nihil tale est: vt in eo vis diuina ineſſe videatur. & hæc quidem in primo libro de natura deorum. in secundo autem vult Orphei, Musæi, Hesiodi, Homeriq3 fabellas accommodare ad ea, quæ ipse primo libro de dijs immortalibus dixerit: vt etiam veterrimi poëtæ, qui hæc ne suspicati quidẽ sint, stoici fuisse videantur. Quem Diogenes Babylonius consequens in eo libro, qui inscribitur de Minerua, partum Iouis, ortumq3 virginis ad physiologiam traducens, distungit à fabula. Exposui fere non philosophorũ iudicia, sed delirantium somnia. nec enim multo absurdiora sunt ea, quæ poëtarum vocibus fusa ipsa suauitate nocuerunt: qui & ira inflammatos, & libidine furentes induxerunt deos: fecerunt que vt eorum

bella, pugnas, prælia, vulnera videremus: odia præterea, dissidia, discordias, ortus, interitus, querelas, lamentationes, effusas in omni intemperantia libidines, adulteria, vincula, cũ humano genere concubitus, mortalesq; ex immortali procreatos. Cùm poëtarum autem errore coniungere licet portenta magorũ: Ægyptiorumq; in eodem genere dementiam: tum etiã vulgi opiniones: quæ in maxima inconstantia, veritatis ignoratione versantur. Ea qui consideret quã inconsulte ac temere dicantur, venerari Epicurum, & in eorum ipsorum numero, de quibus hæc quæstio est, habere debeat. solus enim vidit primùm esse deos: quod in omnium animis eorum notionem impressisset ipsa natura. quæ est enim gens? aut quod genus hominum? quod non habeat sine doctrina anticipationem quandam deorũ? quam appellat πρόληψιν Epicurus: id est, anteceptam animo rei quandam informationem: sine qua nec intelligi quicquam, nec quæri, nec disputari possit. cuius rationis vim atq; vtilitatem ex illo cœlesti Epicuri de regula, & iudicio volumine accepimus. quod igitur fundamentum huius quæstionis est, id præclarè iactũ videtis. cùm enim non instituto aliquo, aut more, aut lege, sit opinio constituta: maneatq; ad vnum omnium firma consensio, intelligi necesse est, esse deos: quoniam insitas eorum, vel potius innatas cognitiones habemus. de quo autem omnium natura consentit: id verum esse necesse est. esse igitur deos confitendum est: quod quoniam fere constat inter omnes, non philosophos solum, sed etiam indoctos: fateamur constare illud etiam, hanc nos habere, siue anticipationem, vt

nem, vt ante dixi, siue prænotionem deorum: sunt enim rebus nouis noua ponenda nomina: vt Epicurus ipse, πρόληψιν appellauit: quam antea nemo eo verbo nominarat. hanc igitur habemus: vt deos beatos, & immortales putemus. quæ enim nobis natura informationem deorum ipsorum dedit, eadē insculpsit in mentibus: vt eos æternos & beatos haberemus. quod si ita est, vere exposita illa sententia est ab Epicuro: quod æternum beatumq; sit, id nec habere ipsum negocij quicquam, nec exhibere alteri: itaq; neq; ira, neq; gratia teneri: quod, quæ talia essent, imbecilla essent omnia. Si nihil aliud quæreremus, nisi vt deos piè coleremus: & vt superstitione liberaremur, satis erat dictum. nam & præstans deorum natura hominum pietate coleretur: cū & æterna esset, & beatissima. habet enim venerationem iustam quicquid excellit. & metus omnis, à vi atq; ira deorum pulsus esset. intelligitur enim à beata, immortaliq; natura & iram, & gratiam segregari: quibus remotis nullos à superis impendere metus. Sed ad hanc confirmandam opinionem inquirit animus & formam, & vitam, & actionem mentis, atq; agitationem in deo. Ac de forma quidem partim natura nos admonet, partim nos ratio docet. nam à natura habemus omnes omnium gentium, speciem nullam aliam, nisi humanam, deorum. quæ enim alia forma occurrit vnquam aut vigilanti cuiquam, aut dormienti? Sed, ne omnia reuocentur ad primas notiones: ratio hoc idem ipsa declarat. nam cùm præstantissimam naturam vel quia beata est, vel quia sempiterna: conuenire videatur eandem esse pulcher-

rimam: quæ cõpositio membrorũ, quæ conformatio lineamentorum, quæ figura, quæ species, humana potest esse pulchrior? vos quidem Lucili sõletis, nam Cotta meus modò hoc, modò illud, cũm artificium effingitis, fabricamq; diuinam: quam sint omnia in hominis figura non modo ad vsum, verũ etiam ad venustatem apta, describere. quod si omnium animantiũ formam vincit hominis figura: deus autẽ animans est: ea figura profectò est, quæ pulcherrima sit omnium. Quoniamq; deos beatissimos esse constat: beatus autẽ esse sine virtute nemo potest: nec virtus sine ratione constare: nec ratio vsquam ineſſe, nisi in hominis figura: hominis esse specie deos confitendum est. Nec tamen ea species corpus est: sed quasi corpus: nec habet sanguinem: sed quasi sanguinem. hæc quanquã & inuenta sunt acutius, & dicta subtilius ab Epicuro: quàm vt quiuis ea possit agnoscere: tamen fretus intelligentia vestra, disseram breuius, quàm causa desyderat. Epicurus autẽ quæ res occultas, & penitus abditas, non modo viderat animo, sed etiam sic tractat, vt doceat nos quasi manu, eã esse vim & naturam deorum: vt primũ non sensu, sed mente cernatur: nec soliditate quadam, nec ad numerum, vt ea, quæ ille propter firmitatẽ Steremnia appellat: sed imaginibus similitudine, & transitione perceptis: cum infinita similimarum imaginum species ex innumerabilibus indiuiduis existat, & ad deos affluat: cũ maximis voluptatibus in eas imagines mentem intentam, infixamq́ue nostram intelligentiam, capere quæ sit & beata natura, & æterna. Summa vero vis infinitatis, magna, ac diligenti contemplatione

dignissima

dignissima est: in qua intelligi necesse est, eam esse naturam: vt omnia, omnibus paribus paria respondeant: hanc ἰσονομίαν appellat Epicurus, id est, æquabilẽ tributionem. ex hac igitur illud efficitur: si mortaliũ tanta multitudo sit, esse immortalium non minorẽ: & si quæ interimant innumerabilia sunt: etiam ea quæ conseruent infinita esse debere. Et quærere à nobis, Balbe, soletis, quæ vita deorum sit: quæque ab iis degatur ætas. ea videlicet, qua nihil beatius, nihil omnino bonis omnibus affluentius excogitari potest. nihil enim agit: nullis occupationibus est implicatus: nulla opera molitur: sua sapientia, & virtute gaudet: habet exploratũ fore se semper cum in maximis, tum in æternis voluptatibus. Hunc deum rite beatum dixerimus: vestrũ vero laboriosissimum: siue enim ipse mundus deus est: quid potest esse minus quietum? quàm nullo puncto temporis intermisso versari circum axem cœli, admirabili celeritate? nisi quietum autem nihil beatum est. siue in ipso mundo deus inest aliquis, qui regat, qui gubernet, qui cursus astrorũ, mutationes temporum, rerum vicissitudines, ordinesq; conseruet, terras & maria contemplans, hominum commoda, vitasq; tueatur: nec ille est implicatus molestis negocijs, & operosis: nos autem beatam vitam in animi securitate, & in omnium vacatione munerum ponimus. docuit enim nos idem, qui cætera: natura effectum esse mundum: nihil opus fuisse fabrica, tamq; eam rẽ esse facilem, quam vos negatis effici sine diuina posse sollertia: vt innumerabiles natura mundos effectura sit, efficiat, effecerit. quod quia quemadmodum natura efficere sine aliqua

mente possit non videtis: vt tragici poëtæ, cùm explicare argumenti exitum non potestis: confugitis ad deum. cuius operam profecto non desideraretis: si immensam, & interminatam omneis partes magnitudinem regionũ videretis, in quam se inyciens animus, & intendens, ita latè, longeq; peregrinatur, vt nullam tamen oram vltimi videat: in qua possit insistere. in hac igitur immensitate latitudinum, longitudinũ, altitudinũ, infinita vis innumerabilium volitat atomorum: quæ interiecto inani cohærescunt tamen inter se: & aliæ alias apprehendentes continuantur: ex quo efficiuntur hæ rerum formæ, atque figuræ: quas vos effici posse sine fabris, & incudibus non putatis. itaq; imposuistis in ceruicibus nostris sempiternum dominum. quem dies, & noctes timeremus. quis enim non timeat omnia prouidentem, & cogitantem, & animaduertentem, & omnia ad se pertinere putantem, curiosum: & plenum negocij deum? Hinc vobis extitit primùm illa fatalis necessitas: quam εἱμαρμένην dicitis: vt quicquid accidat, id ex æterna veritate, causarúmque continuatione fluxisse dicatis. quanti autem hæc philosophia æstimanda est? cui tanquam aniculis, & his quidem indoctis, fato fieri omnia videantur? sequitur μαντικὴ vestra: quæ Latine diuinatio dicitur: qua tanta imbueremur superstitione, si vos audire vellemus: vt aruspices, augures, arioli, vates, & coniectores nobis essent colendi. His terroribus ab Epicuro soluti, & in libertatem vindicati, nec metuimus eos, quos intelligimus nec sibi fingere vllam molestiam, nec alteri quærere: & piè sanctèq; colimus naturam excellentem,

excellentem, atq; præstantem. Sed elatus studio vereor ne longior fuerim. erat autẽ difficile rem tantam, tamq; præclaram, inchoatam relinquere. quanquam non tam dicendi mihi ratio habenda fuit, quàm audiendi.

Tum Cotta, comiter, vt solebat, atqui, inquit, Vellei, nisi tu aliquid dixisses: nihil sanè ex me quidem audire potuisses. mihi enim non tam facile in mentem venire solet, quare verum sit aliquid, quàm quare falsum. idq; cum sæpe, tum cum te audirem paulo ante contigit. roges me qualem deorũ naturam esse ducam: nihil fortasse respondeam. quæras, putem ne talem esse, qualis modo à te sit exposita? nihil dicam mihi videri minus. Sed antequam aggrediar ad ea quæ à te disputata sunt, de te ipsõ dicam quid sentiam. sæpe enim de L. Crasso familiari tuo illo, videor audisse: cum te togatis omnibus sine dubio anteferret: & paucos tecũ epicureos è Græcia cõpararet sed, quod ab eo te mirifice diligi intelligebam, arbitrabar illum propter beneuolentiam id vberius dicere. ego autem, & si vereor laudare præsentem: iudico tamen de re obscura, atque difficili, à te dictum esse dilucidè: neque sententijs solum copiosè, sed verbis etiã ornatius, quàm solent vestri. Zenonem, quem Philo noster coryphæum appellare Epicureorum solebat: cum Athenis essem, audiebam frequenter: & quidem ipsõ authore Philone: credo, vt facilius iudicarem, quàm illa bene refellerentur: cum à principe epicureorum accepissem quemadmodum dicerentur. non igitur ille, vt plerique, sed isto modo, vt tu, distincte, grauiter, ornate. sed quod in illo mihi vsu sæpe venit, idem modo, cum te audirem, acciderat: vt moleste ferrem tantum inge-

nium (bona venia me audies) in tam leues, ne dicam in tam ineptas sententias incidisse. nec ego nunc ipse aliquid afferam melius. vt enim modo dixi, omnibus ferè in rebus, & maximè in physicis, quid non sit citius, quàm quid sit dixerim. roges me quid, aut qualis sit deus: authore vtar Symonide, de quo cum quæsiuisset hoc idem tyrannus Hiero: deliberandi causa sibi vnũ diem postulauit. cum idem ex eo postridie quæreret: biduum petiuit, cum sæpius duplicaret numerum dierum: admiransq; Hiero quæreret, cur ita faceret: quia quanto diutius considero: tanto mihi res videtur obscurior. sed Simonidem arbitror, non enim poëta solum suauis, verum etiam cæteroqui doctus sapiensque traditur: quia multa venirent in mentem acuta, & subtilia: dubitantem quid eorum esset verissimum, desperasse omnem veritatem. Epicurus vero tuus, nam cum illo malo disserere quàm tecum: quid dicit, quod non modo philosophia dignum esset? sed etiam mediocri prudentia? Quæritur primum in ea quæstione, quæ est de natura deorũ: sint ne dij, nec ne sint. difficile est negare. credo, si in concione quæratur: sed in huiusce modi sermone, & consessu, facillimum. Itaque ego ipse Pontifex, qui ceremonias, religiones q; publicas sanctissime tuendas arbitror: is hoc, quod primum est, esse deos, persuaderi mihi non opinione solum, sed etiam ad veritatem plane velim. multa enim occurrunt, quæ conturbent: vt interdũ nulli esse videantur. sed vide quàm tecum agam liberaliter. quæ cõmunia sunt vobis cum cæteris philosophis, non attingam: vt hoc ipsum. placet enim omnibus ferè, mihiq; ipsi in primis, deos esse. itaque non

pugno,

pugno, rationem tamen eam, quæ à te affertur, non satis firmam puto. Quod enim omniũ gentium, generumq́, hominibus ita videretur, id satis magnũ esse argumentum dixisti, cur esse deos confiteremur. quod cum leue per se, tum etiam falsum est. primũ enim vnde notæ tibi sunt opiniones nationum? equidem arbitror, multas esse gentes sic immanitate efferatas: vt apud eas nulla suspicio deorum sit. quid? Diagoras, Atheos qui dictus est: posteaq́ Theodorus, nonne aperte deorum naturam sustulerunt? nam Abderites quidem Protagoras, cuius à te modo mentio facta est, sophistes temporibus illis vel maximus, cum in principio libri sui sic posuisset: de dys neque vt sint, neque vt non sint, habeo dicere: Atheniensium iussu vrbe atque agro est exterminatus: libriq́ eius in concione combusti. ex quo equidẽ existimo tardiores ad hãc sententiã profitendã multos esse factos. quippe cũ pœnã ne dubitatio quidem effugere potuisset. quid de sacrilegis? quid de impys, periurisq́ dicemus? Tubulus si Lucius vnquam:

Si Lupus, aut Carbo, aut Neptuni filius:

vt ait Lucilius putasset esse deos, tam periurus, aut tam impurus fuisset? non est igitur tam explorata ista ratio, ad id quod vultis confirmandum, quàm videtur. sed quia commune est hoc argumentum aliorum etiam philosophorum, omittam hoc tempore: ad vestra propria venire malo. concedo esse deos: doceme igitur vnde sint: vbi sint: quales sint corpore, animo, vita: hæc enim scire desidero. Abuteris ad omnia atomorum regno & licentia. hinc quodcunq́ in solum venit, vt dicitur, essingis, atque efficis. qua primum

mum nullæ sunt: nihil est enim quod vacet corpore. corporibus autem omnis obsidetur locus. ita nullum inane, nihil esse indiuiduum potest. hæc ego nunc physicorum oracula fundo: vera an falsa, nescio: sed veri tamen similiora, quàm vestra. ista enim flagitia Democriti, siue etiam ante Leucippi, esse corpuscula quædam leuia, alia aspera, rotunda alia, partim angulata, curuata quædam, & quasi adunca. ex his effectum esse cœlum atq; terras, nulla cogente natura, sed concursu quodam fortuito. hanc tu opinionem, C. Vellei, vsque ad hanc ætatem perduxisti: priusq; te quis de omni vitæ statu, quàm de ista authoritate deiecerit. ante enim iudicasti Epicureum te esse oportere, quàm ista cognouisti. ita necesse fuit aut hæc flagitia animo concipere: aut susceptæ philosophiæ nomen amittere. quid enim mereas vt Epicurus esse desinas? nihil equidem inquis: vt rationem vitæ beatæ, veritatemq; deseram. ista igitur est veritas? nam de vita beata nihil repugno: quam tũne in deo quidem esse censes: nisi plane ocio langueat. sed vbi est veritas? in mundis credo innumerabilibus, omnibus minimis temporum punctis, alijs nascentibus, alijs cadentibus? an in indiuiduis corpusculis, tam præclara opera, nulla moderante natura, nulla ratione, fingentibus? sed oblitus liberalitatis meæ, qua tecum paulo ante vti cœperam, plura complector. Concedam igitur ex indiuiduis constare omnia. quid ad rem? Deorum enim natura quæritur: sint sane ex atomis. non igitur æterni. quod enim ex atomis sit, id natum aliquando sit. si natum, nulli dij ante, quam nati. & si ortus est deorũ: interitus sit necesse est: vt tu paulo ante de Platonis

mundo

mundo disputabas. vbi igitur illud vestrum beatum, & aeternum? quibus duobus verbis significatis deum? quod cum efficere vultis, indumenta tamẽ corripitis. ita enim dicebas, non corpus esse in deo, sed quasi corpus: nec sanguinem: sed quasi sanguinem. hoc persæpe facitis: vt aliquid non verisimile dicatis: & effugere reprehensionem velitis, afferatis aliquid, quod omnino nefieri quidem possit: vt satius fuerit id ipsum, de quo ambigebatur, concedere: quàm tam impudenter resistere. velut Epicurus, cum videret si atomi ferrentur in locum inferiorem suopte pondere, nihil fore in nostra potestate, quod esset earum motus certus, & necessarius: inuenit quo modo necessitatem effugeret: quod videlicet Democritum fugerat. ait atomum, cum pondere & grauitate directo deorsum feratur, declinare paulum. hoc dicere turpius est, quàm illud, quod vult, non posse defendere. idem facit contra dialecticos: à quibus cum traditum sit, in omnibus disiunctionibus, in quibus aut etiã aut non poneretur, alterutrum verũ esse: pertimuit, ne, si concessum esset huiusmodi aliquid. aut viuet cras, aut non viuet Epicurus: alterutrum fieret necessarium. totum hoc aut etiam, aut non, negauit esse necessarium. quo quid dici potest obtusius? vrgebat Arcesilas Zenonem: cum ipse omnia falsa diceret, quæ sensibus viderentur: Zeno autem nonnulla visa esse falsa, non omnia. timuit Epicurus, ne, si vnum visum esset falsum, nullum esset verum. omnes sensus veri nuncios dixit esse. nihil horum nisi callide. grauiorem enim plagam accipiebat, vt leuiorem repelleret. Idem facit in natura deorum, dum individuorum

corpo-

corporum concretionem fugit: ne interitus & dissipatio consequatur: negat esse corpus deorum, sed tanquam corpus: nec sanguinem, sed tanquam sanguinẽ. mirabile videtur, quod non rideat aruspex, cum aruspicem viderit. hoc mirabilius: quod vos inter vos risum tenere possitis. Non est corpus, sed quasi corpus. hoc intelligerem quale esset: si id in cereis fingeretur, aut fictilibus figuris. in deo quid sit quasi corpus, aut quasi sanguis, intelligere non possum. ne tu quidem Vellei. sed non vis fateri. ista enim à vobis quasi dictata redduntur: quæ Epicurus oscitans halucinatus est. cum quidem gloriaretur, vt videmus in scriptis, se magistrum habuisse nullum. quod & non prædicanti tamen facile quidem credam: sicut mali ædificy domino glorianti se architectũ nõ habuisse. nihil enim olet ex Academia: nihil ex Lyceo: nihil ne è puerilibus quidem disciplinis. Xenocratem audire potuit: quem virum dy immortales? & sunt qui putant audiuisse: ipse non vult: credo plus nemini. Pamphilum quendam Platonis auditorẽ ait à se Sami auditum. ibi enim adolescens habitabat cum patre & fratribus: quod in eam pater eius Neocles agripeta venerat. sed cum agellus eum non satis aleret: vt opinor, ludi magister fuit. sed hunc Platonicum mirifice contemnit Epicurus. ita metuit: nequid vnquam didicisse videtur. in Nausiphane Democriteo tenetur. quem cum à se nõ neget auditũ: vexat tamen omnibus contumelijs. atqui si hæc Democritea non audisset, quid audierat? quid est in physicis Epicuri non a Democrito? nam & si quædam commutauit: vt quod paulo ante de inclinatione atomorum dixi: tamen pleraque

dicit

dicit eadem: atomos, inane, imagines, infinitatem locorum, innumerabilitatemq; mundorum, eorum ortus, & interitus, omnia ferè, quibus natura ratio continetur. nunc istuc quasi corpus, & quasi sanguinem, quid sit, intelligis? ego enim scire te ista melius quàm me, non fateor solum, sed etiam facile patior. cum quidem semel dicta sunt: quid est quod Velleius intelligere possit? Cotta non possit? itaque corpus quid sit, sanguis quid sit, intelligo: quasi corpus quid sit, & quasi sanguis quid sit, nullo prorsus modo intelligo. Nec tu me celas, vt Pythagoras solebat alienos: nec consulto dicis occulte, tanquam Heraclites: sed quod inter nos liqueat ne tu quidem intelligis. illud video pugnare te: species vt quædam sit deorum, quæ nihil concreti habeat, nihil solidi, nihil expressi, nihil eminentis: sitq; pura, leuis, perlucida. dicemus ergo idem, quod in Venere Coa, corpus non est: sed simile corpori: nec ille fusus, & candore mixtus rubor sanguis est, sed quædam sanguinis similitudo: sic in Epicureo deo non res, sed similitudines rerum esse. facid, quod ne intelligi quidem potest, mihi esse persuasum: cedo mihi istorum adumbratorum deorum liniamenta, atque formas. non deest hoc loco copia rationum: quibus docere velitis humanas esse formas deorum. primum quod ita sit informatum, anticipatumq; mentibus nostris: vt homini cum de deo cogitet, forma occurrat humana. deinde, vt quoniam rebus omnibus excellat natura diuina, forma quoque esse pulcherrima debeat: nec esse humana vllam pulchriorem. tertiam rationem affertis: quod nulla alia figura domicilium mentis esse possit. Primum igitur

tur omnium quicquam consideras quale sit ? arripere enim mihi videmini quasi vestro iure rem nullo modo probabilem. quis tam cæcus in contemplandis rebus vnquam fuit ? vt non videret species istas hominum collatas in deos , aut consilio quodam sapientum: quo facilius animos imperitorum ad deorum cultum à vitæ prauitate conuerterent? aut superstitione : vt essent simulacra , quæ venerantes , deos ipsos se adire crederent? auxerunt autem hæc eadem poëtæ , pictores, opifices. Erat autem non facile agentis aliquid & molientis deos in aliarum formarum imitatione seruare. accessit etiam ista opinio fortasse , quod hominis homine nihil pulchrius videatur. sed tu hoc physice non vides : quam blanda conciliatrix , & quasi sui sit lena ipsa natura. an putas vllam esse terra marique beluam , quæ non sui generis belua maximè delectetur? quod ni ita esset: cur non gestiret taurus equæ contrectatione, equus vaccæ? an tu aquilam , aut leonem , aut delphinum vllam anteferre censes figuram suæ? quid igitur mirum , si hoc eodem modo hominis natura præscripsit, vt nihil pulchrius quàm hominem putaret : eam esse causam, cur deos hominum similes putaremus? quid censes si ratio esset in beluis: non suo quasque generi plurimum tributuras fuisse? at mehercle ego (dicam enim vt sentio) quamuis autem ipse me: tamen non audeo dicere pulchriorem esse me: quam ille fuit taurus , qui vexit Europam. non enim hoc loco de ingenijs , aut de orationibus nostris , sed de specie, figuraque quæritur. quod si fingere nobis , & iungere formas velimus : qualis ille maritimus Triton pingitur,

gitur, natantibus inuehens beluis, adiunctis humano corpori, nolis esse? difficili in loco versor: est enim vis tanta naturæ, vt homo nemo velit nisi hominis similis esse, & quidē formica formicæ. sed tamen cuius hominis? quotus enim quisq; formosus est? Athenis cū essem, è gregibus ephebōrū vix singuli reperiebantur. video, quid arriseris: sed tamen ita res se habet. deinde nobis, qui concedentibus philosophis antiquis, adolescentulis delectamur: etiam vitia sæpe iucunda sunt. næuus in articulo pueri delectat. Alcæum. at est corporis macula nævus. illi tamen hoc lumen videbatur. Quintus Catulus, huius collegæ & familiaris nostri pater, dilexit municipē tuum Roscium: in quem etiam illud est eius.

Constiteram, exorientem auroram forte salutans:
Cum subito à leua Roscius exoritur.

Pace mihi liceat cœlestes dicere vestra:
Mortaleis visus pulchrior esse deo.

huic pulchrior deo? At erat, sicut hodie est, peruersissimis oculis, quid refert? si hoc ipsum falsum & venustum illi videbatur. redeo ad deos? ecquos si non tam strabones, at petulos esse arbitramur? ecquos nævum habere? ecquos silos, flaccos, frontones, capitones? quæ sunt in nobis. an omnia emendata in illis? detur id vobis. num etiam est vna omnium facies? nam si plures: aliam esse alia pulchriorem necesse est. igitur aliquis non pulcherrimus deus si vna omnium facies est. florere in cœlo academiam necesse est. si enim nihil inter deum, & deum differt: nulla est apud deos cognitio, nulla perceptio. quid si etiam Vellei falsum illud omnino est? nullam aliam nobis de deo cogi-

tantibus ſpeciem niſi hominis, occurrere? tamen ne iſta tam abſurda defendes? nobis ſortaſſe ſi occurrit, vt dicis: apparuiſſe Iouem, Iunonem, Mineruam, Neptunũ, Vulcanum, Apollinẽ, reliquos deos, & ea facie nouimus, qua pictores, fictoresq; voluerunt: neque ſolum facie, ſed etiam ornatu, ætate, atq; veſtitu. at non Ægyptij, nec Syri, nec fere cuncta barbaries. firmiores enim videas apud eos opiniones eſſe de beſtijs quibuſdã: quàm apud nos de ſanctiſſimis templis, & ſimulacris deorum. etenim fana multa expoliata, & ſimulacra deorũ de locis ſanctiſſimis ablata videmus à noſtris. at vero nefando quidem auditũ eſt, Crocodilũ, aut Ibim, aut felem violatum ab Ægyptio. quid igitur cenſes? Apim illum ſanctum Ægyptiorum bouem, nonne deum videri Ægyptijs? tam hercle, quàm tibi illam noſtram Soſpitam: quã tu nunquam, ne in ſomnis quidem vides, niſi cũ pelle caprina, cũ haſta, cũ ſcutulo, cũ calceolis repandis. At non eſt talis Argiua, nec Romana Iuno. ergo alia ſpecies Iunonis Argiuis: alia Latinis. & quidẽ alia nobis Capitolini, alia Afris Ammonis Iouis. Non pudet igitur phyſicum, id eſt, ſpeculatorẽ, venatoremq; naturæ, ab animis conſuetudine imbutis, petere teſtimoniũ veritatis? Iſto enim modo dicere licebit Iouem ſemper barbatum: Apollinem ſemper imberbem: cæſios oculos Mineruæ: cœruleos eſſe Neptuni. & quidẽ Athenis laudamus Vulcanũ eũ: quem fecit Alcamenes in quo ſtante, atq; veſtito leuiter appareret claudicatio non deformis. claudum igitur habebimus deũ. quoniã de Vulcano ſic accepimus. Age & his vocabulis deos eſſe facimus: quibus à nobis nominãtur.

At

At primùm quot hominum linguæ, tot nomina deorũ. non enim vt tu Velleius, quocunq; veneris: sic idem in Italia Vulcanus: idem in Africa: idem in Hispania. deinde nominũ non magnus numerus ne in Pontificijs quidem nostris: deorũ autẽ innumerabilis. an sine nominibus sunt? istud quidem ita vobis dicere necesse est. quid enim attinet, cùm vna facies sit, plura esse nomina? quàm bellum erat, Vellei, confiteri potius nescire quod nescires: quàm ista effutientẽ nauseare: atq; ipsum sibi displicere. an tu mei similem putas esse, aut tui deum? profectò non putas. quid ergo? solem dicam, aut lunam, aut cœlum deum? ergo etiam beatũ. quibus fruentem voluptatibus? & sapientem? qui potest esse in eiusmodi trunco sapientia? hæc vestra sunt. si igitur nec humano visu, quod docui: nec tali aliquo, quod tibi persuasum est. quid dubitas negare deos esse? non audes. sapienter id quidem. & si hoc loco non populum metuis, sed ipsos deos. noui ego Epicureos omnia sigilla numerantes: quanquam video nonnullis videri, Epicurum, ne in offensionem Athenienſium caderet, verbis reliquisse deos, re sustulisse. Itaque in illis selectis eius breuibusq; sententijs, quas appellatis κυρίας δόξας: hæc vt opinor prior sententia est. Quod beatum & immortale est: id nec habet, nec exhibet cuiquam negocium. In hac ita exposita sententia, sunt qui existiment, quod ille inscitia planè loquendi fecerit, feciſſe consulto. de homine minime vafro male existimant. dubium est enim vtrũ aliquid dicat iste beatũ & immortale: an, si quod sit beatũ, id esse immortale. Non animaduertunt, hic eum ambigue lo-

sutum esse: sed multis aliys locis & illũ, & Metrodorum tam aperte, quam paulò ante te. ille vero deos esse putat: nec quenquam vidi, qui magis ea, quæ timenda esse negaret, timeret: moriẽ dico, & deos. quibus mediocres homines non ita valde mouentur: his ille clamat omnium mortalium mentes esse perterritas. tot milia latrocinantur morte proposita. aliy omnia quæ possunt, fana compilant. credo, aut illos mortis timor teret: aut hos religionis. sed quoniam non audes (iam enim cùm ipso Epicuro loquar) negare esse deos: quid est quod te impediat aut solem, aut lunam, aut mundum, aut mentem aliquam sempiternam in deorũ natura ponere? nunquam vidi inquit animam rationis, consiliy q3 participem in vlla alia, nisi humana figura. quid? solis nunquid nam, aut lunæ, aut quinque errantium syderum simile vidisti? Sol duabus vnius orbis vltimis partibus definiens motum, cursus annuos conficit. huius hanc illustrationem eiusdem incensam radiys mensiruo spatio luna complet. quinq3 autem stellæ eundem orbem tenentes, aliæ propius à terris, aliæ remotius, ab iysdem principiys, disparibus temporibus eadem spatia conficiunt. nunquid tale Epicure vidisti? ne sit igitur sol: ne luna: ne stellæ. quoniam nihil esse potest, nisi quod attigimus, aut vidimus. quid? deum ipsum nũ ne vidisti? cur igitur credis esse? tollamus ergo omnia: quæ aut historia nobis, aut noua ratio affert. ita sit vt mediterranei mare esse non credant. quæ sunt tantæ animi angustiæ? vt si Seriphi natus esses, nec vnquam egressus ex insula: in qua lepusculos, vulpeculasq3 sæpe vidisses: non crederes leones, & pantheras

ras esse: cum tibi quales essent diceretur. si verò de Elephanto quis diceret: etiam irrideri te putares. Et tu quidem Vellei, non vestro more, sed dialecticorũ, quæ fundi tus gens vestra non nouit: argumenti sententiam conclusisti: beatos esse deos sumpsisti. concedimus. beatũ autem sine virtute neminem esse posse. id quoq; damus: & libenter quidem: virtutem autem sine ratione constare non posse. conueniat id quoq; necesse est. adiungis nec rationem esse nisi in hominis figura. quem tibi hoc datu rum putas? si enim ita esset: quid opus erat te gradatim istuc peruenire? quid autẽ est istuc gradatim? sumpsisses tuo iure. nam à beatis ad virtutẽ, à virtute ad rationem, video te venisse gradibus. à ratione ad humanã figuram quo modo accedis? præcipitare istuc quidem est, non descendere. Nec vero intelligo: cur maluerit Epicurus deos hominũ similes dicere: quàm homines deorum. quæres quid intersit. si enim hoc illi simile sit: esse illud huic video. sed hoc dico: nõ ab hominibus formæ figuram peruenisse ad deos: dij enim si semper fuerunt: & nati nunquam sunt: si quidem æterni sunt futuri. at homines nati. ante igitur humana forma, quam homines: ea qua erant forma dij immortales. nõ ergo illorum humana forma, sed nostra diuina dicenda est. Verum hoc quidẽ vt voletis, illud quæro: quæ fuerit tanta fortuna: nihil enim in rerum natura ratione factum esse vultis. sed tamen quis iste tantus casus? vnde tam felix concursus atomorum? vt repente homines deorum forma nascerentur? semina deorum cecidisse de cœlo in terras putamus: & sic homines patrum similes extitisse? vellem diceretis, deorum cognationem

agnoscerem non inuitus. nihil tale dicitis. sed casu esse factum, vt deorum similes essemus. Et nunc argumenta quærenda sunt: quibus hoc refellatur? vtinã tam facile vera inuenire possem: quàm falsa conuincere. Etenim enumerasti memoriter, & copiose, vt mihi quidem admirari liberet, in homine esse Romano tantam scientiã: vsq; à Thalete Milesio de natura deorũ philosophorum sententias. omnes ne tibi illi delirare visi sunt: qui sine manibus & pedibus constare deum posse decreuerunt? nec hoc quidem vos mouet considerantes, quæ sit vtilitas, quæq; opportunitas in homine membrorum: vt iudicetis membris humanis deos non egere? quid enim pedibus opus est, sine ingressu? quid manibus si nihil comprehendatur est? quid reliqua descriptione omnium corporis partium? in qua nihil inane, nihil sine causa, nihil superuacaneum est. itaq; nulla ars imitari solertiam naturæ potest. habebit igitur linguã deus, & non loquetur: dentes, palatum, fauces nullum ad vsum: quæque procreationis causa natura corpori affinxit, ea frustra habebit deus. nec externa magis quã interiora. cor, pulmones, iecur, cæteraq; detracta vtilitate, quid habent venustatis? quando quidem hæc esse in deo propter pulchritudinem vultis. Istis ne fidentes somnys non modo Epicurus, & Metrodorus, & Hermachus, contra Pythagoram, Platonẽ, Empedoclemq; dixerunt? sed meretricula etiam Leontium contra Theophrastum scribere ausa est? scito quidẽ illa sermone & Attico. sed cum tantũ Epicuri hortus habuerit licentiæ: etiã soletis quæri: Zeno quidem etiam litigabat: quid dicam Albutium? nam Phædro nihil elegantius,

gantius, nihil humanius. sed stomachabatur senex, si-
quid asperius dixeram: cum Epicurus contumelio sissi-
me Aristotelem vexarit: Phædoni Sacratico turpissime
maledixerit: Metrodori sodalis sui fratrem Timocra-
tem, quia nescio quid in philosophia dissentiret: totis vo-
luminibus conciderit: in Democritum ipsum, quẽ secu-
tus est, fuerit ingratus: Nausiphanem magistrũ suum,
à quo nihil didicerat, tã male acceperit: Zeno quidẽ
non eos sõlum, qui tum erant Appollodorum, & Syllũ, ce-
teros q; figebat maledictis: sed Socratem ipsum, parentẽ
philosophiæ, Latino verbo vtens, scurram atticũ fuisse
dicebat: Chrysippum nunquam nisi Chesippum voca-
bat. tu ipse paulo ante, cũ tanquam senatũ philosopho-
rum recitares summos viros desipere, delirare, demen-
tes esse dicebas. quorum si nemo verum vidit de natura
deorum: verendum est ne nulla sit omnino. nã ista quæ
vos dicitis sunt tota cõmentitia, vix digna lucubratio-
ne aniculorum. non enim sentitis quam multa vobis
suscipienda sint: si impetraueritis, vt concedamus ean-
dem esse hominum, & deorũ figuram. omnis cultus &
curatio corporis erit eadem adhibenda deo, quæ adhi-
betur homini: ingressus, cursus, accubatio, inclinatio,
sessio, comprehensio, ad extremũ etiam sermo, & oratio.
nam quod & mares deos, & fœminas esse dicitis, quid
sequatur videtis. Equidem mirari satis non possum,
vnde ad istas opiniones vester ille princeps venerit. sed
clamare non desinitis retinendũ hoc esse, deus vt beatus
immortalis q; sit. quid autem obstat, quo minus sit bea-
tus: si non sit bipes? Aut ista sine beatitas, sine beatitu-
do dicenda est (vtrumque omnino durum: sed vsu

mollienda nobis verba sunt) verũ ea, quæcunq; est, cur aut in solem illum, aut in hunc mundum, aut in aliquam mentẽ æternam, figura membrisq; corporis vacuam, cadere non potest? nihil aliud dicis: nisi nunquam vidi solem, aut mundum beatũ. quid? mundũ præter hunc vnquám ne vidisti? negabis. cur igitur nõ sexcenta millia esse mundorũ. sed innumerabilia ausus es dicere? ratio docuit. Ergo hoc te ratio non docebit? cũ præstantissima natura quæratur, eaq; beata, & æterna: quæ sola in diuina natura sunt. vt immortalitate vincamur ab ea natura: sic animi præstantia vinci: atq; vt animi, item corporis. cur igitur cùm cæteris rebus inferiores simus: forma pares sumus? ad similitudinem enim deo propius accedebat humana virtus, quàm figura. an quicquam tam puerile dici potest (vt eundem locum diutius vrgeam) quàm si ea genera beluarum, quæ in rubro mari Indiáue gignantur, nulla esse dicamus? atqui ne curiosissimi quidem homines exquirendo audire tam multa possunt: quàm sunt multa, quæ terra, mari, paludibus, fluminibus existunt. quæ negemus esse: quia nunquam vidimus. Ipsa verò, quàm nihil ad rem pertinet, quæ vos delectat maximè, similitudo? quid? canis non ne similis lupo? atq; vt Ennius, Simia quam similis turpissima bestia, nobis?
at mores in vtroque dispares. Elephanto beluarum nulla prudentior. at figura quæ vastior? de bestijs loquor. quid? inter ipsos homines non ne & simillimis formis dispares mores? & moribus figura dissimilis? etenim si semel, Vellei, suscipimus genus hoc argumenti: attende quo serpat. tu enim sumebas nisi in

hominis

hominis figura rationem ineſſe non poſſe. ſumet alius niſi in terreſtri: niſi in eo qui natus ſit: niſi in eo qui adoleuerit: niſi in eo qui didicerit: niſi in eo qui ex animo cõſtet, & corpore caduco, & infirmo: poſtremo niſi in homine, atque mortali. quod ſi in omnibus his rebus obſiſtis: quid eſt, quod te vna forma conturbet? his enim omnibus quæ propoſui adiunctis, in homine rationẽ eſſe, & mentem videbas. quibus detractis deum tamen noſſe te dicis, modo lineamenta maneant. hoc eſt non conſiderare, ſed quaſi ſortiri quid loquare. niſi forte ne hoc quidem attendis: non modo in homine, ſed etiam in arbore quicquid ſuperuacaneum ſit, aut vſum non habeat, obſtare. quam moleſtum eſt vno digito plus habere? quid ita? quia nec ſpeciem, nec vſum alium quinque deſiderant. tuus autem deus non digito vno redundat: ſed capite, collo, ceruicibus, lateribus, aluo, tergo, poplitibus, manibus, pedibus, feminibus, cruribus. ſi vt immortalis ſit: quid hæc ad vitam membra pertinent: quid ipſa facies? magis illa, cerebrum, cor, pulmones, iecur. hæc enim ſunt domicilia vitæ. oris quidem habitus ad vitæ firmitatem nihil pertinet. At eos vituperabas, qui ex operibus magnificis, atque præclaris, cum ipſum mundum, cum eius membra, cœlum, terras, maria, cumq; horum inſignia ſolem, lunam, ſtellas q; vidiſſent: cumq; temporum mutationes, maturitates, viciſſitudines q; cognouiſſent, ſuſpicati eſſent aliquam excellentem eſſe, præſtantemq; naturã: quæ hæc feciſſet: moueret: regeret: gubernaret. qui, etiam ſi aberrant à coniectura: video tamen quid ſequantur. tu quod opus tandẽ magnum, & egregium habes? quod effectum diuin-

mẽte videatur? ex quo esse deos suspicere? habeo, inquis, in animo insitam informationem quandam dei. & barbati quidem Iouis, galeatæ Mineruæ. num igitur esse tales putas? quanto melius hæc vulgus imperitorum: qui non membra solum hominis deo tribuunt: sed vsum etiam membrorum. dant enim arcum, sagittas, hastam, clypeum, fuscinam, fulmen. &, si, actiones quæ sint deorum non vident: nihil agentem tamen deum, non queunt cogitare. ipsi, qui irridentur, Ægyptij, nullam beluam, nisi ob aliquã vtilitatem, quam ex ea caperent, consecrauerunt. velut Ibes maximam vim serpentium conficiunt: cum sint aues excelsæ, cruribus rigidis, corneo, procerooq; rostro: auertunt pestem ab Ægypto: cum volucres angues ex vastitate Lybiæ vento Africo inuectas, interficiunt, atque consumunt. ex quo fit, vt illæ nec morsu viuæ noceant, nec odore mortuæ. possum de ichneumonum vtilitate, de crocodilorum, de felium dicere: sed nolo esse longus. ita concludam tamen, beluas à barbaris propter beneficium consecratas: vestrorum deorum non modo beneficium nullum extare: sed ne factum quidem omnino. Nihil habet, inquit, negotij. profecto Epicurus, quasi pueri delicati, nihil cessatione melius existimat. at ipsi tamen pueri, etiam cum cessant, exercitatione aliqua ludicra delectantur: deum sic feriatum volumus cessatione torpere: vt, si se commouerit, vereamur, ne beatus esse non possit. hæc oratio non modò deos spoliat motu, & actione diuina: sed etiam homines inertes efficit: si quidẽ agens aliquid, ne deus quidem esse beatus potest. Verum sit sane, vt vultis, deus, effigies hominis, & imago. quod eius est

domi-

domicilium? quæ sedes? qui locus? quæ deinde actio vitæ? quibus rebus, id quod vultis, beatus est? vtatur enim suis bonis oportet & fruatur: qui beatus futurus est. nã locus quidem, his etiam naturis, quæ sine animis sunt, suus est cuique proprius: vt terra infimum teneat: hanc inundet aqua: superior aër: ignibus altissima ora reddatur. bestiarum autem terrenæ sunt aliæ: partim aquatiles: aliæ quasi ancipites, in vtraque sede viuentes: sunt quædam etiam, quæ igne nasci putentur: appareantq; in ardentibus fornacibus sæpe volitantes. quæ igitur, vester deus primum vbi habitet. deinde quæ causa eum loco moueat: si modo mouetur aliquando. postremo, cum hoc proprium sit animantiũ: vt aliquid appetant, quod sit naturæ accommodatum: deus quid appetat: ad quam denique rem motu mentis, ac rationis vtatur. postremo quomodo beatus sit: quomodo æternus. quicquid enim horum attigerit, vlcus est. ita male instituta ratio exitum reperire non potest. Sic enim dicebas speciem dei percipi cogitatione, non sensu: nec esse in ea vllam soliditatem: neque eandem ad numerum permanere: eamq; esse eius visionem, vt similitudine & transitione cernatur: neque deficiat vnquam ex infinitis corporibus similium accessio: ex eoque fieri: vt in hæc intenta mens nostra beatam illam naturam, & sempiternam putet. hoc, per ipsos deos, de quibus loquimur, quale tandem est? nam si tantummodo ad cogitationem valent: nec vllam habent soliditatem, nec eminentiam: quid interest vtrum de hippocentauro, an de deo cogitemus? omnem enim talem confirmationem animi cæteri philosophi motum inanem vocant. vos

autem

autem aduentum in animos, & introitum imaginum dicitis. vt igitur Tiberium Gracchum cum videor concionantem in capitolio videre, de M. Octauio deferentem sitellã: tum eum motum animi dico esse inanem. tu autem & Gracchi & Octauy imagines remanere: quæ in capitolium cum peruenerint, tum ad animum meũ referantur. hoc idem fieri in deo: cuius crebra facie pellantur animi: ex quo esse beati atque æterni intelligantur. fac imagines esse quibus pulsentur animi: species dũtaxat abijcitur quædam. num etiam cur ea beata sit, cur æterna? quæ autem istæ imagines vestræ? aut vnde? à Democrito omnino hæc licentia. sed & ille reprehensus à multis est: nec vos exitum reperitis: totaq; res vacillat, & claudicat. nam quid est quod minus probari possit: quàm omnium in me incidere imagines? Homeri, Archilochi, Romuli, Numæ, Pythagoræ, Platonis: nec ea forma, qua illi fuerunt? quomodo ergo illi? & quorum imagines? Orpheum poëtam docet Aristoteles nunquam fuisse: & hoc Orphicum carmen Pythagorici ferunt cuiusdam fuisse cerdonis. At Orpheus, id est imago eius, vt vos vultis, in animum meum sæpe incurrit. quid? quod eiusdem hominis in meũ aliæ, aliæ in tuum? quid? quod earum rerum, quæ nunquã omnino fuerunt, neq; esse potuerunt? vt Scyllæ, vt chimeræ? quid? quod hominum, locorum, vrbium earum, quas nunquam vidimus? quid? quod simulac mihi collibitũ est, præsto est imago? quid? quod etiam ad dormientem veniunt inuocatæ? totã res Vellei nugatoria est. vos autem non modo oculis imagines, sed etiam animis inculcatis: tanta est impunitas garriendi. At quàm licenter

center? fluentium frequenter transitio sit visionum: vt è multis vna videatur. puderet me dicere non intelligere: si vos ipsi intelligeretis, qui ista defenditis. quo modo enim probas continenter imagines ferri? aut, si continenter, quo modo æternæ? Innumerabilitas inquit suppeditat atomorum. num eadem ergo ista facient: vt sint omnia sempiterna. Confugis ad æquilibritatem: sic enim ἰσονομίαν, si placet, appellemus: & ais quoniam sit natura mortalis: immortalem etiam esse oportere. isto modo, quoniam homines mortales sunt: sint aliqui immortales: & quoniam nascuntur in terra, nascantur in aqua. & quia sunt quæ interimant: sint quæ conseruent. sint sanè, sed ea conseruent quæ sunt. deos istos esse non sentio. omnis tamen ista rerum effigies ex individuis quomodo corporibus oritur? quæ etiam si essent, quæ nulla sunt: pellere se ipsa & agitari inter se concursu fortæ posse: formare, figurare, colorare, animare non possent. nullo igitur modo immortalem deum efficitis. Videamus nunc de beato. sine virtute certe nullo modo. virtus autem actuosa: & deus vester nihil agens. expers virtutis igitur. ita ne beatus quidem. quæ ergo vita? suppeditatio inquis bonorum nullo malorum interuentu. quorum tandem bonorum? voluptatum. credo. nempe ad corpus pertinentium. nullam enim nouistis nisi profectam à corpore, & redeuntem ad corpus animi voluptatem. non arbitror te Vellei similem esse epicureorum reliquorum: quos pudeat earum Epicuri vocum: quibus ille testatur, se ne intelligere quidem vllum bonum: quod sit seiunctum à delicatis, & obscenis voluptatibus: quas quidem

dem non erubescens persequitur omnes nominatim. quũ cibum igitur, aut quas potiones, aut quas vocum & florum varietates, aut quos tactus, quos odores adhibebis ad deos? vt eos perfundas voluptatibus? At poëtæ quidem nectar, ambrosiam, epulas comparant: et aut Iuuentutem, aut Ganymedem pocula ministrantem. tu autem Epicure quid facies? neque enim vnde habeat ista deus tuus video: nec quomodo vtatur. locupletior igitur hominum natura ad beate viuendũ est, quàm deorum: quod pluribus generibus fruitur voluptatum. At has leuiores ducis voluptates: quibus quasi titillatio (Epicuri enim hoc verbũ) sensibus adhibetur. quousq; ludis? nam etiam Philo noster ferre non poterat asperna ri Epicureos, molles, & delicatas voluptates. Summa enim memoria pronunciabat plurimas Epicuri sententias, his ipsis verbis quibus erant scriptæ: Metrodori vero, qui est Epicuri collega sapientiæ: multa impudẽtiora recitabat. accusat enim Timocratẽ fratrem suũ Metrodorus: quod dubitet omnia, quæ ad beatã vitã pertinant, ventre metiri: neq; id semel dicit, sed sæpius. Annue re te video: nota enim tibi sunt. proferrem libros, si negares. neq; nunc reprehẽdo: quod ad voluptatẽ omnia referantur. alia est ea quæstio. sed doceo deos vestros esse voluptatis expertes. ita vestro iudicio ne beatos quidem. at dolore vacant. satin est id ad illam abundantem bonis, vitã beatissimã? cogitant, inquiunt, assidue beatos esse se. habent enim nihil aliud quod agitent in mente. comprehende igitur animo, & propone ante oculos, deum nihil aliud in omni æternitate, nisi, mihi pulchre est, & ego beatus sum, cogitantem. nec tamen video quo

modo

modo vereatur iste deus beatus ne intereat: cum sine vlla intermissione pulsetur, agitetur q3 incursione atomorum sempiterna: cum q3 ex ipsō imagines semper affluāt. ita nec beatus est vester deus, nec æternus. At etiam de sanctitate, de pietate aduersus deos, libros scripsit Epicurus. at quo modo in his loquitur? vt Coruncanum, aut Scæuolam, pontifices maximos te audire dicas: non eū qui sustulerit omnē funditus religionē: nec manibus, vt Xerxes, sed rationibus, deorū immortalium templa & aras euerterit. quid est enim cur deos ab hominibus colendos dicas? cum dy non modo homines non colant: sed omnino nihil curent: nihil agant. At est eorum eximia quædam præstans q3 natura: vt ea debeat ipsa per se ad se colendam elicere sapientem. an quicquam eximiū potest esse in ea natura? quæ sua voluptate lætans, nihil nec actura sit vnquam, neque agat, neque egerit? quæ porro pietas ei debetur? à quo nihil acceperis? aut quid omnino, cuius nullum meritum sit, ei deberi potest? Est enim pietas iusticia aduersum deos: cum quibus quid potest nobis esse iuris? cū homini nulla cū deo sit communitas. Sanctitas autem, est scientia colendorum deorum: qui quam obrem colendi sunt non intelligo, nullo nec accepto abys, nec sperato bono. quid est autem, quod eos veneremur propter admirationem eius naturæ, in qua egregium nihil videmus? Nam superstitione, quod gloriari soletis, facile est liberare: cum sustuleris omnem vim deorum. Nisi forte Diagoram, aut Theodorum, qui omnino deos esse negabant: censes superstitiosos esse potuisse. ego ne Protagoram quidem: qui neutrum liquerit, nec esse deos, nec non esse. horum

rum enim sententiæ omnium non modò superstitionem tollunt: in qua inest timor inanis deorum : sed etiam religionem, quæ deorum cultu pio continetur. quid hi, qui dixerunt totam de dijs immortalibus opinionem fictam esse ab hominibus sapientibus Reip. causa: vt quos ratio non posset, eos ad officium religio duceret: nonne omnem religionem funditus sustulerunt? quid Prodicus Chius? qui ea quæ prodessent hominum vitæ, deorum in numero habita esse dixit: quam tandem religionem reliquit? quid? qui aut fortes, aut claros, aut potentes viros tradunt post mortem ad deos peruenisse? eosq; esse ipsos, quos nos colere, precari, venerariq; soleamus? nonne expertes sunt religionum omnium? quæ ratio maxime tractata ab Euhemero est: quem noster & interpretatus & secutus est præter cæteros Ennius. ab Euhemero autem, & mortes, & sepulturæ demonstrantur deorum. vtrum igitur hic confirmasse religionem videtur? an penitus totam sustulisse? omitto Eleusinam sanctam illam & augustam:

Vbi initiantur gentes orarum vltimæ.

Prætereo Samothraciam : eaq;, quæ Lemni nocturno aditu occulta coluntur siluestribus sæpibus densa. quibus explicatis, ad rationem q; reuocatis, rerum magis natura cognoscitur, quàm deorum. Mihi quidem etiam Democritus, vir magnus imprimis, cuius fontibus Epicurus hortulos suos irrigauit : nutare videtur in natura deorum. tum enim censet imagines diuinitate præditas inesse vniuersitati rerum : tum principia, mentesq;, quæ sunt in eodem vniuerso, deos esse dicit : tum animantes imagines, quæ vel prodesse nobis solent,

bis solent: vel nocere: tum ingentes quasdam imagines, tantasq3, vt vniuersum mundū complectantur extrinsecus. quæ quidē omnia sunt patria Democriti, quàm Democrito digniora. quis enim istas imagines comprehendere animo potest? quis admirari? quis aut cultu, aut religione dignas iudicare? Epicurus vero ex animis hominū extraxit radicitus religionem: cū dys immortalibus & opem, & gratiā sustulit. cum enim optimam & præstantissimā naturam dei dicat esse: negat idem esse in deo gratiā. tollit id quod maximè proprium est optimæ præstantissimæq3 naturæ. quid enim melius, aut quid præstantius, bonitate, & beneficentiā? qua cū carere deū vult: neminem deo nec deum, nec hominē carū, neminē ab eo amari, neminē diligi vultis. Ita fit vt nō modo homines à dijs, sed ipsi dy inter se ab alijs aly negligātur. Quanto stoici melius: qui à vobis reprehēdun tur. censent autē sapientes sapientibus etiā ignotis esse amicos. nihil est enim virtute amabilius. quā qui adeptus erit, vbicunq3 erit gentium, à nobis diligetur. vos autem quid mali datis? cū imbecillitatem, gratificationē, & beneuolentiam ponitis. vt enim omittam vim & naturam deorum: ne homines quidē censetis, nisi imbecilli essent: futuros beneficos, & benignos fuisse. nulla est charitas naturalis inter bonos. charum ipsum verbum est amoris: ex quo amicitiæ nomen est ductum: quam si ad fructum nostrum referemus, non ad illius commoda, quē diligimus: non erit ista amicitia, sed mercatura quædā vtilitatum suarum: prata, & arua, & pecudū greges diliguntur isto modo: quod fructus ex his capiūtur. hominū charitas, & amicitia, gratuita est. quanto

igitur magis deorum? qui nulla re egentes sunt & inter se diligunt: & hominibus cõsulunt. quod ni ita sit: quid veneramur, quid precamur deos? cur sacris pontifices, cur auspicijs augures præsunt? quid optamus à dijs immortalibus? quid vouemus? At etiam Epicuri liber est de sanctitate. ludimur ab homine nõ tam faceto, quàm ad scribendi licentiam libero. quæ enim potest esse sanctitas? si dij humana nõ curant? quæ autẽ animans natura, nihil curans? verius est igitur illud nimirũ: quod familiaris omnium nostrum Posidonius disseruit in libro quinto de natura deorum: nullos esse deos Epicuro videri: quæq; is de dijs immortalibus dixerit, inuidiæ detestandæ gratia dixisse. neq; enim tam desipiens fuisset: vt homunculis similem deum fingeret, liniamentis duntaxat extremis, non habitu solido: membris hominis præditum omnibus, vsu membrorum ne minimo quidem: exilem quendam, atq; perlucidum, nihil cuiquam tribuentẽ, nihil gratificantem, omnino nihil curantem, nihil agentem. quæ natura primũ nulla esse potest: idq; videns Epicurus, re tollit, oratione reliquit deos. deinde si maximè talis est deus: vt nulla gratia, nulla hominum charitate teneatur: valeat: quid enim dicam, propitius sit? esse enim propitius potest nemini: quoniam vt dicitis omnis in imbecillitate est & gratia, & charitas.

M. T.

M. T. CICERONIS DE NATVRA DEORVM LIBER SECVNDVS.

QVacum Cotta dixisset: tũ Velleius, ne ego, inquit, incautus: q̃ cùm Academico, & eodẽ rhetore cõgredi conatus sum. nam neq; indisertum academicũ pertimuisse: nec sine ista philosophia, rhetorẽ quamuis eloquentẽ. neq; enim flumine conturbor inanium verborum nec subtilitate sententiarũ, si orationis est siccitas. tu autem Cotta, vtraq; re valuisti: corona tibi, & iudices defuerũt sed ad ista aliàs. nunc Lucilium, si ipsi commodũ est, audiamus. Tum Balbus eundẽ inquit mallem audire Cottam: dum, qua eloquentia falsos deos sustulit: eadẽ veros inducat. est enim & philosophi, & pontificis, & Cottæ: de dijs immortalibus habere non erraniem, & vagam vt academici, sed vt nostri stabilem, certamq; sententiam. nã contra Epicurum satis superq; dictum est. sed aueo audire tu ipse Cotta quid sentias. An, inquit, oblitus es, quod initio dixerim, facilius me, talibus præsertim de rebus, quid non sentirem, quàm quid sentirẽ posse dicere? quod si haberem, aliquid, quod liqueret: tamen te audire vicissim vellẽ: cùm ipse tam multa dixissem. Tum Balbus geram tibi morem: & agam quã breuissime potero. erenim conuictus Epicuri erroribus, longa de mea disputatione detracta oratio est. Omnino diuidunt nostri totam,

istam de dijs immortalibus quæstionem in partes quatuor. Primum docent esse deos. Deinde quales sint. Tum mundum ab his administrari. Postremo consulere eos rebus humanis. Nos autẽ hoc sermone, quæ priora duo sunt, sumamus: tertiũ, & quartum, quia maiora sunt, puto in aliud esse tempus differenda. Minime vero inquit Cotta: nam & ocioſi sumus: & ijs de rebus agimus, quæ sunt etiam negocijs anteponendæ. Tum Lucilius, ne egere quidem videtur, inquit, oratione prima pars. quid enim potest esse tam apertum, tamq; perspicuum? cũ cœlum suspeximus: cœlestiaq; contemplati sumus: quàm esse numen præstantissimæ mentis: quo hæc regantur? quod ni ita esset: qui potuisset assensu omnium dicere Ennius?

Aspice hoc sublime candens: quẽ inuocant omnes Iouẽ.
Illum vero & Iouem, & dominatorem rerũ, & omnia nutu regentem, &, vt idem Ennius,
-patrem, diuûmq; hominumq;,
Et præsentem, ac prapotentẽ deum. quod qui dubitat, haud sane intelligo, cur non idẽ, sol sit, an nullus sit, dubitare possit. quid enim est hoc illo euidentius? quod nisi cognitũ comprehensumq; animis haberemus: non tam stabilis opinio permaneret: nec confirmaretur diuturnitate temporis: nec vnà cum seculis, ætatibusq; hominum inueterare potuisset. etenim videmus cæteras opiniones fictas, atq; vanas diuturnitate extabuisse. quis enim hyppocentaurum fuisse, aut chimerã putat? quæue anus tam excors inueniri potest? quæ illa, quæ quondam credebantur, apud inferos portẽta extimescat? opinionum enim commenta delet dies: naturæ iudicia confirmat.

firmat. itaq; & in nostro populo, & in cæteris, deorum cultus religionumq; sanctitates existunt indies maiores, atq; meliores. Idq; euenit non temere, nec casu: sed quod præsentiam sæpe diui suam declarant: vt & apud regillum bello Latinorũ: cum A. Posthumius dictator cum Octauio Mamilio Tusculano prælio dimicaret: in nostra acie Castor, et Pollux ex equis pugnare visi sunt: & recentiore memoria eydem Tyndaridæ Persen victũ nunciauerunt. P. enim Vatienus, auus huius adolescentis, cũ è præfectura Reatina Romam venienti noctu duo iuuenes cum equis albis dixissent, regem Persen illo die captum: senatui nunciauit: & primo quasi temere de Repub. locutus, in carcerem coniectus est: post à Paulo literis allatis, cum idem dies constitisset: & agro à senatu, & vacatione donatus est. Atq; etiam cũ ad fluuiũ Sagram Crotoniatas Locri maximo prælio deuicissent: eo ipso die auditã esse eam pugnam ludis Olympiæ memoriæ proditũ est. Sæpe faunorum voces exauditæ, sæpe visæ formæ deorum, quemuis aut nõ hebetem, aut impium, deos præsentes esse confiteri coëgerunt. Prædictiones vero, & præsensiones rerum futurarum quid aliud declarant? nisi hominibus ea, quæ sint, ostendi, monstrari, portendi, prædici? ex quo illa ostenta, monstra, portenta, prodigia dicuntur. Quod si ea ficta credimus licentia fabularum, Mopsum, Tiresiam, Amphiaraum, Calchantem, Helenum: quos tamen augures ne ipsæ quidem fabulæ asciuissent: si res omnino repudiarent: ne domesticis quidem exemplis docti, numen deorum comprobamus? nihil nos P. Claudij bello Punico primo temeritas mouebit? qui

etiam per iocum deos irridens, cũ cauea liberati pulli non pascerentur: mergi eos in aquã iussit: vt biberẽt, quoniã esse nollẽt. qui risus, classe deiecta, multas ipsi lachrymas, magnam populo Romano cladẽ attulit. quid? collega eius Iunius, eodem bello, nonne tempestate classem amisit? cum auspicijs non paruisset? Itaq; P. Claudius à populo condemnatus est. Iunius necẽ sibi ipse consciuit. C. Flaminium Celius religione neglecta cecidisse apud Thrasimenũ scribit, cũ magno Reip. vulnere. quorum exitio intelligi potest: eorum imperijs Remp. amplificatã, qui religionibus paruissent. & si cõferre volumus nostra cùm externis: cæteris rebus aut pares aut etiam inferiores reperiemur: religione, id est, cultu deorum, multo superiores. An Attij Nauij lituus ille, quo ad inuestigandum suem regiones vineæ terminauit, contemnendus est? crederem: nisi eius augurio rex Hostilius maxima bella gessisset. sed negligentia nobilitatis augurij disciplina omissa, veritas auspiciorum spreta est: species tantum retenta. Itaq; maximæ Reip. partes? in his bella, quibus Reipub. salus continetur: nullis auspicijs administrantur: nulla perennia saluantur: nulla ex acuminibus: nulli viri vocantur: ex quo in procinctu testamenta perierunt. tũ enim bella gerere nostri duces incipiunt: cùm auspicia posuerunt. at vero apud maiores tanta religionis vis fuit: vt quidam imperatores etiam scipsos dijs immortalibus capite velato verbis certis pro Rep. deuouerent. Multa ex Sibyllinis vaticinationibus, multa ex aruspicum responsis commemorare possum: quibus ea confirmentur: quæ dubia nemini debent esse. Atqui &

nostrorum

nostrorum augurum, & Hetruscorum, & aruspicũ disciplinã P. Scipione, C. Figulo consulibus res ipsa probauit. quos cum Tibe. Gracchus consul iterum crearet, primus rogatorum, vt eos retulit, ibidẽ est repente mortuus. Gracchus cũm comitia nihilominus peregisset: remq; illam in religionem populo venisse sentiret: ad senatum retulit: senatus, quos ad soleret, referendũ censuit. aruspices introducti, responderunt, non fuisse iustum comitiorum rogatorem. tum Gracchus, vt è patre audiebam, incensus ira, ita ne vero? ego non iustus? qui & consul rogaui, & augur, & auspicato? an vos Thusci ac barbari auspiciorũ populi Ro. ius tenetis? & interpretes esse comitiorum potestis? itaq; tum illos exire iussit. post autem ex prouincia literas ad collegium misit: se, cum legeret libros, recordatum esse vitio sibi tabernaculum captum fuisse in hortos Scipionis, quod, cum pomeriũ postea intrasset habendi senatus causa: in redeundo, cùm idem pomerium transiret, auspicari esset oblitus: itaq; vitio creatos esse consules. augures rem ad senatũ: senatus vt abdicarent consules abdicauerunt. quæ quærimus exempla maiora? vir sapientissimus, atq; haud scio an omnium præstantissimus, peccatum suum, quod celari posset, confiteri maluit: quam hærere in Rep. religionem: Consules summum imperium statim deponere: quàm id tenere punctum temporis contra religionem. Magna augurum authoritas. quid aruspicum ars? nonne diuina? hæc innumerabilia ex eodem genere qui videat, nonne cogatur confiteri deos esse? quorum enim interpretes sunt, eos ipsos esse certè necesse est. deorum autem.

interpretes sunt. deos igitur fateamur. At fortasse non omnia eueniunt, quæ prædicta sunt. ne ægri quidem, quia non omnes conualescunt, iccirco ars nulla medicina est. Signa ostenduntur à dijs rerum futurarum. in his, si qui errauerunt: non deorum natura, sed hominum coniectura peccauit. itaq; inter omnes omnium gentiũ sententia constat. omnibus enim innatũ est, & in animo quasi insculptum, esse deos. Quales sint, varium est: esse nemo negat. Cleanthes quidem noster quatuor de causis dixit in animis hominũ informatas deorum esse notiones. Primam posuit eam, de qua modo dixi: quæ orta esset ex præsensione rerũ futurarum. Alteram, quam ceperimus ex magnitudine commodorum: quæ percipiuntur cœli temperatione, fœcunditate terrarum, aliarumq; commoditatum complurium copia. Tertiam, quæ terreret animos fulminibus, tempestatibus, nimbis, niuibus, grandinibus, vastitate, pestilentia, terræ motibus, & sæpe fremitibus, lapideisq; imbribus, & guttis imbrium quasi cruentis, tum lapidibus, aut repentinis terrarum hiatibus, tum præter naturam hominum, pecudumq; portentis, tum facibus visis cœlestibus, tum stellis his, quas græci Cometas, nostri crinitas vocant: quæ nuper bello Octauiano magnarum fuerunt calamitatum prænuncia: tum sole geminato, quod vt è patre audiui, Tuditano, & Aquilio Consulibus euenerat: quo quidem anno, P. Africanus sol alter extinctus est. quibus exterriti homines, vim quandam esse cœlestem, & diuinam suspicati sunt. Quartã causam esse: eamq; vel maximam, æquabilitatem motus, conuersionẽ cœli, solis,

luna,

lunæ, syderumq; omnium distinctionem, vtilitatem, pulchritudinem, ordinem: quarum rerum aspectus ipse satis indicaret, non esse ea fortuita. Vt si quis in domum aliquam, aut in Gymnasiū, aut in forum venerit: cum videat omnium rerum rationem, modū, disciplinam: non possit ea sine causa fieri iudicare: sed esse aliquē intelligat: qui præsit: & cui pareatur. multo magis in tantis motibus, tantisque vicissitudinibus, tam multarum rerum atque tantarum ordinibus, in quibus nihil vnquam immensa, & infinita vetustas mentita sit: statuat necesse est, ab aliqua mente tantos naturæ motus gubernari. Chrysippus quidem, quanquam est acerrimo ingenio: tamen ea dicit: vt ab ipsa natura didicisse, non vt ipse reperisse videatur. Si enim, inquit, est aliquid in rerum natura: quod hominis mens, quod ratio, quod vis, quod potestas humana efficere nō possit, est certe id, quod illud efficit, homine melius. atqui res cœlestes, omnesq; hæ, quarū est ordo sempiternus, ab homine confici non possunt. est igitur id, quo illa conficiuntur, homine melius. id autē quid potius dixerim, quàm deū? etenim si dij non sunt: quid esse potest in rerū natura homine melius? in eo enim solo ratio est: qua nihil potest esse præstantius. esse autem hominem, qui nihil in omni mundo melius esse, quàm se putet, desipientis arrogantiæ est. ergo est aliquid melius. est igitur profectò deus. An vero si domum magnam, pulchramq; videris, non possis adduci, vt, etiam si dominum non videas, muribus illam, & mustellis ædificatam putes? tantum vero ornatum mundi, tantam varietatem, pulchritudinem, quę rerum cœlestium, tantam vim & magnitudinem

maris atq; terrarum, si tuum, ac nõ deorum immortalium domicilium putes: nonne plane desipere videare? An ne hoc quidem intelligimus? omnia supera esse meliora: terram autem esse infimam: quam crassissimus circunfundat aër: vt ob eam ipsam causam, quod etiam quibusdam regionibus, atque vrbibus contingere videmus: hebetiora vt sint hominum ingenia, propter cœli pleniorem naturam: hoc idem generi humano euenerit: quod in terra, hoc est in crassissima regione mundi collocati sint. & tamen ex ipsa hominum solertia, esse aliquam mentem, & eam quidem acriorem, & diuinam existimare debemus. vnde enim hanc homo arripuit? vt ait apud Xenophontem Socrates. quin & humorẽ, & calorem, qui est fusus in corpore, & terrenam ipsam viscerum soliditatem, animũ denique illum spirabilem, si quis quærat vnde habemus, apparet: quod aliud à terra sumpsimus: aliud ab humore: aliud ab igne: aliud ab aëre eo, quem spiritum dicimus. illud autem, quod vincit hæc omnia, rationem dico, & si placet pluribus verbis, mentem, consilium, cogitationem, prudentiam vbi inuenimus? vnde sustulimus? an cætera mundus habebit omnia? hoc vnum, quod plurimum est, non habebit? Atqui certum nihil omnium rerum melius est mundo: nihil præstabilius: nihil pulchrius: nec solum nihil est: sed ne cogitari quidem quicquam melius potest. & si ratione & sapientia nihil est melius: necesse est hæc ineesse in eo, quod optimum esse concedimus. Quid vero tanta rerum consentiens, conspirans, continuata cognatio? quem non coget ea quæ à me dicuntur, comprobare? posset ne vno tempore florere,

florere, deinde vicissim horrere terra? aut, tot rebus ipsis se immutantibus, solis accessus, discessusq; solstitijs, brumisq; cognosci? aut æstus maritimi, fretorumque angustiæ ortu, aut obitu lunæ commoueri? aut vna totius cœli conuersione cursus astrorum dispares conseruari? hæc ita fieri omnibus inter se continentibus mundi partibus profecto non possent: nisi ea vno diuino, & continuo spiritu continerentur. Atque hæc cum vberius disputantur, & fusius: vt mihi est in animo facere: facilius effugiunt Academicorum calumniam. cum autẽ, vt Zeno solebat, breuius, angustiusq; concluduntur: tum apertiora sunt ad reprehendendum. nam vt profluens amnis, aut vix, aut nullo modo: concluſa autem aqua facile corrumpitur: sic orationis flumine reprehensoris vicia diluuntur: angustia autem concluſæ orationis non facile se ipsa tutatur. hæc enim, quæ dilatantur à nobis, Zeno sic premebat. Quod ratione vtitur, id melius est, quàm id quod ratione non vtitur. nihil autem mundo melius, ratione igitur mundus vtitur. Similiter effici potest sapientem esse mundũ: similiter beatum: similiter æternum. omnia enim hæc meliora sunt, quam ea, quæ sunt his carentia: nec mundo quicquam melius: ex quo efficitur esse mundum deum. Idemque hoc modo: nullius sensu carentis, pars aliqua potest esse sentiens: mundi autem partes sentientes sunt: non igitur caret sensu mundus. pergit idem, & vrget angustius. nihil inquit quod animi, quodq; rationis est expers: id generare ex se potest animantẽ, cõpotemq; rationis: mundus autẽ generat animantes, compotesq; rationis. animans est igitur mundus, cõposq; rationis. Idemq;

simi-

similitudine, vt sæpe solet, rationem conclusit hoc modo. Si ex oliua modulate canentes tibiæ nascerentur. non dubitares, quin esset in oliua tibicinis quædam scientia. quid, si platani fidiculas ferrent numerose sonantes? idē scilicet censeres: in platanis inesse musicam. cur igitur mundus non animans, sapiénsque iudicetur: cum ex se procreet animantes, atque sapientes? Sed quoniā cœpi secus agere, atq; initio dixeram. negaram enim hanc primam partem egere oratione: quod esset omnibus perspicuum, deos esse: tamē id ipsum rationibus physicis, id est naturalibus, confirmari volo. sic enim res se habet: vt omnia, quæ alantur, & crescant, cōtineant in se vim caloris: sine qua neq; ali possent, neq; crescere. nam omne quod est calidum, & igneum: cietur, & agitur motu suo: quod autem alitur, & crescit, motu quodam vtitur certo, & æquabili: qui quandiu remanet in nobis: tandiu sensus, & vita remanet. refrigerato autem, & extincto calore, occidimus ipsi, et extinguimur. quod quidem Cleanthes his etiam argumentis docet, quanta vis insit caloris in omni corpore. negat enim vllum esse cibum tam graue: quin is die, et nocte concoquatur: cuius etiam in reliquys ineſt calor his, quas naturare spuerit. Iam vero venæ, & arteriæ micare non desinunt, quasi quodam igneo motu: animaduersumque sæpe est, cum cor animantis alicuius euulsum, ita mobiliter palpitaret: vt imitaretur igneam celeritatem. Omne igitur quod viuit, siue animal, siue terra editum, id viuit propter inclusum in eo calorem. ex quo intelligi debet eam caloris naturam vim in se habere vitalem per omnem mundum pertinentem. Atque

id fa-

id facilius cernemus toto genere hoc igneo, quod tranat omnia, subtilius explicato. Omnes igitur partes mundi (tangam autem maximas) calore fultæ sustinentur. quod primum in terrena natura perspici potest. nam & lapidum conflictu, atq; tritu elici ignem videmus: & recenti fossione

-terram fumare calentem:

atq; etiam ex puteis iugibus aquam calidam trahi: & id maximè hybernis fieri temporibus: quod magna vis terræ cauernis contineatur caloris: eaq; hyeme sit densior: ob eamq; causam calorem insitum in terris contineat arctius. Longa est oratio, multæq; rationes: quibus doceri possit, omnia, quæ terra concipiat semina: quæq; ipsa ex se generata stirpibus infixa contineat: ea temperatione caloris & oriri, & augescere. Atq; aquæ etiam admistum esse calorem, primum ipse liquor aquæ declarat effusæ: quæ neq; conglaciaret frigoribus: neq; niue pruinaq; concresceret: nisi eadem se admisto calore liquefacta, & dilapsa diffunderet. itaq; & aquilonibus, reliquisq; frigoribus adiectis durescit humor: & idem vicissim mollitur tepefactus, & tabescit calore. atq; etiã maria agitata ventis ita tepescũt: vt intelligi facile possit in tantis illis humoribus inclusum esse calorem. nec enim ille externus, & aduentitius habendus est tepor: sed ex intimis maris partibus agitatione excitatus: quod nostris quoque corporibus contingit, cum motu atque exercitatione recalescunt. Ipse vero aër, qui natura est maxime frigidus: minime est expers caloris. ille vero & multo quidem calore admistus est. ipse enim oritur ex respiratione aquarum. earum enim quasi

vapor

vapor quidam aër habendus est. is autem existit motu eius caloris, qui aquis continetur. quam similitudinem cernere possumus in his aquis, quæ efferuescunt subditis ignibus. Iam vero reliqua quarta pars mundi, ea & ipsa tota natura feruida est: & cæteris naturis omnibus salutarem impertit, & vitalem calorem. ex quo concluditur, cum omnes mundi partes sustineantur calore: mundum etiam ipsum simili, pariq; natura in tanta diuturnitate seruari: eoq; magis, quod intelligi debet calidum illud, atque igneum, ita in omni fusum esse natura: vt in eo insit procreandi vis, & causa gignendi: à quo & animantia omnia, & ea quorum stirpes terra continentur, & nasci sit necesse, & augescere. natura est igitur, quæ contineat mundum omnem: eumq; tueatur: & ea quidem, non sine sensu, atq; ratione. omnem enim naturam necesse est, quæ non solitaria sit, neque simplex, sed cum alio coniuncta, atq; connexa: habere aliquem insc principatum: vt in homine mentem: in bellua quidda simile mentis: vnde oriantur rerum appetitus. In arborum autem, & earum rerum quæ gignuntur è terra, radicibus inesse principatus putatur. Principatum autem id dico: quod græci ἡγεμονικὸν vocant: quo nihil in quoque genere nec potest, nec debet esse præstantius, itaque necesse est illud etiam, in quo sit totius naturæ principatus: esse omnium optimum, omniumque rerum potestate dominatuq; dignissimũ. videmus autem in partibus mundi (nihil est enim in omni mundo: quod non pars vniuersi sit) inesse sensum & rationẽ. in ea parte igitur, in qua mundi ineſt principatus, hæc inesse necesse est: & acriora quidem, atq; maiora. quæ

circa

circa sapientem esse mundum necesse est: naturamque eam quæ res omnes complexa teneat, perfectione rationis excellere: eoq; deum esse mundum: omnemq; vim mundi diuina natura contineri. Atque etiam mundi feruor ille purior, perlucidior, mobiliorq; multo, ob easq; causas aptior ad sensus commouendos: quàm hic noster calor: quo hæc quæ nobis nota sunt, retinentur, & vigent. absurdū est igitur dicere, cum homines, bestiæque hoc calore teneantur: & propterea moueantur ac sentiant: mundum esse sine sensu: qui integro, & puro, & libero, eodemq; acerrimo, & mobilissimo ardore teneatur: præsertim cum ardor, qui est mundi, non agitatus ab alio, neq; externo pulsu, sed perse ipse, ac sua sponte moueatur. nam quid potest esse mundo valentius? quod pellat, atque moueat calorē eū, quo ille teneatur? audiamus enim Platonem quasi quendam deū philosophorum: cui duos placet esse motus: vnum suum, alterum externum: esse autem diuinius, quod ipsum ex se sua sponte moueatur: quàm quod pulsu agitur alieno. hunc autem motum in solis animis esse ponit: ab hisq; principium motus esse ductum putat. Quapropter quoniam ex mundi ardore motus omnis oritur: is autem ardor non alieno impulsu, sed sua sponte monetur: animus sit necesse est. ex quo efficitur animantem esse mundū. Atq; ex hoc quoq; intelligi poterit, in eo inesse intelligentiam: quòd certe est mundus melior quàm vlla natura. vt enim nulla pars corporis nostri est: quæ non sit minor, quàm nosmetipsi sumus: sic mundum vniuersum pluris esse necesse est, quàm partem aliquam vniuersi. quod si ita est: sapiens sit mundus necesse est.

nam

nam ni ita esset, hominem, qui esset mundi pars, quoniam rationis est particeps: pluris esse quàm mundũ omnem oporteret. Atq; etiam si à primis inchoatisq; naturis ad vltimas perfectasq; volumus procedere: ad deorũ naturã perueniamus necesse est. primo enim animad uertimus à natura sustineri ea, quæ gignuntur è terra: quibus natura nihil tribuit amplius: quàm vt ea alendo, atq; augendo tueretur. bestijs autem sensum et motũ dedit, & cum quodã appetitu accessum ad res salutares à pestiferis recessum, homini hoc amplius: quod addidit rationem, qua regerentur animi appetitus: quitum remitterentur, tũ continerentur. quartus autem est gradus, & altissimus, eorum, qui natura boni, sapientesq; gignuntur: quibus à principio innascitur ratio recta, constans q;: quæ supra hominem putanda est, deo tribuenda, id est, mundo: in quo necesse est perfectam illam, atque absolutam inesse rationem: neque enim dici potest in vlla rerum institutione esse aliquid extremum, atque perfectum. vt enim in vite, vt in pecude (nisi quæ vis obstitit) videmus naturam suo quodam itinere ad vltimũ peruenire: atq; vt pictura, & fabrica, cæteraq; artes habent quendam absoluti operis effectum: sic in omni natura, ac multo etiam magis necesse est absolui aliquid, ac perfici. etenim cæteris naturis multa externa, quo minus perficiantur, possunt obsistere: vniuersam autem naturam nulla res potest impedire: propterea quod omnes naturas ipsa cohibet, & continet. quocirca necesse est esse illum quartum, & altissimum gradum: quo nulla vis possit accidere, is autem gradus est, in quo rerum omnium natura ponitur: quæ

quoniam

quoniam talis est, vt & præsit omnibus: & eam nulla res possit impedire: necesse est, intelligentẽ esse mundũ, & quidem etiam sapientem. Quid autem est insciti-us, quàm eam naturã, quæ omnes res sit complexa, non optimam dici? aut, cum sit optima: non primùm animantem esse? deinde rationis, & consily compotem? postremo sapientẽ? qui enim aliter potest esse optima? neq; enim si stirpium similis sit, aut etiam bestiarũ, optima putanda sit potiùs, quàm deterrima: nec vero, si rationis particeps sit: nec sit tamen à principio sapiens: non sit deterior mundi potiùs, quàm humana conditio. homo enim sapiens fieri potest: mundus autẽ, si in æterno præteriti temporis spatio fuit insipiens: nunquã profecto sapientiam consequetur. ita erit homine deterior. quod quoniam absurdum est: & sapiens à principio mundus, & deus habendus est. neq; enim est quidquam aliud præter mundum: cui nihil absit: quodq; vndiq; aptum, atq; perfectum, expletumq; sit omnibus suis numeris, & partibus. Scite enim Chrysippus, vt clypei causa inuolucrum: vaginam autem gladij, sic præter mundũ cætera omnia aliorũ causa esse generata, vt eas fruges, atq; fructus, quos terra gignit, animãtium causa, animantes autẽ hominum, vt equum vehendi causa, arandi bouem, venandi, & custodiendi canem, ipse autem homo ortus est ad mundum contemplandum, & imitandũ, nullo modo perfectus, sed est quædam particula perfecti. Sed mundus, quoniam omnia complexus est: nec est quidquam quod non insit in eo: perfectus vndiq; est. quid igitur potest ei deesse, quod est optimum? nihil autem est mente &

ratione melius. ergo hæc mundo deesse non possunt. Bene igitur idem Chrysippus: qui similitudines adiungens omnia in perfectis, & maturis docet esse meliora: vt in equo, quàm in equulo, in cane, quàm in catulo, in viro, quàm in puero. itē quod in omni mundo optimum sit, id in perfecto aliquo, atq; absoluto esse debere. est autem mundo nihil perfectius: nihil virtute melius: igitur mundi est propria virtus. nec vero hominis natura perfecta est: & efficitur tamen in homine virtus. quāto igitur in mundo facilius? est ergo in eo virtus sapiens igitur est: & propterea deus. Atq; hac mundi diuinitate perspecta, tribuenda est syderibus eadem diuinitas: quæ ex nobilissima, purissimaq; ætheris parte gignuntur: neq; vlla præterea sunt admista natura: totaq; sunt calida, atq; perlucida: vt ea quoq; rectissime & animantia esse, & sentire, atq; intelligere dicantur. Atq; ea quidem tota esse ignea duorum sensuum testimonio confirmari Cleanthes putat, tactus, & oculorū. nam solis calor & candor illustrior quàm vllus ignis: quippe qui immenso mundo tam longe, lateq; colluceat: & is eius tactus est: non vt tepefaciat solū: sed etiā sæpe comburat. quorū neutrum faceret, nisi esset igneus. ergo, inquit, cum sol igneus sit: oceanioq; alatur humoribus: quia nullus ignis sine pastu aliquo possit permanere. necesse est aut ei similis sit igni, quē habemus ad vsum, atq; ad victum aut ei, qui corporibus animantium continetur. atq; hic noster ignis, quem vsus vitæ requirit, cōfector est, & consumptor omniū: idemq; quocunque innatat, cuncta disturbat, ac dissipat. contra ille corporeus, vitalis, & salutaris omnia conseruat, alit, auget,

alit, auget, sustinet, sensuq; afficit. negat ergo esse dubium, horũ ignium sol vtri similis sit: cum is quoq; efficiat, vt omnia floreant: & in suo quæq; genere pubescant. quare cum solis ignis similis eorum igniũ sit: qui sunt in corporibus animantiũ: solem quoq; animantem esse oportet. & quidem reliqua astra: quæ oriantur in ardore cœlesti: qui æther, vel cœlũ nominatur. cum igitur aliorũ animantium ortus in terra sit: aliorum in aqua: in aëre aliorum: absurdum esse Aristoteli videtur, in ea parte, quæ sit ad gignenda animantia aptissima, animal gigni nullũ putare. Sydera autem æthereum locum obtinent: qui quoniam tenuissimus est: & semper agitatur, & viget: necesse est, quod animal in eo gignatur, id & sensu acerrimo, & mobilitate celerrima esse. quare cũ in æthere astra gignantur: consentaneum est, in his sensum ineſſe, & intelligentiã. ex quo efficitur, in deorum numero astra esse ducenda. etenim licet videre acutiora ingenia, & ad intelligendũ aptiora eorum, qui terras incolant eas, in quibus aër sit purus, ac tenuis: quàm illorum, qui vtantur crasso cœlo, atq; concreto. Quin etiam cibo quo vtare, interesse aliquid ad mentis aciem putant. probabile est igitur præstantẽ intelligentiam in syderibus esse: quæ & atheream mundi partem incolant: & marinis, terrenisq; humoribus longo interuallo extenuatis alantur. Sensum autem astrorum, atq; intelligentiam maximè declarat ordo eorũ, atque constantia. nihil est enim quod ratione, & numero moueri possit, sine consilio: in quo nihil est temerarium: nihil varium: nihil fortuitum. ordo autem syderum, & in

omni æternitate constantia, neq; naturã significat: est enim plena rationis: neque fortunã: quæ amica varietati constantiã respuit. sequitur ergo, vt ipsa sua sponte, suo sensu, ac diuinitate moueantur. Nec vero Aristoteles non laudandus in eo: quod omnia, quæ mouentur, aut natura moueri censuit, aut vi, aut voluntate: moueri autẽ Solem, & Lunam, & sydera omnia. quæ autem natura mouerentur: hæc aut pondere deorsum, aut leuitate in sublime ferri: quorũ neutrum astris contingeret: propterea quod eorum motus in orbem circumferretur. nec vero dici potest vi quadã maiore fieri: vt contra naturam astra moueantur. quæ enim potest maior esse? restat igitur vt motus astrorum sit voluntarius. quæ qui videat: non indoctè solum, verum etiam impiè faciat: si deos esse neget. Nec sanè multũ interest, vtrum id neget, an eos omni procuratione, atq; actione priuet. mihi enim, qui nihil agit, esse omnino non videtur. Esse igitur deos ita perspicuũ est: vt id qui neget, vix eum sanæ mentis existimem.

Restat, vt qualis eorum natura sit, consideremus: in quo nihil est difficilius, quàm à consuetudine oculorũ aciem mentis abducere: ea difficultas induxit & vulgo imperitos, et similes philosophos imperitorum: vt, nisi figuris hominũ constitutis, nihil possent de dys immortalibus cogitare. cuius opinionis leuitas confutata à Cotta non desiderat orationem meam. sed cũ talem esse deum certa notione animi præsentiamus: primũ vt sit animans: deinde vt in omni natura nihil eo sit præstantius: ad hanc præsensionem, notionemq; nostram nihil video quod potius accommodem: quàm vt primus

mum hunc ipsum mundũ, quo nihil fieri excellentius potest: animantem esse, & deum iudicem. Hic quàm volet Epicurus iocetur, homo non aptissimus adiocandum? minimeq; respiciens patriã: & dicat se non posse intelligere, qualis sit volubilis, & rotundus deus: tamẽ ex hoc, quod ipse etiam probat: nunquam me mouebit. placet enim illi esse deos: quia necesse sit præstantem aliquam esse naturam: qua nihil sit melius. mundo autẽ certè nihil est melius. nec dubium quin quod animans sit, habeatq; sensum, & rationẽ, & mentem: id sit melius, quàm id, quod ys careat. ita efficitur, animãtem, sensus, mentis, rationis mundũ esse compotem. qua ratione deum esse mundũ concluditur. Sed hæc paulo post facilius cognoscentur ex his rebus ipsis: quas mundus efficit. interea Vellei noli quæso præferre vos planè expertes esso doctrinæ. conum tibi ais, & cylindrum, & pyramidem pulchriorẽ, quàm sphæram videri. nouum etiam oculorum iudicium habetis. sed sint ista pulchriora, duntaxat aspectu: quod mihi tamen ipsum non videtur. quid enim pulchrius ea figura? quæ sola omnes alias figuras complexa continet: quæq; nihil asperitatis habere, nihil offensionis potest: nihil inciſum angulis, nihil anfractibus, nihil eminens, nihil lacunosum. cumq; duæ formæ præstantes sint, ex solidis, globus (sic enim σφαῖραν interpretari placet) ex planis autem circulus, aut orbis: qui κύκλος Græce dicitur: his duabus formis contingit solis, vt omnes earum partes sint inter se similimæ: à medioq; tantum absit extremum, quam tum idem à summo. quo nihil fieri potest aptius. sed si

hæc non videtis: quia nunquam eruditũ illum puluerem attigistis: ne hoc Physici quidẽ intelligere potuistis? hanc æqualitatem motus, constantiamq; ordinum, in alia figura non potuisse seruari? itaq; nihil potest esse indoctius: quàm quod à vobis affirmari sõlet. nec enim hunc ipsum mundũ pro certo rotundum esse dicitis. nam posse fieri vt sit alia figura: innumerabilesq; mundos, alios aliarum esse formarum. quæ, si bis bina quid essent didicisset Epicurus, certè non diceret. sed dũ palato quid sit optimum iudicat: cœli palatum (vt ait Ennius) non suspexit. nam cum duo sint genera syderum: quarũ alterum spacijs immutabilibus ab ortu ad occasum commeans, nullum vnquam cursus sui vestigium inflectat: alterum autem continuas conuersiones duas eisdem spacijs cursibusq; conficiat: ex vtraq; re & mundi volubilitas, quæ nisi in globosa forma esse non posset, & stellarũ rotundi ambitus cognoscuntur: primusq; sõl qui astrorũ obtinet principatũ, ita mouetur: vt cum terras larga luce compleuerit: eadem modo his, modo illis ex partibus opacet. ipsa enim vmbra terræ sõli officiens, noctem efficit. Nocturnorũ autem spatiorum eadem est æquabilitas, quæ diurnorum. eiusdemq; sõlis tum accessus modici, tũ recessus, & frigoris & caloris modum temperant. Circuitus enim sõlis orbium V defectibus & L X & CCC, quarta ferè dici parte addita, conuersionem conficiunt annuam, inflectens autẽ sol cursum cum ad septentriones, tũ ad meridiem, æstates, & hyemes efficit: & ea duo tempora: quorum alterum hyemi senescenti adiunctum est: alterum æstati. ita ex quatuor temporum

mutationibus

mutationibus omnium, quæ terra, mariq; gignuntur, initia, causæq; ducuntur. Iam solis annuos cursus spacijs menstruis Luna consequitur: cuius tenuissimum lumen facit proximus accessus ad solē: digressus autem longissimus quisq; pleniss imū. neq; solum eius species ac forma mutatur tū crescendo, tum defectibus in initia recurrendo: sed etiā regio: quæ tum est aquilonalis: tum australis. In lunæ quoq; cursu est & brumæ quædam, & solstitij similitudo: multaq; ab ea manant, & fluunt: quibus & animantes alantur, augescantq;: & pubescant. maturitatemq; assequantur, quæ oriuntur è terra. Maximè vero admirabiles sunt motus earum quinq; stellarum: quæ falso vocantur errantes. nihil enim errat: quod in omni æternitate conseruat progressus, & regressus, reliquosq; motus, constantes, & ratos. quod eo est admirabilius in his stellis, quas dicimus: quia tum occultantur: tū rursus aperiuntur: tū abeunt: tum recedunt: tum antecedunt: tum autem subsequuntur: tum celerius mouentur: tum tardius: tum omnino ne mouentur quidem: sed ad quoddā tempus insistunt. quarū ex disparibus motionibus magnū annum mathematici nominauerunt: qui tū efficitur: cū solis, & lunæ, & quinq; errantium ad eandē inter se comparationem confectis omnium spatijs est facta cōuersio. quæ quàm lōga sit, magna quæstio est: esse vero certam, & definitā necesse est. nam ea quæ Saturni stella dicitur: phænonq; à Græcis nominatur: quæ à terra abest plurimum: XXX fere annis cursum suum conficit. in quo cursu multa mirabiliter efficiens tum antecedendo, tum retardando, tum ve-

spertinis temporibus delitescendo, tum matutinis rursum se aperiendo, nihil immutat sempiternis seculorũ ætatibus: quin eadẽ ijsdem temporibus efficiat. Infra autem hanc propius à terra Iouis stella fertur, quæ φαίθων dicitur: eaq; eundem XII signorum orbem annis XII conficit: easdemq; quas Saturni stella, efficit in cursu varietates. huic autem proximũ inferiorem orbem tenet Pyrois: quæ stella Martis appellatur: eaq; IIII & XX mensibus, VI vt opinor, diebus minus, eundem lustrat orbem, quem duæ superiores. Infra hanc autẽ stella Mercurij est: ea στίλβων appellatur à græcis: quæ anno ferè vertente signiferũ lustrat orbem: neque à sole longius vnquã vnius signi interuallo discedit, tũ anteuertens, tum subsequens. Infima est quinq; errantiũ, terræq; proxima, stella Veneris: quæ φώσφορος Græce, lucifer Latinè dicitur, cum antegreditur solem: cum subsequitur autem, hesperos. Ea cursum anno conficit, & latitudinem lustrans signiferi orbis, & longitudinẽ: quod idem faciunt stellæ superiores: neq; vnquam à sole duorũ signorum interuallo longius discedit tum antecedens, tum subsequens. Hanc igitur in stellis constantiam, hanc tantam, tã variys cursibus in omni æternitate conuenientiam temporum, non possum intelligere sine mente, ratione, consilio. quæ cum in syderibus inesse videamus: non possumus ea ipsa non in deorũ numero reponere. Nec vero stellæ hæ, quæ inerrantes vocantur: non significant eandẽ mentem, atque prudentiam: quarũ est quotidiana, conueniens, cõstansq; conuersio. nec habent æthereos cursus, neque cœlo inhærentes, vt plerique dicunt physicæ rationis ignari.

ignari. non est enim ætheris ea natura: vt vi sua stellas complexa contorqueat. nam tenuis, ac perlucens, & æquabili calore suffusus æther, nõ satis ad stellas continendas videtur. habent igitur suam sphæram stellæ inerrantes ab ætherea cõiunctione secretam, et liberam. Earum autem perennes cursus, atq; perpetui, cum admirabili, incredibiliq; constantia, declarant in his vim, & mentem esse diuinam: vt hæc ipsa qui non sentiat deorum vim habere, is nihil omnino sensurus esse videatur. nulla igitur in cœlo nec fortuna, nec temeritas, nec erratio, nec vanitas inest. contraq; omnis ordo, veritas, ratio, constantia. quæque his vacant, mentita ea, & falsa, plenaq; erroris, eunt circum terras, infra lunã: quæ omnium vltima est, in terrisq; versatur. Cœlestem ergo admirabilem ordinem, incredibilemq; constantiam, ex qua conseruatio, & salus omnium omnis oritur: qui vacare mente putat: is ipse mentis expers habendus est. Haud ergo, vt opinor, errauero: si à principe inuestigandæ veritatis huius disputationis principium duxero. Zeno igitur ita naturam definit: vt eam dicat, ignem esse artificiosum ad gignendum progredientem via. censet enim artis maxime proprium esse, creare, & gignere: quodque in operibus nostrarum artium manus efficiat: id multo artificiosius naturam efficere: id est, vt dixi ignem artificiosum, magistrum artium reliquarum. Atq; hac quidem ratione omnis natura artificiosa est: quod habet quasi viam quandam, & sectam, quã sequatur ipsius vero mundi, qui omnia complexu suo coërcet, & continet, natura non artificiosa solum, sed plane artifex, ab eodem Zenone dicitur, consul-

trix, & prouida vtilitatum, opportunitatumq; omniū. Atque vt cæteræ naturæ suis seminibus quæque gignuntur: augescunt: continentur: sic natura mundi omnes motus habet voluntarios: conatusq;, & appetitiones, quas ὁρμὰς Græci vocant, his consentaneas actiones, sic adhibet: vt nosmetipsi: qui animis mouemur & sensibus. Talis igitur mens mundi cum sit: ob eamq; causam vel prudentia vel prouidentia appellari recte possit: græce enim πρόνοια dicitur: hæc potissimum prouidet: & in his maximè est occupata: primum, vt mundus q̄ aptissimus sit ad permanendum. deinde, vt nulla re egeat: maximè autem, vt in eo eximia pulchritudo sit, atq; omnis ornatus. Dictum est de vniuerso mundo: dictum est etiam de syderibus: vt iam propemodum appareat multitudo non cessantium deorum: nec ea quæ agant molientium cum labore operoso, ac molesto. Non enim venis, & neruis, & ossibus continentur: nec his escis aut potionibus vescuntur: vt aut nimis acres, aut nimis concretos humores colligant. nec his corporibus sunt: vt casus, aut ictus extimescant: aut morbos metuant ex defatigatione membrorum. Quæ verens Epicurus monogrammos deos & nihil agentes commentus est. illi autem pulcherrima forma præditi, purissimaq; in regione cœli collocati, ita feruntur, moderanturq; cursus: vt ad omnia conseruanda, & tuenda consensisse videantur. Multa autem aliæ naturæ deorum ex magnis beneficijs eorum non sine causa, & à Græcia sapientibus, & à maioribus constitutæ, nominataq; sunt. quicquid enim magnam vtilitatem generi afferret humano: id non sine diuina bonitate erga homines fieri arbitrabantur.

bitrabantur. itaq3, tum illud, quod erat à deo natum, nomine ipsius dei nuncupabant: vt cum fruges Cererem appellamus: vinum autem Liberum: ex quo illud Terentij,

Sine Cerere, & Libero friget Venus:

tum autem res ipsa, in qua vis inest maior aliqua, sic appellatur: vt ea ipsa nominetur deus: vt fides, vt mens: quas in Capitolio dedicatas videmus proxime à M. Aemilio Scauro: ante autem ab Attilio Calatino erat Fides consecrata. vides virtutis templum: vides honoris à M. Marcello renouatum: quod multis ante annis erat bello Ligustico à Quinto Maximo dedicatū. quid Opis? quid Salutis? quid Concordiæ? Libertatis? Victoriæ? quarum omnium rerum quia vis erat tanta: vt sine deo regi non posset: ipsa res deorum nomen obtinuit. Quo ex genere Cupidinis, & Voluptatis, & Lubentinæ Veneris vocabula consecrata sunt: vitiosarum rerum, neq3 naturalium: quanquam Velleius aliter existimat: sed tamen ea ipsa vitia naturam vehementius sæpe pulsant. vtilitatum igitur magnitudine constituti sunt hi diy, qui vtilitates quasq3 gignebant. Atq3 his quidem no minibus quæ paulo ante dicta sunt, quæ vis sit in quoq3 declaratur deo. Suscepit autem vita hominum, consuetudoq3 communis: vt beneficys excellentes viros, in cœlum fama, ac voluntate tollerent. hinc Hercules: hinc Castor, & Pollux: hinc Æsculapius: hinc Liber etiā, hunc dico Liberum Semele natum: non eum, quem nostri maiores augustè, sanctèq3 Liberum, cum Cerere, & Libera consecrauerunt: quod quale sit ex mysterys intelligi potest. sed quod ex nobis natos, liberos

appella-

appellamus: iccirco Cerere nati nominati sunt Liber, & Libera: quod in Libero seruant, in Libera non itē hinc etiam Romulus, quem quidam eundem esse Quirinū putant: quorum cum remanerent animi, atq; æternitate fruerentur: dy rite sunt habiti: cum & optimi essent, & æterni. Alia quoque ex ratione, & quidem physica, magna fluxit multitudo deorum: qui inducti specie humana fabulas poëtis suppeditauerunt: hominum vitam superstitione omni referserunt. Atq; hic locus à Zenone tractatus, post à Cleante, & Chrysippo, pluribus verbis explicatus est. Nam vetus hæc opinio Græciam oppleuit: exectum Cœlum à filio Saturno: vinctum autem Saturnum ipsum à filio Ioue. physica ratio non inelegans, inclusa est in impias fabulas. cœlestem enim altissimam, æthereamq; naturam, id est, igneam, quæ per sese omnia gigneret: vacare voluerunt ea parte corporis, quæ coniunctione alterius egeret ad procreandū. Saturnum autem eum esse voluerunt: qui cursum, & conuersionem spaciorum, ac temporum contineret: qui deus Græce id ipsum nomē habet: Κρόνος enim dicitur: qui est idem χρόνος temporis spatium. Saturnus autem est appellatus, quod saturetur annis. ex se enim natos comesse fingitur solitus: quia consumit ætas temporū spacia: annisq; præteritis insaturabiliter expletur. vinctus autem à Ioue, ne immoderatos cursus haberet: atque vt eum sy derum vinculis alligaret. sed ipse Iupiter, id est, iuuans pater, quem conuersis casibus appellamus à iuuando Iouem, à poëtis pater diuumq; hominumq; dicitur: à maioribus autem nostris optimus, maximus: & quidem antè optimus, id est

benefi-

beneficentissimus, quàm maximus: quia maius est, certéque gratius, prodesse omnibus: quàm opes magnas habere. Hunc igitur Ennius, vt supra dixi, nuncupat ita dicens,

Aspice hoc sublime candens, quẽ inuocant omnes Iouẽ.

Planius quàm alio loco idem.

Cui quod in me est, execrabor hoc, quo lucet, quicquid est. Hunc etiam augures nostri, cum dicunt Iouem fulgentem, tonantem: dicunt enim in cœlo fulgentem, & tonantem. Euripides autem, vt multa præclare, sic hoc breuiter,

Vides sublime fusum, immoderatum æthera:
Qui tenero terram circumiectu amplectitur:
Hunc summum habeto diuum: hunc perhibeto Iouem.

Aer autẽ, vt stoici disputant, interiectus inter mare & cœlum, Iunonis nomine consecratur: quæ est soror, et coniunx Iouis, quod & similitudo est ætheris: & cũ eo summa coniunctio. effœminarunt autem eum, Iunonigᵩ tribuerunt: quod nihil est eo mollius. sed Iunonem à iuuando credo nominatam. Aqua restabat & terra: vt essent ex fabulis tria regna diuisa. datum est igitur Neptuno altero Iouis, vt volunt, fratri, maritimum omne regnũ: nomenque productũ, vt Portunus à portu, sic Neptunus à nando, paulum primis literis immutatis. Terrena autem vis omnis, atqᵩ natura Diti patri dedicata est: qui diues, vt apud Græcos πλοῦτων, quia et recidant omnia in terras: & oriantur è terris. Cui Proserpinam, quod Græcorum nomen est: ea enim est, quæ περσεφόνη Græce nominatur: quam frugum semen esse volunt: absconditamᵩ quæri à matre fingunt. mater autem

est à

est, à gerendis frugibus Ceres, tanquam Geres: casuq; prima litera itidem immutata, vt à Græcis: nam ab illis quoque δημήτηρ, quasi γεωμήτηρ nominata est. Iam qui magna verterent, Maiores: Minerua autem quæ vel minueret, vel minaretur. cumq; in omnibus rebus vim haberent maximam prima, & extrema: principē in sacrificando Ianum esse voluerunt: quod ab eundo nomen est ductum: ex quo transitiones peruiæ, Iani: foresq; in liminibus profanarum ædium, ianuæ nominantur. nam Vestæ nomen à Græcis. ea est enim quæ ab illis ἑστία dicitur. vis autem eius ad aras, & focos pertinet itaque in ea dea, quod est rerum custos intimarū: omnis & precatio & sacrificatio extrema est. nec longe absunt ab hac vi dy penates, siue à penu ducto nomine: est enim omne quo vescuntur homines, penus: siue ab eo, quod penitus insident: ex quo etiam penetrales à poëtis vocantur. Iam Apollinis nomen est Græcum: quem solem esse volunt. Dianam autem, & Lunam eandem esse putant: cum sol dictus sit, vel quia solus ex omnibus syderibus est tantus: vel quia, cum est exortus, obscuratis omnibus solus apparet: Luna à lucendo nominata sit. eadem est enim Lucina. itaq; vt apud Græcos Dianam, eamq; Luciferam, sic apud nostros Iunonem Lucinam in pariendo inuocant: quæ eadem Diana omniuaga dicitur: non à venando, sed quod in septem numeratur tanquam vagantibus. Diana dicta quia noctu quasi diem efficeret. adhibetur autem ad partus: quod y matureſcunt aut septem nonnunquam, aut plerunq; nouem lunæ cursibus: qui quia mensa spacia conficiunt, menses nominantur. concinneq; vt multa

Timæus:

Timæus: qui cum in historia dixisset, qua nocte natus Alexander esset: eadem Dianæ Ephesiæ templū deflagrauisse: adiunxit minime id esse mirandum: quod Diana cum in partu Olympiadis adesse voluisset: abfuisset domo. Quæ autem dea ad res omnes veniret, Venerem nostri nominauerunt: atq; ex ea potius venustas, quã Venus ex venustate. Videtis ne igitur vt à physicis rebus bene, atq; vtiliter inuentis tracta ratio sit ad cõmentitios, & fictos deos? quæres genuit falsas opiniones, errores q; turbulentos, & superstitiones penè aniles. & formæ enim nobis deorum, & ætates, & vestitus, ornatusq; noti sunt. genera præterea, coniugia, cognationes, omniaq; traducta ad similitudinem imbecillitatis humanæ. nam & perturbatis animis inducuntur: accipimus enim deorum cupiditates, ægritudines, iracundias: nec vero, vt fabulæ ferunt, bellis, prælijsq; caruerunt: nec solum, vt apud Homerum, cum duos exercitus contrarios alij dij ex alia parte defenderent: sed etiam cum Titanis, cum Gigantibus sua propria bella gesserunt. Hæc & dicuntur, & creduntur stultissime: & plena sunt futilitatis, summæq; leuitatis. Sed tamen his fabulis spretis, ac repudiatis, deus pertinens per naturam cuiusq; rei, per terras Ceres, per maria Neptunus, alij per alia, poterunt intelligi, qui, qualesq; sunt, quóq; eos nomine consuetudo nuncupauerit, quos deos & venerari, & colere debemus. cultus autem deorum est optimus: idemq; castissimus, atque sanctissimus, plenissimusq; pietatis: vt eos semper pura, integra, incorrupta, & mente, & voce veneremur. non enim Philosophi solum, verumetiam maiores nostri

stri superstitionem, à religione separauerunt. nam qui totos dies precabantur, & immolabant, vt sui liberi sibi superstites essent: superstitiosi sunt appellati: quod nomen postea latius patuit. qui autem omnia, quæ ad cultum deorum pertinerent, diligenter retracturent: & tãquam relegerent: sunt dicti religiosi, ex relegendo: vt elegantes, ex eligendo, tanquam à diligendo diligentes, ex intelligendo intelligentes. his enim in verbis omnibus, ineſt vis legendi eadem, quæ in religioso. ita factum est in superstitioso, & religioso, alterum vity nomen, alterum laudis. Ac mihi videor satis & esse deos, & quales essent ostendisse. Proximum est vt doceam deorum prouidentia mundum administrari. Magnus sane locus est: & à vestris Cotta vexatus: ac nimirum vobiscum omne certamen est. nam vobis, Vellei, minus notum est, quemadmodum quidque dicatur. vestra enim solum legitis: vestra amatis: ceteros causa incognita condemnatis. velut à te ipso heſter no die dictum est, anum fatidicam pronœam à stoicis induci, id est, prouidentiam. quod eo errore dixisti: quia existimas ab his prouidentiam fingi quasi quandam deam singularem: quæ mundum omnem gubernet, & regat. sed id præcise dicitur: vt si quis dicat Atheniensium Rempub. consilio regi: desit illud, Ariopagi. sic cum dicimus prouidentia mundum administrari. deesse arbitror, deorum. plene autem & perfectè sic dici existimato: prouidentia deorum mundum administrari. ita sale mistum, quo caret vestra natio, inirridendis nobis nolitote consumere: & mehercule, si me audiatis: ne experiamini quidẽ. non decet: non datũ est:

non potestis

non potestis. Nec vero hoc in te vno conuenit moribus domesticis, ac nostrorum hominum vrbanitate limato: sed cum in reliquos vestros: tū in eum maxime, qui ista peperit, hominē sine arte, sine literis, insultantem in omnes, sine acumine vllo, sine authoritate, sine lepōre. Dico igitur prouidentia deorum mundum, & omnes mundi partes, & initio constitutas esse: & omni tempore administrari: eamq; disputationē tres in partes nostri ferè diuidunt: quarum pars prima est: quæ dicitur ab ea ratione, quæ docet esse deos: quo concesso, confitendum est eorū consilio mundum administrari. Secunda est autem, quæ docet omnes res subiectas esse naturæ sentienti: ab eaq; omnia pulcherrime geri. quo constituto, sequitur ab animantibus principijs eam esse generatam. Tertius locus est: qui ducitur ex admiratione rerum cœlestium, atq; terrestriū. Primum igitur aut negandum est deos esse: quod & Democritus simulacra, & Epicurus imagines inducens, quodā pacto negat: aut qui deos esse concedunt: his fatendum est, eos aliquid agere: idq; præclarum. nihil est autem præclarius mundi administratione: deorū igitur consilio administratur. quod si aliter est: aliquid profecto sit necesse est melius, & maiore vi præditū, quā deos: quale id cūque est, siue inanima natura, siue necessitas vi magna incitata: hæc pulcherrima opera efficiens, quæ videmus. nōest igitur natura deorū præpotens, neq; excellens: siquidem ea subiecta est ei vel necessitati, vel naturæ: qua cœlum, maria, terræ regantur. nihil autem est præstantius deo: ab eo igitur necesse est mundum regi. nulli igitur est naturæ obediens, aut subiectus deus.

omnem ergo regit ipse naturam. etenim si concedimus intelligentes esse deos: concedimus etiam prouidentes: & rerum quidem maximarum: ergo vtrum ignorant, quæ res maximæ sint: quoq; hæ modo tractandæ, & tuendæ? an vim non habent? qua tantas res sustineant & gerant? at & ignoratio rerũ aliena naturæ deorum est: & sustinendi muneris propter imbecillitatem difficultas, minimè cadit in maiestatem deorũ: ex quo efficitur id, quod volumus: deorum prouidentia mundum administrari. Atqui necesse est cùm sint dij: si modo sint: vt profecto sunt: animantes esse: nec solum animantes: sed etiam rationis cõpotes, interseq; quasi ciuili conciliatione & societate coniunctos, vnũ mundũ, vt communẽ Rempub. atq; vrbem aliquam regentes. sequitur, vt eadem sit in ijs, quæ in genere humano, ratio: eadem veritas vtrobiq; sit, eademq; lex: quæ est recti præceptio, prauiq; depulsio. ex quo intelligitur prudentiam quoq;, & mentem à dijs ad homines peruenisse: ob eamq; causam maiorum institutis mens, fides, virtus, concordia, consecratæ, & publice dedicatæ sunt. quæ qui conuenit penes deos esse negare, cũ eorum augusta, & sancta simulachra veneremur? quod si inest in hominum genere mens, fides, virtus, concordia: vnde hæc in terras, nisi à superis, defluere potuerunt? cumq; sit in nobis, consilium, ratio, prudentia: necesse est, deos hæc ipsa habere maiora: nec habere solum, sed etiam his vti in maximis, & optimis rebus. nihil autẽ nec maius, nec melius mundo. necesse est ergo eum deorum consilio, & prouidentia administrari. Postremo quum satis docuerimus, hos esse

deos,

deos, quorum insignem vim, & illustrem faciem videremus: solem dico, & lunam, & vagas stellas, & inerrantes, & cœlum, & mundum ipsum, & earum rerum vim, quæ inessent in omni mundo cum magno vsu, & commoditate generis humani: efficitur omnia regi diuina mente atq; prouidentia. Ac de prima quidem parte satis dictum est. Sequitur vt doceam omnia subiecta esse naturæ: eáq; ab ea pulcherrime regi. Sed quid sit ipsa natura, explicandum est ante breuiter: quo facilius id, quod docere volumus, intelligi possit. Nam q; alij naturam esse censent vim quandam, siue rationem, ciẽtem motus in corporibus necessarios. alij autẽ, vim participem rationis, atq; ordinis, tanquam via progredientem, declarantem q; quid cuiusq; rei causa efficiat: quid sequatur. cuius solertiam nulla ars, nulla manus, nemo opifex consequi possit imitando. seminis enim vim esse tantam: vt id, quanquam sit perexiguum, tamen si inciderit in concipientem, comprehendentem q; naturam. nactum q; sit materiam, qua ali, augeri q; possit: ita fingat, & efficiat in suo quicq; genere: partim vt tantum modo per stirpes alantur suas. partim vt moueri etiam, & sentire, & appetere possint: & ex sese similia sui gignere. Sunt autem qui omnia naturæ nomine appellent: vt Epicurus: qui ita diuidit: omnium, quæ sint, naturam, esse corpora, & inane, quæq; his accidant. sed nos cum dicimus natura constare, administrari q; mundum: non ita dicimus, vt glebam, aut fragmentum lapidis, aut aliquid eiusmodi nulla cohærendi natura: sed vt arborem, vt animal: in quibus nulla temeritas, sed ordo apparet, & artis quæ-

dam similitudo. quod si ea, quæ à terra stirpibus cõtinentur, arte naturæ viuunt, & vigent: profectò ipsa terra eadem vi continetur, & arte naturæ: quippe quæ grauidata seminibus, omnia pariat, & fundat ex sese: stirpes amplexa alat, & augeat: ipsaq; alatur vicissim à superis, externisq; naturis. eiusdemq; expirationibus aër alitur, & æther, & omnia supera. ita si terra natura tenetur, & viget: eadem ratio in reliquo mundo est. stirpes enim terræ inhærent: animantes autẽ à spiratione aëris sustinentur: ipseq; aër nobiscum videt: nobiscum audit: nobiscum sonat. nihil enim eorum sine eo fieri potest. quinetiam mouetur nobiscum. quacunq; enim imus, quacunq; mouemur, videtur quasi locũ dare, & cedere. quæq; in medium locum mundi, qui est infimus, & quæ à medio in superum, quæq; conuersione rotunda circum medium feruntur, ea continentẽ mundi efficiunt, vnamque naturam. et quum quatuor sint genera corporum: vicissitudine eorum mundi natura est continuata. nam ex terra aqua, ex aqua oritur aër, ex aëre æther. deinde retrorsum vicissim ex æthere aër, ex aëre aqua, ex aqua, terra infima. sic naturis his, ex quibus omnia constant, sursum, deorsum, vltrò, citróq; commeantibus, mundi partiũ coniunctio continetur. quæ aut sempiterna sit necesse est, hoc eodem ornatu, quem videmus: aut certè perdiuturna, permanens ad longinquum, & immensum penè tempus. quorum vtrumuis vt sit: sequitur naturam mundum administrari. quæ enim classium nauigatio, aut quæ instructio exercitus, aut rursus (vt ea quæ natura efficit conferamus) quæ procreatio vitis, aut arboris, quæ

porro

porro animantis figura conformatioq; membrorũ. tantam naturæ solertiam significat, quantã ipse mundus? aut igitur nihil est quod sentiente natura regatur: aut mundum regi confitendũ est. etenim qui reliquas naturas omnes, earumq; semina contineat: qui potest ipse nõ natura administrari? vt si quis dentes, & pubertatẽ natura dicat existere: ipsum autem hominem, cui ea existant, nõ constare natura: non intelligat ea, quæ efferãt aliquid ex sese, perfectiores habere naturas, quam ea quæ ex ijs efferantur. omnium autem rerum quæ natura administrantur, seminator, & sator, & parens, vt ita dicam, atq; educator, & altor est mundus: omniaque sicut membra, & partes suas, nutricatur, & continet. quod si mundi partes natura administrantur: necesse est mundũ ipsum natura administrari: cuius quidem administratio nihil habet in se, quod reprehendi possit. ex ijs enim naturis, quæ erant, quod effici potuit optimum, effectum est. doceat ergo aliquis potuisse melius. sed nemo vnquam docebit. & si quis corrigere aliquid volet: aut deterius faciet: aut id quod fieri nõ potuerit, desiderabit. quod si omnes mundi partes ita constitutæ sunt: vt neq; ad vsum meliores potuerint esse, neq; ad speciem pulchriores: videamus vtrum ea fortuitáne sint: an eo statu, quo cohærere nullo modo potuerint, nisi sensu moderante, diuinaq; prouidentia. Si igitur meliora sunt ea, quæ natura, quam illa, quæ arte profecta sunt: nec ars efficit quicquam sine ratione: ne natura quidem rationis expers est habenda. qui igitur conuenit, signum, aut tabulam pictam cum aspexeris: scire adhibitã esse artem. quumq;

procul cursum nauigij videris: non dubitare, quin id ratione atq; arte moueatur: aut quũ solarium, vel descriptum, aut ex aqua contẽplare: intelligere declarari horas arte, non casu? mundũ autem, qui & has ipsas artes, & earum artifices, & cuncta complectatur: consilij, & rationis esse expertem putare? quod si in Scythiã, aut in Britanniam, sphærã aliquis tulerit hanc, quã nuper familiaris noster effecit Posidonius: cuius singulæ conuersiones idem efficiunt in sole, & in luna, & in quinque stellis errantibus, quod efficitur in cœlo singulis diebus, & noctibus: quis in illa barbarie dubitet, quin ea sphæra sit perfecta ratione? hi autẽ dubitant de mundo, ex quo oriuntur, & fiunt omnia, casu ne ipse sit effectus, an necessitate aliqua, an ratione, an mente diuina: & Archimedẽ arbitrantur plus valuisse in imitandis sphæræ conuersionibus: quàm naturã in efficiendis: præsertim cũ multis partibus sint illa perfecta, quàm hæc simulata solertius. Atq; ille apud Actium pastor, qui nauẽ nunquã ante vidisset: vt procul diuinũ & nouũ vehiculũ Argonautarũe monte conspexit, primo admirans, & perterritus hoc modo loquitur:

"tanta moles labitur
"Fremebunda ex alto ingenti sonitu & spiritu.
"Præ se undas voluit: vertices vi suscitat:
"Ruit prolapsa: pelagus respergit: profluit:
"Ita dum interruptum credas nimbum voluier:
"Dum quod sublime ventis expulsum rapi
"Saxum, aut procellis: vel globosos turbines
"Existere ictos undis concursantibus.
"Nisi quas terrestres pontus strages conciet:

Aut forte

Aut forte Triton fuscina euertens specus,
Subter radices penitus vndanti in freto
Molem ex profundo saxeam ad cœlum eruit.
Dubitat primo quæ sit ea natura, quam cernit ignotã:
idemq; inuenibus visis, auditoq; nautico cantu,
Sicut inciti, atq; alacres rostris perfremunt
Delphini- item alia multa.
-syluani melo
Consimilem ad aureis cantum, & auditum refert.
Ergo vt hic primo aspectu inanimum quiddã sensuq; vacuum se putat cernere: post autem signis certioribus, quale sit id, de quo dubitauerat, incipit suspicari: sic philosophi debuerunt, si forte eos primus aspectus mundi conturbauerat: postea cum vidissent motus eius finitos, & æquabiles, omniaq; ratis ordinibus moderata, immutabiliq; constantia: intelligere inesse aliquem nõ solũ habitatorem in hac cœlesti ac diuina domo, sed etiam rectorem, & moderatorẽ, & tanquã architectum tanti operis, tantiq; muneris. nunc autẽ mihi videntur ne suspicari quidem, quanta sit admirabilitas cœlestium rerũ, atq; terrestrium. Principio enim terra sita in media parte mundi circumfusa vndiq; est hac animabili, spirabiliq; natura: cui nomen est aër: Græcum illud quidẽ, sed perceptum iam tamen vsu à nostris: tritum est enim pro Latino. hunc rursus amplectitur immensus æther: qui constat ex altissimis ignibus. mutuemur hoc quoq; verbũ: dicaturq; tam æther Latine, quàm dicitur aer: etsi interpretatur Pacuuius,
Hoc, quod memoro, nostri cœlũ, graij perhibent æthera.
quasi vero non Graius hoc dicat, at latine loquitur. si-

quidem nos nõ quasi Græce loquentem audiamus. docet idem alio loco,

Graiugena de isto aperit ipsa ratio.

sed ad maiora redeamus. Ex æthere igitur innumerabiles flammæ syderum existunt: quorum est princeps sol, omnia clarissima luce collustrans, multis partibus maior atq; amplior, quàm terra vniuersa: deinde reliqua sydera magnitudinibus immensis. Atq; hi tanti ignes, tamq; multi, nõ modo nihil nocent terris, rebusq; terrestribus: sed ita prosunt: vt, si mota loco sint: conflagrare terras necesse sit à tantis ardoribus, moderatione & temperatione sublata. Hic ego non mirer esse quenquam? qui sibi persuadeat, corpora quædam solida, atq; individua, vi & grauitate ferri: mundumq; effici ornatissimum, & pulcherrimum ex eorum corporum concursione fortuita? hoc qui existimat, fieri potuisse: nõ intelligo cur non idem putet. si innumerabiles vnius, et viginti formæ literarum vel aureæ, vel qualeslibet, aliquò conijciantur: posse ex his in terram excussis, annales Enny, vt deinceps legi possint, effici: quod nescio an ne in vno quidem versu possit tantum valere fortuna, isti autem, quemadmodum asseuerant ex corpusculis non colore, non qualitate aliqua, quam ποιότητα Græci vocant, non sensu præditis, sed concurrentibus temere, atq; casu, mundum esse perfectum? vel innumerabiles potius in omni puncto temporis, alios nasci, alios interire? quod si mundum efficere potest concursus atomorum: cur porticum, cur templum, cur domum, cur vrbem non potest? quæ sunt minus operosa: & multa quidem faciliora. certe ita temere de mundo effutiunt:

effutiunt: vt mihi quidem nunquam hunc admirabilem cœli ornatum, qui locus est proximus, suspexisse videantur. Præclare ergo Aristoteles, Si essent, inquit, qui sub terra semper habitauissent, bonis, et illustribus domicilijs quæ essent ornata signis, atq; picturis, instructaq; rebus his omnibus, quibus abundant hi, qui beati putantur: nec tamen exissent vnquam supra terram: accepissent autem fama, & auditione, esse quoddam numen, & vim deorum: deinde aliquo tempore patefactis terræ faucibus, ex illis abditis sedibus euadere in hæc loca, quæ nos incolimus, atq; exire potuissent: cum repente terram, & maria, cœlumque vidissent: nubium magnitudinẽ, ventorumq; vim cognouissent: aspexissentque solem, eiusq; tum magnitudinem, pulchritudinem qúe, tum efficientiam cognouissent: quod is diem efficeret, toto cœlo luce diffusa: cum autem terras nox opacasset: tum cœlum totum cernerent astris distinctum, & ornatum: lunæq; luminum varietatem tum crescentis, tum senescentis, eorumq; omnium ortus, & occasus, atque in omni æternitate ratos, immutabilesq; cursus: quæ cũ viderent, profectlo & esse deos, & hæc tanta opera deorum esse arbitrarentur. Atque hæc quidem ille. Nos autem tenebras cogitemus tantas: quanta quondã eruptione Æthnæorum ignium finitimas regiones obscurauisse dicuntur: vt per biduum nemo hominem homo agnosceret: cum autem tertio die sol illuxisset: tum vt reuixisse sibi viderentur. quod si hoc idem ex æternis tenebris contingeret, vt subito lucem aspiceremus, quæ nam species cœli videretur? sed assiduitate quotidiana, & consuetudine oculorum

assueſcunt animi: neque admirantur, néque requirunt rationes earũ rerum, quas ſemper vident: perinde quaſi nouitas nos magis, quàm magnitudo rerum debeat ad exquirendas cauſas excitare. quis enim hunc hominem dixerit, qui cum tam certos cœli motus, tã ratos aſtrorum ordines, tamq; omnia inter ſe connexa, & apta viderit, neget in his ullam ineſſe rationem: eaq; caſu fieri dicat, quæ quanto conſilio gerantur: nullo conſilio aſſequi poſſumus. An cum machinatione quadam moueri aliquid videmus: vt ſphæram, vt horas, vt alia permulta: non dubitamus quin illa opera ſint rationis? cum autem impetum cœli admirabili cum celeritate moueri, vertiq; videamus, conſtantiſſime conficientem vicissitudines anniuerſarias, cum ſumma ſalute, & conſeruatione rerum omnium: dubitamus, quin ea non ſolum ratione fiant? ſed etiam excellenti quadã diuinaq; ratione? Licet enim iam remota ſubtilitate diſputandi oculis quodammodo contemplari pulchritudinẽ rerũ earũ, quas diuina prouidentia dicimus conſtitutas. Ac principio terra vniuerſa cernatur, locata in media mundi ſede, ſolida, & globoſa, & vndique ipſa in ſeſe nutibus ſuis conglobata, veſtita floribus, herbis, arboribus, frugibus. quorum omnium incredibilis multitudo inſatiabili varietate diſtinguitur. adde huc fontium gelidas perennitates, liquores perlucidos amnium, riparum veſtitus viridiſſimos, ſpeluncarum concauas altitudines, ſaxorum aſperitates, impendentium montium altitudines, immenſitates q; camporum. adde etiam reconditas auri, argentiq; venas, infinitam q; vim marmoris. quæ vero, & quàm varia genera beſtiarum, vel cicurum,

vel

vel ferarum? qui volucrum lapsus, atq; cantus? qui pecudum pastus? quæ vita siluestrium? quid iam de hominum genere dicam? qui quasi cultores terræ constituti, non patiuntur eam nec immanitate beluarum efferari, nec stirpiũ asperitate vastari. quorumq; operibus agri, insulæ, littoraq; collucent, distincta tectis, & vrbibus. quæ si, vt animis, sic oculis videre possemus: nemo cunctam intuens terram, de diuina ratione dubitaret. At vero quanta maris est pulchritudo? quæ species vniuersi? quæ multitudo, & varietas insularũ? quæ amœnitates orarum, et littorũ? quot genera, quamque disparia partim submersarum, partim fluitantium, & innatantium beluarum? partim ad saxa natiuis testis inhærentium? ipsum autem mare sic terram appetens littoribus eludit, vt vna ex duabus naturis conflata videatur. Exinde mari finitimus aër, die & nocte distinguitur. isq; tum fusus & extenuatus in sublime fertur: tum autem concretus in nubes cogitur: humoremque colligens terram auget imbribus: tum effluens huc & illuc ventos efficit. idem annuas frigorum & calorum facit varietates: idemque, & volatus alitum sustinet: & spiritu ductus alit, & sustentat animantes. Restat vltimus & à domicilys nostris altissimus omnia cingens & coërcens cœli complexus: qui idem æther vocatur, extrema ora, & determinatio mundi: in quo cum admirabilitate maxima igneæ formæ cursus ordinatos definiunt. ex quibus sol, cuius magnitudine multis partibus terra superatur, circum eam ipsam voluitur: isq; oriens, & occidens, diem, noctemq; conficit: & modò accedens, tum autem recedens, binas in singulis annis reuersiones

ab ex-

ab extremo contrarias facit: quarum interuallo tum quasi tristitia quadam contrahit terram, tum vicissim lætificat: vt cum cœlo hilarata videatur. Luna autem, quæ est, vt ostendunt mathematici, maior quàm dimidia pars terræ: hisdem spacijs vagatur, quibus sol. sed tum congrediens cum sole, tum digrediens, & eam lucem, quam à sole accipit, mittit in terras: & varias ipsa mutationes lucis habet. atq; etiam, tum subiecta, atq; opposita soli, radios eius, & lumen obscurat: tum ipsa incidens in vmbram terræ, cum est è regione solis, interpositu, interiectuq; terræ repente deficit. hisdem spacijs hæ stellæ, quas vagas dicimus, circum terram feruntur: eodemque modo oriuntur, & occidunt. quarum motus tum incitantur, tum retardantur: sæpe etiam insistunt. quo spectaculo nihil potest admirabilius esse, nihil pulchrius. Sequitur stellarum inerrantium maxima multitudo: quarum ita descripta distinctio est: vt ex notarum figurarum similitudine nomina inuenerint. Atq; hoc loco me intuens, vtar (inquit) carminibus Arati eis quæ à te admodum adolescentulo conuersa, ita me delectant, quia Latina sunt, vt multa ex ys memoria teneã.

Ergo vt oculis assidue videmus sine vlla mutatione, aut varietate

Cætera labuntur celeri cœlestia motu:
Cum cœloq; simul noctesque diesque feruntur.

Quorum cõtemplatione nullius expleri potest animus, naturæ constantiam videre cupientis.

Extremúsne adeo duplici de cardine vertex
Dicitur esse polus.

hunc circum arctus duæ feruntur, nunquam occidentes. Ex his altera apud Græcos cynosura vocatur:

Altera

Altera dicitur esse Helice-
cuius quidē clarissimas stellas totis noctibus cernimus.
Quas nostri septem soliti vocitare Triones.
Paribusq; stellis similiter distinctis eundem cœli verti-
cem lustrat parua cynosura.
Hac fidunt duce nocturna Phœnices in alto.
Sed prior illa magis stellis distincta refulget:
Et late prima confestim à nocte videtur.
Hæc vero parua est, sed nautis usus in hac est.
Nam cursu interiore breui conuertitur orbe.
Et quo sit earum stellarum admirabilior aspectus,
Has inter velut rapido cum gurgite flumen:
Toruus draco serpit subter, supraq; reuoluens
Sese, conficiensque sinus è corpore flexos.
Eius cum totius est præclara species: inprimis suspicien-
da est figura capitis, atq; ardor oculorum.
Huic non una modo caput ornans stella relucet:
Verum tempora sunt duplici fulgore notata:
Et trucibusq; oculis duo feruida lumina flagrant:
Atque vno mentum radianti sydere lucet:
Obstipum caput & tereti ceruice reflexum
Obrutum in cauda maioris figere dicas.
Et reliquum quidem corpus draconis totis noctibus cer
nimus.
Hoc caput hic paulum sese subitoq; recondit:
Ortus vbi atque obitus parte admiscentur in vna.
Id autem caput,
Attingens defessa velut merentis imago
vertitur.- -quam quidem Græci
Engonasin vocitant: genibus quia nixa feratur.
Hic illa eximio posita est fulgore corona.

Atque

Atque hæc quidem à tergo: propter caput autem Anguitenens:
Quem claro perhibent Ophiuchum nomine Graij.
Hic pressu duplici palmarum continet anguem:
Eius et ipse manet religatus corpore toto.
Nanq; virum medium serpens sub pectora cingit.
Ille tamen nitens grauiter vestigia ponit:
Atque oculos vrget pedibus: pectusq; Nepai.
Septentriones autem sequitur.
Arctophylax, vulgo qui dicitur esse Bootes:
Quod quasi temone adiunctam præse quatit Arctum.
Dein quæ sequuntur. hinc enim
Bœoti subter præcordia fixa videtur
Stella micans radijs arcturus nomine claro:
Cui subiecta fertur,
Spicum illustre tenens splendenti corpore Virgo.
Atq; ita demetata signa sunt: vt in tantis descriptionibus diuina sollertia appareat.
Et natos Geminos inuises sub caput Arcti.
Subiectus media est cancer: pedibusq; tenetur
Magnus Leo tremulam quatiens è corpore flammam.
Auriga
Sub Læua Geminorum obductus parte feretur.
Aduersum caput huic Helice truculenta tuetur.
At Capra læuum humerum clara obtinet.
tum quæ sequuntur.
Verum hæc est magno atq; illustri prædita signo.
Contra Hœdi exiguum iaciunt mortalibus ignem.
cuius sub pedibus.
Corniger est valido connexus corpore Taurus.
Eius caput stellis conspersum est frequentibus:

Has

Has græci stellas Hyadas vocitare suerunt
à pluendo, ὕειν enim est pluere. nostri imperite suculas,
quasi à suibus essent, non ab imbribus nominatæ. minorem autem septentrionem Cepheus passis palmis terga subsequitur.
Namq; ipsum ad tergum Cynosuræ vertitur Arcti.
Hunc antecedit:
Obscura specie stellarum Cassiopea.
Hanc autem illustri versatur corpore propter
Andromeda, ausugiens aspectum mœsta parentis.
Huic Equus ille iubam quatiens fulgore micanti
Summum contingit caput aluo: stellaq; iungens
Vna, tenet duplices communi lumine formas,
Æternum ex astris cupiens connectere nodum.
Exin contortis Aries cum cornibus hæret.
Quem propter
Pisces, quorum alter paulum prælabitur ante.
Et magis horriferis aquilonis tangitur alis.
Ad pedes Andromedæ Perseus describitur.
Quem summa ab regione aquilonis flamina pulsant.
Cuius propter lævum genu.
-Vergilias tenui cum luce videbis.
Inde fides leuiter posita, & connexa videtur.
Inde est ales auis lato sub tegmine cœli.
Capiti autem Equi proximat Aquary dextra: totusq; deinceps Aquarius.
Tum gelidum valido de pectore frigus anhelans,
Corpore semifero magno Capricornus in orbe.
Quem cum perpetuo vestiuit lumine Titan:
Brumali flectens contorquet tempore currum.
hinc autem aspicitur,

Vt sese

Vt sese emergens ostendat Scorpius alte
Posteriore trahens flexum vi corporis arcum.
Quem propter nitens pennis conuoluitur ales.
At propter se aquilam ardenti cum corpore portat.
-Deinde delphinus.
Exinde Orion obliquo corpore nitens:
-quem subsequens,
Feruidus ille canis stellarum luce refulget.
Post lepus subsequitur,
Curriculum nunquam defesso corpore sedans.
At canis ad caudam serpens prolabitur Argo.
Hanc Aries tegit, & squamoso corpore pisces,
Fluminis illustri tangentem corpore ripas.
Quem longe serpentem & manantem
-aspicies: proceraq; vincla videbis:
Quæ retinent pisces caudarum à parte locatu.
Inde Neptæ cernes propter fulgentis acumen
Aram: quam flatu permulcet spiritus austri:
propter quæ centaurus:
Cedit, equi parteis properans subiungere Chelis.
Hinc dextram porgens, qua drupes qua vasta tenetur:
Tendit: & illustrem truculentus cædit ad aram.
Hic sese infernis è partibus erigit hydra:
Cuius longe corpus est fusum:
In medioq; sonu fulgens Cratera relucet.
Extremam nitens plumato corpore Coruus
Rostro tundit: & hic Geminis est ille sub ipsis
Ante canem: Graio procyon qui nomine fertur.
Hæc omnis descriptio syderum, atque hic tantus cœli ornatus, ex corporibus huc, & illuc casu, & temere concursantibus potuisse effici, cuiquam sano videri

potest?

poteſt? aut vero alia quæ natura, mentis & rationis expers, hæc efficere potuit? quæ non modo vt fierent, ratione eguerũt, ſed intelligi qualia ſint, ſine ſumma ratione non poſſunt? Nec vero hæc ſolum admirabilia, ſed nihil maius: quam quod ita ſtabilis eſt mundus, atq; ita cohæret ad permanendũ: vt nihil ne excogitari quidem poſſit aptius. omnes enim partes eius vndiq; mediũ locum capeſſentes, nituntur æqualiter. Maximè autem corpora inter ſe iuncta permanent: cum quodam quaſi vinculo circundata colligantur: quod facit ea natura: quæ per omnem mundum omnia mente, & ratione cõficiens funditur: & ad medium rapit: & conuertit extrema. Quocirca ſi mundus globoſus eſt, ob eamq; cauſam omnes eius partes vndiq; æquabiles ipſæ per ſe atq; inter ſe continentur: contingere idem terræ neceſſe eſt: vt omnibus eius partibus in medium vergentibus (id autem medium infimum in ſphæra eſt) nihil interrumpat: quo labefactari poſſit tanta contentio grauitatis, & ponderum. Eademq; ratione mare cum ſupra terram ſit: medium tamen terræ locũ expetens: conglobatur vndiq; æquabiliter: neq; redũdat vnquã: neq; effunditur. Huic autem cõtinens aër, fertur ille quidẽ leuitate ſublimi: ſed tamẽ in omnes partes ſe ipſe fundit. Itaq; & mari cõtinuatus, & iunctus eſt, & natura fertur ad cœlũ: cuius tenuitate, & calore temperatus, vitalem, & ſalutarem ſpiritum præbet animantibus. Quem complexa ſumma pars cœli, quæ æthera dicitur: & ſuũ retinet ardorem tenuem, & nulla admiſtione concretum: & cum aeris extremitate coniungitur. In æthere autem aſtra voluuntur: quæ ſe & nixu ſuo conglobata con-

tinent: & forma ipsa, figuraq3, sua momenta sustentant: sunt enim rotunda: quibus formis, vt ante dixisse videor, minime noceri potest. Sunt autem stellæ natura flammeæ: quocirca terræ, maris, aquarum vaporibus aluntur his, qui à sole ex agris tepefactis, & ex aquis excitantur: quibus altæ, renouataq3 stellæ, atq3 omnis æther, refundunt eadē: & rursum trahunt in idem: nihil vt ferè intereat: aut admodum paululū, quod astrorum ignis, & ætheris, flamma consumat. Ex quo euenturum nostri putant id, de quo Panætium addubitare dicebant: vt ad extremum omnis mundus ignesceret: quum humore consumpto, neq3 terra ali posset: neq3 remearet aër, cuius ortus, aqua omni exhausta, esse non posset: ita relinqui nihil præter ignem à quo rursum animante, ac deo renouatio mundi fieret: atq3 idē ornatus oriretur. Nolo in stellarum ratione multus vobis videri: maximeq3 earum, quæ errare dicuntur: quarum tantus est concentus ex dissimillimis motibus: vt, cum summa Saturni refrigeret: media Martis incendat: his interiecta Iouis illustret, & temperet: infraq3 Martem duæ soli obediant: ipse sol mundū omnē sua luce compleat: ab eoq3 Luna illuminata grauiditates, & partus afferat, maturitatesq3 gignendi. Quæ copulatio rerum, & quasi consentiens ad mundi incolumitatem, coagmentatio naturæ, quem non cōmouet: hunc horum nihil vnquam reputauisse certo scio. Age vt à cœlestibus rebus, ad terrestres veniamus: quid est in his: in quo non naturæ ratio intelligentis appareat? Principio eorum quæ gignuntur e terra, stirpes & stabilitatem dant ys, quæ sustinentur: & ex

terra

terra succum trahunt: quo alantur ea, quæ radicibus continentur: obducunturq; libro aut cortice trunci: quo sint à frigoribus, & à caloribus tutiores. Iam vero vites sic clauiculis adminicula, tanquam manibus apprehendunt: atq; ita se erigunt, vt animantes: quin etiam à caulibus, brassicisq;, si prope sati sint, vt à pestiferis, & nocentibus refugere dicuntur: nec eos vlla ex parte contingere. Animantium vero quanta varietas est? quanta ad eam rem vis, vt in suo quæq; genere permaneant? Quarum aliæ coryς tectæ sunt: aliæ villis vestitæ: aliæ spinis hirsutæ: pluma alias: alias squama videmus obductas: alias esse cornibus armatas: alias habere effugia pennarum. Pastum autem animantibus large & copiose natura eum, qui cuiq; aptus erat, comparauit. Enumerare possum ad eum pastum capessendum, conficiendumq;, quæ sit in figuris animantium, & quam solers subtilisq; descriptio partium: quam q; admirabilis fabrica membrorum. Omnia enim, quæ quidem intus inclusa sunt: ita nata, atq; ita locata sunt: vt nihil eorum superuacaneum sit: nihil ad vitam retinendam non necessarium. Dedit autem eadē natura beluis & sensum, & appetitum: vt altero conatum haberent ad naturales pastus capessendos: altero secernerent pestifera à salutaribus. Iam verò alia animalia gradiendo, alia serpendo ad pastum accedunt: alia volando, alia nando: cibumq; partim oris hiatu, & dentibus ipsis capessunt: partim vnguium tenacitate arripiunt: partim aduncitate rostrorum: alia fugunt: alia carpunt: alia vorant: alia mandunt. Atq; etiā aliorum ea humilitas est: vt cibū terrestrem

roſtris facile contingant: quæ autem altiora ſunt, vt anſeres, vt cygni, vt grues, vt cameli: adiuuantur proceritate collorũ. manus etiam data Elephanto: quia propter magnitudinem corporis difficiles aditus habebat ad paſtum. At quibus beſtijs erat is cibus: vt alius generis eſcis veſcerentur: aut vires natura dedit: aut celeritatem. data eſt quibuſdã etiam machinatio quædã atq; ſolertia: vt in araneolis, aliæ quaſi rete texunt: vt ſi quid inhæſerit conficiant: aliæ autem ex inopinato obſeruant: & ſi quid incidit, arripiunt: idq; conſumunt. Pinna vero (ſic enim Græce dicitur) duabus grandibus patula conchis, cum parua ſquilla quaſi ſocietatem coit comparandi cibi. Itaq; cum piſciculi parui in concham hiantem innatauerint: tũ admonita à ſquilla pinna morſu comprimit conchas. ſic diſſimillimis beſtiolis communiter cibus quæritur. In quo admirandum eſt, congreſſu ne aliquo inter ſe, an iam inde ab ortu naturæ ipſæ congregatæ ſint. Eſt etiam admiratio nõnulla in beſtijs aquatilibus, his quæ gignuntur in terra: veluti crocodili fluuiatiles q; teſtudines, quædam q; ſerpentes ortæ extra aquam, ſimul ac primum niti poſſunt: aquam perſequuntur. Quin etiam anatum oua gallinis ſæpe ſupponimus: è quibus orti pulli primo aluntur ab ijs, vt à matribus: à quibus excluſi, fitiq; ſunt: deinde eas relinquunt, & effugiunt ſequentes: cum primum aquam, quaſi naturalem domũ, videre potuerunt. tantam ingenuit in animantibus cõſeruandi ſui natura cuſtodiam. Legi etiam ſcriptũ eſſe auem quandam: quæ Platalea nominaretur: eam ſibi cibum quærere aduolantem ad eas aues, quæ ſe in mari mer-

ri mergerent: quæ cum emersissent: piscemq3 cœpissent: vsq3 eo premere earum capita mordicus: dum illæ captum amitterent, id quod ipsa inuaderet. Eademq3 hæc auis scribitur conchis se sõlere complere: easq3, cum stomachi calore concoxerit, euomere: atq3 ita eligere ex ijs quæ sunt esculenta. Ranæ autem marinæ dicuntur obruere sese arena sõlere: & moueri prope aquã: ad quas, quasi ad escam, pisces cum accesserint, confici à ranis atque consumi. Miluo est quoddam bellum quasi naturale cum coruo. Ergo alter alterius, vbicunq3 nactus est, ouafrangit. Illud vero ab Aristotele animaduersum, à quo pleraq3, quis potest non mirari? Grues cum loca calidiora petentes, maria transmittunt: trianguli formam efficere: eius autem summo angulo aër ab ijs aduersus pellitur: deinde sensim ab vtroq3 latere tanquã remis, ita pennis cursus auium leuatur. basis autem trianguli, quã grues efficiunt: ea tanquam à puppi ventis adiuuatur: eaq3 in tergo præuolantium colla, & capita reponunt. Quod quia ipse dux facere non potest: quia non habet vbi nitatur: reuolat: vt ipse quoq3 quiescat: in eius locum succedit ex ijs quæ acquieuerunt: eaq3 vicissitudo in omni cursu conseruatur. Multa eiusmodi proferre possum: sed genus ipsum videtis. Iam vero etiam illa notiora, quanto se opere custodiant bestiæ: vt in pastu circumspectent: vt in cubilibus delitescant. Atq3 illa mirabilia: quid ea, quæ nuper, id est, paucis ante sæculis medicorum ingenijs reperta sunt, vomitione canis purgare aluos Ibes Ægyptiæ curant? Auditum est pantheras, quæ in barbaria venenata carne caperentur: remedium quoddam ha-

bere: quo cùm essent usæ, non morerentur. Capras autem in Creta feras, cum essent confixæ venenatis sagittis: herbam quærere, quæ Dictamus vocaretur: quam cum gustauissent, sagittas excidere dicunt ex corpore. Ceruæq; paulo antè partum perpurgant se quadam herbula: quæ Seselis dicitur. Iam illa cernimus: vt contra metum, & vim suis se armis quæq; defendat. cornibus tauri, apri dentibus, morsu leones, aliæ fuga se, aliæ occultatione tutantur. atramenti effusione sepiæ, torpore torpedines: multæ etiam insectantes odoris intolerabili fœditate depellunt. Vt vero perpetuus mundi esset ornatus: magna adhibita cura est à prouidentia deorũ, vt semper essent, & bestiarum genera, & arborum, omniumq; rerum, quæ altæ aut radicibus à terra, aut stirpibus continerentur. Quæ quidem omnia eam vim seminis habent in se: vt ex vno plura generentur: idq; semen inclusum est in intima parte earum baccarum, quæ ex quaq; stirpe funduntur: vsdemq; seminibus, & homines affatim vescuntur: & terræ eiusdem generis stirpium renouatione complentur. Quid loquar quanta ratio in bestijs ad perpetuã conseruationẽ earum generis appareat? Nam primùm, aliæ mares, aliæ fœminæ sunt: quod perpetuitatis causa machinata natura est. Deinde partes corporis, & ad procreandum, & ad concipiendum aptissimæ: & in mare & in fœmina commiscendorum corporum miræ libidines. Quum autem in locis semen insedit: rapit omnem ferè cibum ad sese: eoq; septum fingit animal. quod cùm ex vtero elapsum excidit: in ijs animantibus, quæ lacte aluntur: omnis ferè cibus matrum

lacteſce-

lactescere incipit: eaq; quæ paulo ante natæ sunt, sine magistro, duce natura, mammas appetunt: earumq; vbertate saturantur. Atq; vt intelligamus nihil horum esse fortuitum: & hæc omnia esse opera prouidæ, solertisq; naturæ: quæ multiplices fœtus procreant, vt sues, vt canes: his mammarū data est multitudo: quas eas dē paucas habent hæ bestiæ, quæ pauca gignunt. Quid dicam quantus amor bestiarum sit in educandis custodiendisq; ijs: quæ procreauerint, vsq; ad eum finem: dum possint se ipsa defendere? & si pisces vt aiunt, oua cū genuerunt, relinquunt. facile enim illa, aqua & sustinentur: & fœtū fundunt. Testudines autem & crocodilos dicunt, cū in terra partū ediderint: obruere oua: deinde discedere. ita & nascuntur, & educantur ipsa per sese. Iam gallinæ aues q; reliquæ & quietū requirunt ad pariendū locum: & cubilia sibi, nidosq; construunt: eosq; quā possunt mollissime substernunt: vt quā facillime oua seruentur: è quibus pullos cū exclusērint: ita tuētur: vt & pennis foueant: ne frigore lædantur: & si est calor à sole, se opponant. cū autē pulli pennulis vti possunt, tum volatus eorum matres prosequuntur: reliqua cura liberantur. Accedit etiam ad nonnullorum animantium, & earum rerum: quas terra gignit, conseruationem, & salutem, hominum etiam solertia, & diligentia. nam multæ & pecudes, & stirpes sunt: quæ sine procuratione hominum saluæ esse non possunt. Magnæ etiam opportunitates ad cultum hominum, atq; abundantiam aliæ alys in locis reperiuntur. Ægyptum Nilus irrigat: & cum tota æstate obruerit, oppletamq; tenuerit: tum recedit: mollitósque &

oblimatos agros ad serendum relinquit. Mesopotamiam fertilem efficit Euphrates: in quam quotannis quasi nouos agros inuehit. Indus vero, qui est omnium fluminum maximus: non aqua solum agros lætificat, & mitigat: sed eos etiam conserit. magnam enim vim seminũ secũ frumenti, & similiũ dicitur deportare. multaq; alia in alijs locis commemorabilia proferre possum: multos fertiles agros alios aliorum fructuũ. sed illa quãta benignitas naturæ, quod tam multa ad vescendum, tam varia, tamq; iocunda gignit? neq; ea vno tempore anni: vt semper & nouitate delectemur, & copia. Quam tempestiuos autem dedit, quàm salutareis, non modo hominum, sed etiam pecudum generi, his deniq; omnibus, quæ oriuntur è terra, ventos etesias? quorum flatu nimij temperantur calores. ab ijsdem etiam maritimi cursus celeres, & certi diriguntur. Multa prætereunda sunt: & tamen multa dicuntur. Enumerari enim non possunt fluminum opportunitates, æstus maritimi multũ accedentes, & recedentes, montes vestiti, atq; siluestres: salinæ ab ora maritima remotissimæ, medicamentorum salutarium plenissimæ terræ, artes deniq; innumerabiles ad victum, & ad vitam necessariæ. Iam diei noctisq; vicissitudo conseruat animantes, tribuens aliud agendi tempus, aliud quiescendi. Sic undiq; omni ratione concluditur, mente, consilioq; diuino omnia in hoc mundo ad salutem omnium, conseruationemq; admirabiliter administrari. Sin quæret quispiam: cuiusnam causa tantarum rerum molitio facta sit, arborúmne & herbarum? quæ quanquam sine sensu sunt: tamen à natura sustinentur? at id quidem

dem absurdum est. an bestiarum ? nihilo probabilius, deos mutarum, & nihil intelligentium causa tantum laborasse. Quorum igitur causa quis dixerit effectum esse mundum? Eorum scilicet animantium: quæ ratione vtuntur. hi sunt dij & homines: quibus profecto nihil est melius. Ratio enim est quæ præstat omnibus. Itaq; fit credibile, deorum & hominũ causa factum esse mundum, quæq; in eo mundo sint omnia. facilius q; intelligitur à dijs immortalibus hominibus esse prouisum : si erit tota hominis fabricatio perspecta, omnisq; humanæ naturæ figura, atque perfectio. Nam cum tribus rebus animantium vita teneatur: cibo, potione, spiritu: adhæc omnia percipienda os est aptissimũ, quod adiunctis naribus spiritu augetur. Dentibus autem in ore constructis manditur, atq; ab his extenuatur, & molitur cibus. Eorum aduersi acuti morsu diuidunt escas : intimi autem conficiunt: qui genuini vocantur: quæ confectio etiã à lingua adiuuari videtur. Linguam autẽ ad radices eius hærens excipit stomachus, quo primũ illabuntur ea, quæ accepta sunt, oris vtraque ex parte tonsillas attingens palato extremo, atque intimo terminatur. Atque is agitatione & motibus linguæ cum depulsum, & quasi detrusum cibum accepit : depellit. Ipsius autem partes ea, quæ sunt infra id, quod deuoratur, dilatantur : quæ autem supra, contrahuntur. Sed cum aspera arteria (sic enim à medicis appellatur) hostium habeat adiunctũ linguæ radicibus, paulo supra, quàm ad linguam stomachus annectitur : eaq; ad pulmones vsque pertineat: excipiatq; animam eam: quæ ducta sit spiritu : eademque à pulmonibus respiret, & red-

dat: tegitur quasi quodam operculo. quod ob eam causam datum est: ne si quid in eam cibi forte incidisset, spiritus impediretur. Sed cum alui natura, subiecta stomacho, cibi, & potionis sit receptaculum: pulmones autem, & cor extrinsecus spiritum ducant: in aluo multa sunt mirabiliter effecta: quæ constant ferè ex neruis. Est autem multiplex, & tortuosa: arcetq3, & continet siue illud aridum est, siue humidum, quod recipit: vt id mutari, & concoqui facile possit: eaque tũ astringitur: tum relaxatur: atq3 omne, quod accipit cogit, & confundit: vt facile & calore, quem multum habet, & terendo cibo, & præterea spiritu omnia coacta, atq3 confecta in reliquum corpus diuidantur. In pulmonibus autem inest raritas quædam, & assimilis spongys mollitudo, ad hauriendum spiritum aptissima: qui tum se contrahunt aspirantes: tum spiritu dilatant: vt frequenter ducatur cibus animalis: quo maximè aluntur animantes. Ex intestinis autem & aluo secretus à reliquo cibo succus is, quo alimur, permanat ad iecur per quasdam à medio intestino, vsq3 ad portas iecoris (sic enim appellant) ductas, & directas vias: quæ pertinent ad iecur: eiq3 adhærent. Atq3 inde aliæ pertinentes sunt: per quas cadit cibus à iecore dilapsus. Ab eo cibo cum est secreta bilis, yq3 humores, qui ex renibus profunduntur: reliqua se in sanguinem vertunt: ad easdem portas iecoris confluunt: ad quas omnes eius viæ pertinent: per quas lapsus cibus, in hoc ipso loco in eam venam, quæ caua appellatur, confunditur: perque eam ad cor confectus iam, coactusq3 perlabitur. à corde autem in totum corpus distribuitur per venas admodum multas, in

tas, in omnes partes corporis pertinentes. Quemadmodum autem reliquiæ cibi depellantur: tum astringentibus sc intestinis, tum relaxantibus : haud sanè difficile dictu est: sed tamen prætereundum est : ne quid habeat iniucunditatis oratio. Illa potius explicetur incredibilis fabrica naturæ. nam quæ spiritu in pulmones anima ducitur: ea calescit primùm ab ipso spiritu : deinde coagitatione pulmonum : ex eáque pars redditur respirando: pars concipitur cordis parte quadam, quam ventriculum cordis appellant: Cui similis alter adiunctus est: in quem sanguis à iecore per venam illam cauam influit. eoq; modo ex his partibus & sanguis per venas in omne corpus diffunditur: & spiritus per arterias. vtræque autem crebræ, multæq; toto corpore intextæ, vim quandam incredibilem artificiosi operis, diuinique testantur. Quid dicam de ossibus? quæ subiecta corpori mirabiles commissuras habent, & ad stabilitatem aptas, & ad artus finiendos accommodatas, & ad motum, & ad omnem corporis actionem. Huic adde neruos: à quibus artus continentur: eorumque implicationem toto corpore pertinentem: qui, sicut venæ, & arteriæ, à corde tractæ, & profectæ, in corpus omne ducuntur. Ad hanc prouidentiam naturæ tam diligentem, tamque solertem, adiungi multa possunt: è quibus intelligatur, quantæ res hominibus à deo, quamque eximiæ tributæ sint. Qui primum eos humo excitatos, celsos, & erectos constituit: vt deorum cognitionem, cœlum intuentes, capere possent. Sunt enim è terra homines, non vt incolæ, atq; habitatores, sed quasi spectatores superarum rerum, atq; cœlestium: quarum spectaculu ad

nullum

nullum aliud genus animantiũ pertinet. Sensus autẽ, interpretes ac nuncij rerum, in capite tanquam in arce, mirifice ad vsus necessarios, & facti, & collocati sunt. Nam oculi, tanquã speculatores, altissimum locũ obtinent: ex quo plurima conspicientes, fungantur suo munere. & aures cum sonũ percipere debeant: qui natura in sublime fertur: recte in altis corporũ partibus collocata sunt: itẽq; nares, eò quod omnis odor ad superiora fertur, recte sursum sunt: & quo cibi & potionis iudiciũ magnũ earum est, non sine causa vicinitatem oris secutæ sunt. Ĩ gustatus, qui sentire eorum, quibus vescimur, genera debet: habitat in ea parte oris: qua esculentis, & poculentis iter natura patefecit. tactus autem toto corpore æquabiliter fusus est: vt omnes ictus, omnesq; ẽnimios & frigoris, & caloris appulsus sentire possimus. Atque vt in ædificijs architecti auertunt ab oculis, naribusq; dominorũ, ea, quæ profluentia necessario tetri essent aliquid habitura: sic natura res similes procul amãdauit à sensibus. Quis vero opifex, præter naturam, qua nihil potest esse callidius: tantam sõlertiam persequi potuisset in sensibus: quæ primùm oculos membranis tenuissimis vestiuit, & sepsit: quas primùm perlucidas fecit: vt per eas cerni posset: firmas autem, vt continerentur. sed lubricos oculos fecit, & mobiles: vt & declinarent, si quid noceret: & aspectum quo vellent facile conuerterent. aciesq; ẽ ipsa, qua cernimus: quæ pupula vocatur: ita parua est: vt ea quæ nocere possint, facile vitet. palpebræq;, quæ sunt tegumenta oculorum, mollissimæ tactu, ne læderent aciem, aptissime factæ et ad claudendas pupulas, ne quid incideret: et ad

aperien-

aperiendas: idqúe prouidit vt identidem fieri posset cũ maxima celeritate. munitaq; sunt palpebræ tanquam vallo pilorum: quibus & apertis oculis, si quid incideret, repelleretur: & somno conniuentibus, cum oculis ad cernendum non egeremus: vt qui tanquã inuoluti, quiescerent. latent præterea vtiliter: et excelsis vndique partibus sepiuntur. primùm enim superiora supercilijs obducta sudorem à capite, & fronte defluentem repellunt: genæ deinde ab inferiore parte tutantur subiectæ, leuiterqúe eminentes. nasusq; ita locatus est: vt quasi murus oculis interiectus esse videatur. auditus autem semper patet: eius enim sensu etiam dormientes egemus. à quo cum sonus est acceptus: etiam è somno excitamur. flexuosum iter habet: ne quid intrare possit: si simplex & directum pateret. prouisum etiam, vt si qua minima bestiola conaretur irrumpere: in sordibus aurium, tanquam in visco inhæresceret. extra autem eminent, quæ appellantur aures: & tegendi causã factæ, tutandique sensus: & adiectæ voces laberentur, atque errarent: priusquam sensus ab his pulsus esset. sed duros, & quasi corneolos habent introitus, multisqúe cum flexibus: quod his naturis relatus amplificatur sonus. quo circa & in fidibus testudine resonatur, aut cornu: & ex tortuosis locis, & inclusis referuntur ampliores. Similiter nares, quæ semper propter necessarias vtilitates patent: contractiores habent introitus: ne quid in eas, quod noceat, possit peruadere: humoremq; semper habent ad puluerem, multaq; alia repellenda non inutilem. Gustatus præclare septus est: ore enim continetur, & ad vsum apte, & ad incolumitatis custodiam. omnisq;

sensus

sensus hominum multo antecellit sensibus bestiarũ. primùm enim oculi in his artibus, quarum iudicium est oculorum, in pictis, fictis, celatisq; formis, in corporum etiam motione, atq; gestu, multa cernunt subtilius: colorum etiam, & figurarum, tum venustatem, atq; ordinem, & (vt ita dicam) decentiam, oculi iudicant. atque etiam alia maiora: nam & virtutes, & vitia cognoscunt: iratum, propitium, lætantem, dolentem, fortem, ignauum, audacem, timidumq; cognoscunt. Auriumque item est admirabile quoddam, artificioſumq; iudicium: quo iudicatur & in vocis, & in tibiarum, neruorumq; cantibus, varietas sonorum, interualla, distinctio, & vocis genera permulta: canorum, fuscum, leue, asperum, graue, acutum, flexibile, durum: quæ hominum solum auribus iudicantur. Nariúmque item, & gustandi, & arte tangendi magna iudicia sunt. ad quos sensus capiendos, & perfruendos plures etiam quàm vellem Artes repertæ sunt. Perspicuum est enim quo compositiones vnguentorum, quo ciborum conditiones, quo corporum lenocinia processerint. Iam vero animum ipsum, mentemque hominis, rationem, consilium, prudentiam, qui non diuina cura perfecta esse perspicit: is his ipsis rebus mihi videtur carere. de quo dum disputarem: tuam mihi dari velim Cotta eloquentiam. quo enim tu illa modo diceres? quanta primùm intelligentia, deinde consequentium rerum cum primis coniunctio, & comprehensio esset in nobis: ex quo videlicet, quid ex quibusq; rebus efficiatur, idque ratione, concludimus: singulasque res diffinimus circumscripteque coplectimur: ex quo scientia in-

tia intelligitur quam vim habeat: qualis sit: quæ ne in deo quidem est res vlla præstantior. quanta vero illa sunt, quæ vos Academici infirmatis, & tollitis: quod & sensibus, & animo, ea quæ extra sunt percipimus: atque comprehendimus? ex quibus collatis inter se, & comparatis artes quoque efficimus, partim ad vsum vitæ, partim ad oblectationem necessarias. Iam vero dominarerum (vt vos soletis dicere) eloquendi vis, quàm est præclara? quamque diuina? quæ primùm efficit vt ea, quæ ignoramus, discere, & ea, quæ scimus, alios docere possimus. deinde hac cohortamur: hac persuademus: hac consolamur afflictos: hac deducimus perterritos à timore: hac gestientes comprimimus: hac cupiditates, iracundiasque restinguimus: hac nos iuris, legum, vrbium societate deuinxit: hac à vita immani, & fera segregauit. ad vsum autem orationis incredibile est, nisi diligenter attenderis: quanta opera machinata natura sit. primum enim à pulmonibus arteria vsque ad os intimum pertinet: per quam vox principium à mente ducens, percipitur, & funditur. deinde in ore sita lingua est, finita dentibus. ea vocem immoderate profusam, fingit, & terminat: quæ sonos vocis distinctos, & pressos efficit, cum & ad dentes, & ad alias partes pellit oris. itaq; plectri similem linguam nostri solent dicere: chordarum, dentes: nares cornibus his, qui ad neruos resonant in cantibus. Quàm vero aptas quamq; multarum artiũ ministras manus natura homini dedit? digitorum enim contractio facilis, facilisq; porrectio, propter molles commissuras, & artus, nullo in motu laborat. itaq;

Eloquent

ad pin-

ad pingendum, ad fingendum, ad sculpendum, ad neruorum eliciendos sonos, ac tibiarum, apta manus est, ad motione digitorũ. Atq; hæc oblectationis: illa necessitatis. cultus dico agrorum, extructione sque tectorum, tegumenta corporum, vel texta, vel suta, omnemq; fabricam æris, & ferri: ex quo intelligitur, adinuenta animo, percepta sensibus, adhibitis opificum manibus omnia nos consecutos, vt tecti, vt vesti, vt salui esse possimus: vrbes, muros, domicilia, delubra, haberemus. Iam vero operibus hominũ, id est, manibus, cibi etiam varietas inuenitur, & copia. nam & agri multa ferunt manu quæsita: quæ vel statim consumantur: vel mandentur condita vetustati. & præterea vescimur bestijs & terrenis, & aquatilibus, & volantibus, partim capiendo, partim alendo. efficimus etiam domitu nostro quadrupedum vectiones: quorum celeritas, atque vis, nobis ipsis affert vim, & celeritatem. nos onera quibusdam bestijs, nos iuga imponimus: nos elephantorum acutissimis sensibus, nos sagacitate canum ad vtilitatem nostram abutimur: nos è terræ cauernis ferrum elicimus, rem ad colendos agros necessariam: Nos æris, argenti, auri venas penitus abditas inuenimus, & ad vsum aptas, & ad ornatum decoras: arborum autem confectione, omnique materia, & culta & syluestri, partim ad calefaciendum corpus igni adhibita, & ad mitigandum cibum vtimur: partim ad ædificandum: vt tectis septi, frigora, caloresque pellamus. magnos vero vsus affert ad nauigia facienda. quorum cursibus suppeditantur omnes vndique ad vitam copiæ: quasque res violentissimas natura genuit,

carum

earum moderationem nos soli habemus: maris, atq; vē-
torum, propter nauticarū rerum scientiam: plurimisq;
maritimis rebus fruimur, atq; vtimur. terrenorum
item commodorū omnis est in homine dominatus. nos
campis, nos montibus fruimur: nostri sunt amnes: no-
stri lacus: nos fruges serimus: nos arbores: nos aqua-
rum inductionibus terris fœcunditatem damus: nos flu-
mina arcemus: dirigimus: auertimus: nostris deniq;
manibus in rerum natura quasi alteram naturā effi-
cere conamur. quid vero hominū ratio? non in cœ-
lum vsq; penetrauit? soli enim ex animantibus nos
astrorum ortus, obitus, cursusq; cognouimus. Ab
hominum genere finitus est dies, mensis, annus, defectio-
nes solis & lunæ cognitæ: prædictaq; in omne posterum
tempus, quæ, quantæ, quando futuræ sint. quæ con-
tuens animus accipit ab his cognitionem deorum: ex
quo oritur pietas, cui coniuncta iustitia est, reliquæq;
virtutes, ex quibus vita beata existit par, & similis deo-
rum, nulla alia re nisi immortalitate: quæ nihil ad bene
viuendum pertinet, cedens cœlestibus. Quibus re-
bus expositis, satis docuisse videor, hominis natura
quanto omnes anteiret animantes. Ex quo debet in-
telligi, nec figuram, situmq; membrorum, nec ingenij
mentisq; vim, talem effici potuisse fortuna. Restat, vt
doceam, atq; aliquando perorē, omnia, quæ sint in hoc
mundo, quibus vtantur homines, hominum causa fa-
cta esse, & parata. Principio ipse mundus deorum ho-
minumq; causa factus est: quæq; in eo sunt, ea para-
ta ad fructum hominum, & inuenta sunt. Est
enim mundus quasi communis deorum atq; homi-

num domus, aut vrbs vtrorumq3. Soli.n. ratione vtentes, iure, ac lege viuunt. Vt igitur Athenas, & Lacedæmonem, Athenienſium, Lacedæmoniorumq3 cauſa putandum eſt conditas eſſe: omniaq3 quæ ſint in his vrbibus, eorum populorum recte eſſe dicuntur: ſic quæcunq3 ſunt in omni mundo, deorũ, atq3 hominũ putanda ſunt. Iam vero circuitus ſolis, & lunæ, reliquorumq3 ſyderũ, quanquam etiam ad mundi cohærentiã pertinent: tamen & ſpectaculũ hominibus præbent: nulla eſt enim inſatiabilior ſpecies: nulla pulchrior, et ad rationẽ ſolertiãq́ præſtãtior: eorũ enim curſus dimetati, maturitates temporum, & varietates, mutationesq3 cognouimus: quæ ſi hominibus ſolis nota ſunt: hominũ cauſa facta eſſe iudicandũ eſt. Terra vero fœta frugibus, & vario leguminum genere, quæ maxima largitate fundit, ea ferarũm ne, an hominum cauſa gignere videtur? quid de vitibus, oliuetisq3 dicã? quarũ vberrimi lætiſſimiq3 fructus, nihil omnino ad beſtias pertinent. neq3 enim ſerendi, neq3 colendi, nec tempeſtiue demetendi, percipiendiq3 fructus, neq3 condendi, ac reponendi vlla pecudũ ſcientia eſt: earumq3 omniũ rerum hominum eſt & vſus, & cura. vt fides igitur, et tibias, eorum cauſa factas dicendum eſt: qui illis vti poſſunt: ſic ea, quæ diximus, vs ſolis confitendum eſt eſſe parata, qui vtuntur. nec ſi quæ beſtiæ furantur aliquid ex his, aut rapiunt: illarum quoq3 cauſa ea nata eſſe dicimus. neque enim homines muriũ, aut formicarum cauſa frumentum condunt: ſed coniugũ, & liberorum, & familiarum ſuarum. itaq3 beſtiæ furtim, vt dixi fruuntur: domini palàm, & libere. Hominum igitur cauſa eas

rerum

rerum copias comparatas, fatendū est. nisi forte tāta vbertas, & varietas pomorum, eorumq; iucundus non gustatus solū, sed odoratus etiam, & aspectus dubitationem affert: quin hominibus solis ea natura donauerit: tantumq; abest, vt hæc bestiarū etiam causa parata sint: vt ipsas bestias hominū gratia generatas esse videamus. quid enim oues aliud afferunt: nisi vt earum villis confectis, atq; contextis, homines vestiantur? quæ quidem neq; ali, neq; sustentari, neq; vllū fructū edere ex se sine cultu hominū, & curatione potuissent. Canū vero tam fida custodia, tamq; amans dominorū adulatio, tantumq; odium in externos, & tam incredibilis ad inuestigandū sagacitas narium, tanta alacritas in venando, quid significat aliud, nisi se ad hominū commoditates esse generatos? quid de bobus loquar? quorum ipsa terga declarant non esse ad onus accipiendum figurata, ceruices autem natæ ad iugum: tum vires humerorum, & latitudines ad aratra extrahenda: quibus, cum terræ subigerentur fissione glebarum, ab illo aureo genere, vt poëtæ loquuntur, vis nunquam vlla afferebatur. Canis

Ferrea tum vero proles exorta repente est,
Ausaq; funestum prima est fabricarier ensem:
Et gustare manu iunctum, domitumq; iuuencum.

Tanta putabatur vtilitas percipi è bobus: vt eorum visceribus vesci scelus haberetur. longum est, si mulorum persequar vtilitates, & asinorum: quæ certe ad hominum vsum paratæ sunt. Sus vero quid habet præter escam? cui quidem, ne putresceret, animam ipsam pro sale dicit datam esse Chrysippus. qua pe-

cude, quod erat ad vescendum hominibus apta: nihil genuit natura fœcundius. quid multitudinem, suauitatemq; piscium dicã? quid auiũ? ex quibus tanta percipitur voluptas, vt interdũ Pronœa nostra, Epicurea fuisse videatur. atq; hæ ne caperentur quidẽ, nisi hominum ratione, atq; solertia. quanquam aues quasdam & alites, & oscines, vt nostri augures appellant, rerũ augurandarũ causa esse natas putemus. Iam vero immanes & feras belluas nanciscimur venando: vt & vescamur his: & exerceamur in venando ad similitudinẽ bellicæ disciplinæ: & vtamur domitis, & condocefactis: vt elephantis: multaq; ex earũ corporibus remedia, morbis, & vulneribus eligamus: sicut ex quibusdã stirpibus, & herbis, quarũ vtilitates longinqui temporis vsu, & periclitatione percipimus. Totam licet animis tanquã oculis lustrare terram, mariaq; omnia cernere: & spacia frugifera, atq; immensa camporũ, vestitusq; densissimos montium, pecudũ pastus, tum incredibili cursus maritimos celeritate. nec verò tantum supra terrã, sed etiam in intimis eius tenebris plurimarum rerum latet vtilitas, quæ ad vsum hominũ orta, ab hominibus solis inuenitur. Illud verò, quod vterq; vestrum fortasse arripiet adreprehendendum: Cottã, quia Carneades libenter in Stoicos inuehebatur: Velleius, quia nihil tã irridet Epicurus, quã prædictionem rerum futurarũ: mihi videtur vel maximè confirmare, deorũ prouidentia consuli rebus humanis. est enim profectò diuinatio: quæ multis locis, rebus, temporibus apparet: tũ in priuatis, tũ maximè publicis. multa cernunt aruspices: multa augures prouident, multa oraculis decla-

lis declarantur, multa vaticinationibus, multa somnys, multa portētis, quibus cognitis, multæ sæpe res, hominū sententia atq; vtilitate partæ, multa etiā pericula depulsa sunt. Hæc igitur siue vis, siue ars, siue natura, ad scientiam rerū futurarū homini profectò est, nec ab alio alicui, quā à dijs immortalibus data est. Quæ si singula vos forte nō mouent, vniuersa cerie inter se connexa, atque coniuncta mouere debebunt. Nec vero vniuerso generi hominū solùm, sed etiam singulis à dijs immortalibus cōsuli, & prouideri solet. licet enim contrahere vniuersitatem generis humani, eamq; gradatim ad pauciores, postremo deducere ad singulos. Nam si omnibus hominibus, qui vbiq; sunt, quacunq; in ora, ac parte terrarum, ab huiusce terræ, quā nos incolimus continuatione distantiū, deos cōsulere censemus ob has causas, quas antè diximus, his quoq; hominibus consulunt, qui has nobiscū terras ab oriente ad occidentē colunt. Sin autem his cōsulunt: qui quasi magnā quandā insulam incolunt, quam nos orbem terræ vocamus, etiā illis consulunt, qui partes eius insulæ tenent, Europam, Asiam, Aphricā. Ergo & earū partes diligunt: vt Romam, Athenas, Spartam, Rhodum: & earū vrbium separatim ab vniuersis singulos diligunt, vt Pyrrhi bello Curiū, Fabricium, Coruncanum: primo Punico Calatinum, Duillium, Metellum, Luctatiū: secundo Maximū, Marcellū, Aphricanum: post hos Paulum, Gracchū, Catonem: patrumue memoria, Scipionē, Lælium: multosq; præterea, & nostra ciuitas, & Græcia tulit singulares viros: quorū neminē nisi iuuante deo talē fuisse credendū est. Quæ ratio poëtas, maximeq; Homerum im-

pulit, vt principibus heroũ, Vlyxi, Diomedi, Agamẽnoni, Achilli, certos deos, discriminum, & periculorũ comites adiungeret. Præterea ipsorum deorũ sæpe præsentiæ, quales supra cõmemoraui: declarant ab his, & ciuitatibus, & singulis hominibus consuli. Quod quidẽ intelligitur etiam significationibus rerũ futurarũ, quæ tum dormientibus, tũ vigilantibus portẽduntur. Multa præterea ostentis, multa in extis admonemur, multisq; rebus alijs: quas diuturnus vsus ita notauit: vt artem diuinationis efficeret. Nemo igitur vir magnus sine aliquo afflatu diuino vnquam fuit. Nec vero ita refellendum est: vt si segetibus aut vineis cuiusquiã, tempestas nocuerit: aut si quid è vitæ cõmodis casus abstulerit, eum, cui quid horũ acciderit: aut inuisum deo, aut neglectũ à deo iudicemus. Magna dij curant: parua negligunt. magnis autẽ viris prospere eueniunt semper omnes res: siquidẽ satis à nostris, & à principe philosophorũ Socrate dictũ est de vbertatibus virtutis, & copijs. Hæc mihi fere in mentem veniebant, quæ dicenda putarem de natura deorum. Tu autem Cotta, si me audias, eandem causam agas, teq; & principem ciuem putes: & pontificem esse cogites: Et quoniam in vtramq; partem vobis licet disputare: hanc potius sumas: eam q; facultatẽ disserendi, quã tibi à rhetoricis exercitationibus acceptam amplificauit Academia, huc potius conferas. Mala enim, & impia consuetudo est, contra deos disputandi, siue ex animo id fit, siue simulate.

M. T. CICERONIS DE NATVRA DEORVM LIBER TERTIVS.

QVÆ cum Balbus dixisset, tum arridens Cotta, Serò, inquit, mihi Balbe præcipis quid defendam. Ego enim, te disputante, quid contrà dicerem mecum ipse meditabar, neq; tam refellendi tui causa, quàm ea, quæ minus intelligebam, requirendi. Cum autem suo cuiq; iudicio sit vtendũ, difficile factu est, me id sentire, quod tu velis. Hic Velleius, Nescis, inquit, quãta cũ expectatione Cotta sim te auditurus. Iucundus enim Balbo nostro sermo tuus contra Epicurum fuit. Præbebo igitur ego me tibi vicissim attentum contra Stoicos auditorem. Spero enim te, vt soles, benè paratum venire. Tum Cotta, Si mehercule Vellei, inquit: neq; enim mihi par ratio cũ Lucilio est, ac tecum fuit. Qui tandem, inquit ille? Quia mihi videtur Epicurus vester de dijs immortalibus nõ magnopere pugnare, tantũmodo negare deos esse non audet, ne quid inuidiæ subeat, aut criminis. Cùm vero deos nihil agere, nihil curare confirmat, membrisq; humanis esse præditos, sed eorum membrorum vsum nullum habere, ludere videtur. satisq; putare, si dixerit, esse quandam beatam naturam, & æternam. A Balbo autem animaduertisti credo quàm multa dicta sint, quamq;, etiã si minus vera, tamen apta inter se, & cohærentia.

Itaq; cogito, vt dixi, non tam refellere eius orationem: quam ea, quæ minus intellexi requirere. Quare Balbe tibi permitto, respondere ne mihi malis, de singulis rebus quærenti ex te ea, quæ parũ accepi: an vniuersam audire orationẽ meam. Tum Balbus, Ego vero si quid tibi explanari voles, respondere malo. Sin me interroga re, nõ tã intelligendi causã, quã refellendi, vtrũ voles faciã: vel ad singula, quæ requiris, statim respondebo, vel, cum peroraris, ad omnia. Tum Cotta, Optime inquit: quamobrẽ sic agamus, vt nos ipsa ducit oratio. Sed ante quã de re, pauca de me. Non enim mediocriter moueor authoritate tua Balbe, orationeq; ea, quæ me in perorãdo cohortabatur: vt meminissem me, & Cottã esse, & pontificẽ. Quod eò, credo, valebat, vt opiniones, quas à maioribus accepimus de dijs immortalibus, sacra, cerimonias, religionesq; defenderẽ. Ego vero eas defendam, semperq; defendi: nec me ex ea opinione, quã à maioribus accepi de cultu deorum immortaliũ, vllius vnquã oratio aut docti, aut indocti mouebit. Sed cum de religione agitur, T. Coruncanum, P. Scipionẽ, P. Scæuolã Pontifices maximos, non Zenonẽ, aut Cleanthẽ, aut Chrysippum sequor, habeoq; C. Lælium augurem, eundemq; sapientem, quem potius audiam de religione dicentẽ in illa oratione nobili, quã quenquam principem Stoicorũ. Cumq; omnis populi Romani religio, in sacra, & in auspicia diuisa sit, tertium adiunctum sit, si quid prædictionis causa ex portentis, & monstris, Sibyllæ interpretes, aruspicesue monuerunt. Harum ego religionum nullam vnquam contemnendam putaui: mihiq; ita persuasi, Romulum auspicijs, Numam sacris constitutis,

stitutis, fundamenta iecisse nostræ ciuitatis: quæ nunquã profecto sine summa placatione deorum immortalium tanta esse potuisset. Habes Balbe quid Cotta, quid pontifex sentiat. Fac nunc ergo intelligam tu quid sentias: à te enim philosopho rationem accipere debeo religionis, maioribus autem nostris, etiam nulla ratione reddita, credere. Tum Balbus, quã igitur à me rationẽ, inquit, Cotta desideras? Et ille, quadripartita, inquit, fuit diuisio tua. Primùm, vt velles docere deos esse: deinde, quales essent: tum, ab his mundũ regi: postremo consulere eos rebus humanis: hæc, si recte memini, partitio fuit. Rectissime inquit Balbus: sed expecto quid requiras. Tum Cotta, primùm quicq; videamus, inquit? etsi id est primùm quod inter omnes, nisi admodum impios, conuenit: mihi quidem ex animo exuri non potest, esse deos: id tamen ipsum, quod mihi persuasum est, authoritate maiorum, cur ita sit, nihil tu me doces. Quid est, inquit Balbus, si tibi persuasum est, cur à me velis discere?

Tum Cotta, quia sic aggredior, inquit, ad hanc disputationem, quasi nihil vnquam audierim, de dys immortalibus, nihil cogitauerim: rudẽ me discipulum & integrum accipe, & ea, quæ requiro doce.

Dic igitur, inquit, quid requiras. Ego ne? primum illud, cur quod perspicuũ in istam partem, ne egere quidem oratione dixisses, quod esset conspicuum, & inter omnes constaret, de eo ipso tam multa dixeris?

Quia te quoq;, inquit, animaduerti Cotta, sæpe, cum in foro diceres, quã plurimis posses argumentis onerare iudicem, si modo eam facultatem tibi daret causa: atque hoc idem & philosophi faciunt, & ego, vt potui,

feci. Tu autem, qui id quæris, similiter facis, ac si me roges, cur te duobus contuear oculis, et nõ altero tantùm, cum idem vno assequi possim. Tum Cotta, quàm simile istud sit, inquit, tu videris. Nam ego neq; in causis, si quid est euidens, de quo inter omnes conueniat, argumentari soleo: perspicuitas enim argumentatione eleuatur: nec si id facerem in causis fõrensibus, idem facerem in hac subtilitate sermonis. Cur contuereris autem altero oculo, causa non esset, cum idem obtutus esset amborum, et cum rerum natura, quam tu sapientem esse vis, duo lumina ab animo ad oculos perforata nos habere voluisset. Sed quia non confidebas tam esse id perspicuum, quàm tu velis, propterea multis argumentis deos esse docere voluisti. Mihi enim vnum sat erat, ita nobis maiores nostros tradidisse. Sed tu authoritates contemnis, ratione pugnas. Patere igitur rationem meam cum tua ratione contendere. Affers hæc omnia argumenta cur diy sint, rem q; mea sententia minime dubiam, argumentando dubiam facis. Mandaui enim memoriæ non numerum solum, sed etiam ordinem argumentorum tuorum. Primùm fuit, cum cœlum suspexissemus, statim nos intelligere esse aliquod numen, quo hæc regantur. Ex hoc illud etiam,

Aspice hoc sublime candens, quẽ inuocant omnes Iouẽ.

Quasi vero quisquam nostrum, istum potius, quã Capitolinum, Iouem appellet: aut hoc perspicuum sit, constetqúe inter omnes, eos esse deos, quos tibi Velleius, multiq; præterea, ne animantes quidem esse concedant. Graue etiam argumentum tibi videbatur, quod opinio de diys immortalibus & omnium esset, & quotidie crescereres.

ceret. Placet igitur tantas res opinione stultorum iudicari, vobis præsertim, qui illos insanos esse dicatis? At enim præsenteis videmus deos, vt apud Regillum Posthumius, in Salaria Vacienus, nescio quid etiam de Locrorum apud Sagram prælio. Quos igitur tu Tyndaridas appellabas, id est, homines homine natos, & quos Homerus, qui recens ab illorum ætate fuit, sepultos esse dicit Lacedæmone, eos tu canterys albis, nullis calonibus, obuiam Vacieno venisse existimas, & victoriam populi Ro. Vacieno potius, homini rustico, quã M. Catoni, qui tũ erat princeps, nunciauisse? Ergo & illud in silice, quod hodie apparet apud Regillũ, tanquam vestigium vngulæ, Castoris equi credis esse. nonne mauis illud credere, quod probari potest, animos præclarorũ hominũ, quales isti Tyndaridæ fuerunt, diuinos esse, & æternos, q̃ eos, qui semel cremati essent, equitare, & in acie pugnare potuisse? Aut si hoc fieri potuisse dicis, doceas oportet quo modo nec fabellas aniles proferas. Tum Lucilius, an tibi, inquit, fabellæ videntur? nonne ab Aulo Posthumio ædem Castori & Polluci in fõro dedicatam: nonne senatus consultum de Vacieno vides? Nam de Sagra Græcorum etiam est vulgare prouerbium: qui, quæ affirmant, certiora esse dicunt, quã illa, quæ apud Sagram. His igitur authoribus nonne debes moueri?

Tum Cotta, Rumoribus, inquit, mecũ pugnas Balbe, ego autem à te rationes requiro.

Quædam hic desiderantur.

Sequuntur, quæ futura sunt: effugere enim nemo id potest, quod futurũ est. Sæpe autem ne vtile est quidem scire, quid futurũ sit. Miserum est enim nihil proficientem angi, nec habere ne spei quidem extremũ, & tamen

commune

commune solatiũ: præsertim cum vos ijdem fato fieri dicatis omnia. Quod autem semper ex omni æternitate verum fuerit, id esse fatum. Quid igitur iuuat, aut quid affert ad cauendũ, scire aliquid futurũ, cum id certe futurum sit? Vnde porro ista diuinatio? quis inuenit fissum iecoris? qs cornicis cantũ notauit? quis sortes? quibus ego credo, nec possum Accij Nauij, quem cõmemorabas, lituũ iura cõtemnere. Sed qui ista intellecta sunt, à philosophis debeo discere: præsertim cũ isti plurimis de rebus diuinis mentiantur. At medici quoq; (ita enim dicebas) sæpe falluntur. Quid simile, medicina, cuius ego rationem video, & diuinatio? quæ vnde oriatur non intelligo. Tu autem etiam Deciorũ deuotionibus placatos deos esse censes. Quæ fuit eorum tanta iniquitas, vt placari populo Rom. nõ possent, nisi viri tales occidissent? Consilium illud imperatorum fuit, quod Græci στρατήγημα appellant, sed eorum Imperatorum, qui patriæ consulerent, vitæ non parcerent. Rebantur enim fore, vt exercitus imperatorem, equo incitato se in hostem immittentem, persequeretur: id quod euenit. Nam Fauni vocem equidem nunquam audiui: tibi, si audiuisse te dicis, credam: etsi Faunus omnino quid sit, nescio. Non igitur adhuc, quantum quidẽ in te Balbe est, intelligo deos esse: quos equidem credo esse, sed nihil docent Stoici. Nam Cleanthes, vt dicebas, quatuor modis formatas in animis hominum putat deorum esse notiones. Vnus is modus est, de quo satis dixi, qui est susceptus ex præsensione rerum futurarum. Alter ex perturbationibus tempestatum, & reliquis motibus. Tertius ex commoditate rerum, quas percipimus, &

copia.

copia. Quartus ex astrorum ordine, cœlique constantia. De præsensione diximus: de perturbationibus cœlestibus, & maritimis & terrenis, non possumus dicere, cùm ea fiant, non esse multos, qui illa metuant, & à dijs immortalibus fieri existiment. Sed non id quæritur, sint ne aliqui qui deos esse putent: dy vtrum sint, nec ne, quæritur. Nam reliquæ causæ, quas Cleanthes adfert, quarum vna est de commodorum, quæ capimus, copia: altera de temporum ordine, cœlique constantia, tum tractabuntur à nobis, cum de prouidentia disputabimus deorum: de qua plurima à te, Balbe, dicta sunt: eodemq; illa etiam differemus, quod Chrysippum dicere aiebas, quoniam esset aliquid in rerum natura, quod ab homine effici non posset, homine esse aliquid melius: quæq; in domo pulchra cũ pulchritudine mundi comparabas, & cum totius mundi conuenientiam consensumque afferebas: Zenonisq; breues, & acutulas conclusiones in eam partem sermonis, quammodo dixi, differemus. Eodemq; tempore illa omnia quæ à te physice dicta sunt de vi ignea, deque eo calore, ex quo omnia generari dicebas, loco suo quærentur: omniaq;, quæ à te nudiustertius dicta sunt, cum docere velles, deos esse: quare & mundus vniuersus, & sol, & luna, & stellæ sensum ac mentem haberent, in idem tempus reseruabo. A te autem idem illud etiam atq; etiam quæram, quibus rationibus tibi persuadeas deos esse. Tum Balbus, Equidem attulisse rationes mihi videor: sed eas tu ita refellis, vt cum me interrogaturus esse videare, & ego me ad respondendum compararim, repente auertas orationem,

nem, nec des respondendi locum. Itaque maximæres tacitæ prætierunt, de diuinatione, de fato : quibus de quæstionibus tu quidem strictim , nostri autem multa solēt dicere, sed ab hac quæstione , quæ nunc in manibus est, separantur. Quare, si videtur, noli agere confuse, vt hoc explicemus hac disputatione, quod quæritur. Optime, inquit Cotta. Itaque quoniam quatuor in partes totam quæstionem diuisisti , de prima quidem diximus: consideremus secundam , quæ mihi talis videtur fuisse, vt cum ostendere velles, quales dij essent, ostenderes nullos esse. A consuetudine enim oculorum animum abducere difficillimū dicebas. sed, cum deo nihil præstantius esset , non dubitabas quin mundus esset deus, quo nihil in rerum natura melius esset, modo possemus eum animantem cogitare, vel potius vt cætera oculis, sic animo hoc cernere. Sed cum mundo negas quicquam esse melius, quid dicis melius? Si pulchrius, assentior: si aptius ad vtilitates nostras, id quoque assentior: sin autem id dicis, nihil esse mundo sapientius , nullo modo prorsus assentior. Non quod difficile sit mentē ab oculis seuocare, sed quo magis seuoco, eo minus id , quod tu vis, possum mente comprehendere. Nihil est mundo melius in rerum natura, ne in terris quidem vrbe nostra: num igitur iccirco in vrbe esse rationem , cogitationem, mentem putas? aut quoniam non sit , num iccirco existimas formicam anteponendam esse huic pulcherrimæ vrbi , quod in vrbe sensus sit nullus , in formica non modo sensus, sed etiam mens , ratio, memoria? Videre oportet Balbe , quid tibi concedatur, non te ipsum, quod velis, sumere. Istum enim locum

totum

totum illa vetus Zenonis breuis, &, vt tibi videbatur, acuta concluſio dilatauit. Zeno enim ita concludit, Quod ratione vtitur, id melius eſt, quàm id, quod ratione non vtitur: nihil autem mundo melius, ratione igitur mundus vtitur. Hoc ſi placet, iam efficies vt mundus optime librum legere videatur. Zenonis enim veſtigijs hoc modo rationem poteris concludere. Quod literatum eſt, id melius eſt, quàm quod non eſt literatũ. nihil autẽ mundo melius, literatus igitur eſt mundus. Iſto modo, etiam diſertus & quidem mathematicus, muſicus, omni denique doctrina eruditus, poſtremo philoſophus erit mundus. Sæpe dixi nihil fieri ſine deo, nec vllam vim eſſe naturæ, vt ſui diſſimilia poſſet effingere. Concedam non modo animantem, & ſapientem eſſe mundum, ſed fidicinem etiam, & tibicinem, quoniam earum quoque artium homines, ex eo procreantur. Nihil igitur affert pater iſte Stoicorum, quare mundum ratione vti putemus, nec cur animantem quidem eſſe. Non eſt igitur mundus deus, & tamen nihil eſt eo melius, nihil eſt eo pulchrius, nihil nobis ſalutarius, nihil ornatius aſpectu, motuque conſtantius. Quod ſi mundus vniuerſus non eſt deus, ne ſtellæ quidem, quas tu innumerabiles in deorum numero reponebas, quarum te curſus æquabiles, æterniq; delectabant, nec mehercule iniuria. Sunt enim admirabili, incredibiliq; conſtantia. Sed non omnia Balbe, quæ curſus certos, & conſtantes habent, vel ſeruant, ea deo potius, quàm naturæ tribuenda ſunt. Quid Chalcidico Euripo in motu identidẽ reciprocando putas fieri poſſe conſtantius? Quid freto Sicilienſi? Quid Oceani

feruore

feruore illis in locis,
Europam, Libyamq; rapax vbi diuidit vnda?
Quid æstus maritimi, vel Hispanienses, vel Britannici, eorumq; certis temporibus vel accessus, vel recessus, sine deo fieri nonne possunt? Vide quæso, si omnis motus, omniaq; quæ certis temporibus ordinem suum conseruant, diuina dicimus: ne tertianas quidem febres, & quartanas diuinas esse dicendum sit, quarum reuersione, & motu, quid potest esse constantius? sed omnium talium rerum ratio reddenda est: quod vos cum facere non potestis: tanquam in aram, confugitis ad deum. Et Chrysippus tibi acute dicere videbatur, homo sine dubio versutus, & callidus. Versutos eos appello, quorum celeriter mens versatur: callidos autem, quorum, tanquam manus opere, sic animus vsu concalluit. Is igitur, si aliquid est, inquit, quod homo efficere non possit, qui id efficit, melior est homine. homo autem hæc, quæ in mundo sunt, efficere non potest. qui potuit igitur, is præstat homini. Homini autem præstare quis possit nisi deus? Est igitur deus. Hæc omnia in eodem, quo illa Zenonis, errore versantur. Quid enim sit melius, quid præstabilius, quid inter naturam, & rationem intersit, non distinguitur. Idemq;, Si dei non sint, negat esse in omni natura quicquam homine melius: id autem putare quenquam hominem, nihil homine esse melius, summæ arrogantiæ censet esse. Sit sane arrogantis, pluris se putare, quàm mundū. at illud nō modo non arrogantis, sed potius prudentis, intelligere se habere sensum, & rationem, & orationē, hæc eadem & caniculam non habere.

Et si

Et si domus pulchra sit, intelligamus eam dominis, inquit, ædificatã esse, non muribus: sic igitur mundũ deorum domum existimare debemus. Ita prorsus existimarem, si illum ædificatum, non, quemadmodũ docebo, à natura conformatum putarem. At enim quærit apud Xenophontem Socrates, vnde animam arripuerimus, si nulla fuerit in mundo. Et ego quæro vnde orationem, vnde numeros, vnde cantus. Nisi verò loqui Solem cum Luna putamus, cũ propius accesserit, aut ad harmoniam canere mundũ: vt Pythagoras existimat. Naturæ ista sunt, Balbe, naturæ non artificiosè ambulantis, vt ait Zeno (quod quidem quale sit tam videbimus) sed omnia cientis, & agitantis motibus, & mutationibus suis. Itaq; illa mihi placebat oratio de conuenientia, consensuq; naturæ, quam quasi cognatione continuatam conspirare dicebas. Illud non probabam, quod negabas id accidere potuisse, nisi ea vno diuino spiritu continerentur. Illa vero cohæret, & permanet naturæ viribus, non deorum, est q; in ea iste quasi consensus, quam συμπάθειαν Græci vocant. Sed ea, quo sua sponte maior est, eo minus diuina ratione fieri existimanda est. Illa autem quæ Carneades afferebat, quemadmodum dissoluitis? Si nullum corpus immortale sit, nullum esse corpus sempiternum: corpus autem immortale nullum esse? ne indiuiduum quidem? nec quod dirimi, distrahiq; non possit. Quumq; omne animal patibilem naturam habeat, nullum est eorum, quod effugiat accipiendi aliquid extrinsecus, id est, qua si ferendi & patiendi necessitatẽ. Et, si omne animal mortale est: nullũ est immortale. Ergo itidẽ si omne animal

secari ac diuidi potest, nullum est eorum indiuiduum: nullum æternum. Atqui omne animal ad accipiendam vim externam & ferendam paratũ est: mortale igitur omne animal, & dissolubile, & diuiduũ sit necesse est. Vt enim, si omnis cera commutabilis esset, nihil esset cereum, quod cõmutari non posset, itẽ nihil argenteum, nihil æneum, si commutabilis esset natura argenti & æris. similiter igitur, si omnia quæ sunt ex quibus cuncta constant, mutabilia sunt, nullũ corpus esse potest non mutabile. Mutabilia autẽ sunt illa, ex quibus omnia constant: vt vobis videtur: omne igitur corpus mutabile est. At si esset corpus aliquod immortale, non esset omne mutabile. Ita efficitur vt omne corpus mortale sit. Etenim omne corpus, aut aqua, aut aër, aut ignis, aut terra est, aut id, quod est concretũ ex his, aut ex aliqua parte eorũ: horum autem nihil est quod non intereat. Nam & terrenũ omne diuiditur: & humor ita mollis est: vt facile comprimi, collidiq́, possit: ignis vero, & aër, omni impulsu facillime pellitur, naturaq́, cedens est maximè & dissipabilis. Prætereaq́, omnia hæc tum intereunt, tum in naturam aliam conuertuntur: quod fit cum terra in aquam se vertit? & cum ex aqua oritur aër, & cum ex aëre æther? cúmque eadem vicissim retrò commeant. Quod si ea intereunt ex quibus constat omne animal, nullũ est animal sempiternũ. Et vt hæc omittamus, tamen animal nullum inueniri potest, quod neq́, natũ vnquam sit? & semper sit futurum. Omne enim animal sensus habet: sentit igitur & calida, & frigida, & dulcia, & amara. Nec potest vllo sensu iucunda accipere: & non accipere

pere contraria. si igitur voluptatis sensum capit: dolorē etiam capit. quod autem dolorem accipit: id accipiat, etiam interitū necesse est. omne igitur animal confitendum est esse mortale. Præterea, si quid est, quod nec voluptatem sentiat, nec dolorem: id animal esse non potest. sin autē quod animal est: id illa necesse est sentiat: & quod ea sentiat, non potest esse æternū: & omne animal sentit: nullū igitur animal est æternum. Præterea nullū potest esse animal: in quo non & appetitio sit, & declinatio naturalis. appetuntur autem quæ secundum naturam sunt, declinantur contraria: & omne animal appetit quædam, & fugit à quibusdam: quod autē refugit, id contra naturam est: & quod est cōtra naturam id habet vim interimendi. omne ergo animal intereat necesse est. Innumerabilia sunt ex quibus effici, cogique possit, nihil esse quod sensum habeat, quin id intereat. etenim ea ipsa quæ sentiuntur, vt frigus, vt calor, vt voluptas, vt dolor, vt cætera, cum amplificata sunt, interimunt. nec vllū animal est sine sensu. nullū igitur animal est æternum. etenim aut simplex est natura animantis: vt vel terrena sit, vel ignea, vel animalis, vel humida: quod quale sit ne intelligi quidem potest: aut concretum ex pluribus naturis: quarū suum quæque locum habeat, quo naturæ vi efferatur: alia infimum, alia summum, alia medium. hæc ad quoddam tempus cohærere possunt: semper autem nullo modo possunt. necesse est enim, suum quæque in locum natura rapiatur. nullum igitur animal est sempiternum. Sed omnia vestri, Balbe, solent ad igneam vim referre, Heraclitum vt opinor

sequentes: quem ipsum non omnes interpretantur uno modo. qui quoniam quid diceret intelligi noluit, omittamus. vos autem ita dicitis omnẽ vim esse ignem. itaq; & animantes, cùm calor defecerit, tum interire: et in omni natura rerum id viuere, id vigere, quod caleat. Ego autem non intelligo, quo modo calore extincto corpora intereant: non intereant humore, aut spiritu amisso: præsertim cum intereant etiã nimio calore. quãobrem id quidem commune est de calido. veruntamen videamus exitũ. ita vultis opinor, nihil esse animal extrinsecus in natura, atq; mundo, præter ignem. qui magis quam præter animam, unde animantium quoque cõstet animus: ex quo anima dicitur? quo modo autem hoc quasi concedatur sumitis? nihil esse animũ nisi ignem? probabilius enim videtur tale quiddã esse animum: vt sit ex igne, atq; anima temperatum. quod si ignis ex sese ipse animal est, nulla se alia admiscente natura: quoniam is, cũ inest in corporibus nostris, efficit vt sentiamus: non potest ipse esse sine sensu. rursus eadem dici possunt. quicquid est enim quod sensum habeat, id necesse est sentiat & voluptatem, & dolorem: ad quem autem dolor veniat, ad eundem etiam interitum venire. ita fit vt ne ignem quidẽ efficere possitis æternum. quidenim? non eisdem vobis placet, omnem ignem pastu indigere? nec permanere vllo modo posse, nisi alatur? ali autẽ solem, lunã, reliqua astra, aquis alia dulcibus, alia marinis? eamq; causam Cleãthes affert, cur se sol referat, nec longius progrediatur solstitiali orbe, itemq; brumali: ne longius discedat à cibo. hoc totum quale sit, mox. nunc autem concludatur,

tur, illud quod interire possit: id æternum non esse natura: ignem autem interiturū esse, nisi alatur: non esse igitur naturā ignem sempiternum. qualē autem deum intelligere non possumus, nulla virtute præditū. quid enim? prudentiám ne deo tribuemus? quæ constat ex scientia rerum bonarum, & malarum, & nec bonarū, nec malarū cui mali nihil est, nec esse potest: quid huic opus est delectu bonorum, & malorū? quid autem ratione? quid intelligentia? quibus vtimur ad eam rem, vt aperta obscura assequamur. at obscurum deo nihil potest esse. nam iustitia, quæ suū cuiq; distribuit, quid pertinet ad deos? hominum enim societas & communitas, vt vos dicitis, iustitiam procreauit. Temperantia autē constat ex prætermittendis voluptatibus corporis: cui si locus in cœlo est, est etiam voluptatibus. Nam fortis deus intelligi qui potest: in dolore, an in labore? an in periculo? quorum deum nihil attingit. Nec ratione igitur vtentem, nec virtute vlla præditū deum intelligere qui possumus? Nec verò vulgi atq; imperitorū inscitiam despicere possum: cùm ea considero, quæ dicuntur à Stoicis. sunt enim illa imperitorum. piscem Syrij veneranur. omne ferè genus bestiarum Ægypty consecrauerunt. iam verò in Græcia multos habent ex hominibus deos: Alabandum, Alabandi: Tenedi, Tenem: Leucotheam, quæ fuit Ino, & eius Palæmonem filiū, cuncta Græcia: Herculē, Æsculapium, Tyndaridas: Romulū nostri, alioqúe cōplures: quos quasi nouos, et ascriptitios ciues in cœlū receptos putāt. hæc igitur indocti. qd vos philosophi?

qui meliora. omitto illa: sunt enim præclara. sit sanè deus ipse mundus. hoc credo illud esse sublime candens: quem inuocant omnes Iouem. Quare igitur plures adiungimus deos? quanta autem est eorũ multitudo? mihi quidem sanè multi videntur. singulas enim stellas numeras deos: easq; aut belluarum nomine appellas, vt capram, vt lupam, vt taurũ, vt leonem: aut rerũ inanimatarum, vt argon, vt arã, vt coronam. sed vt hæc concedantur: reliqua qui tandẽ non modò concedi, sed omnino intelligi possunt? cũ fruges Cererem, vinũ Liberũ dicimus: genere nos quidem sermonis vtimur vsitato. sed ecquem tam amentem esse putas, qui illud, quo vescatur, deum credat esse? Nam quos ab hominibus peruenisse dicis ad deos: tu reddes rationem quemadmodũ idem fieri potuerit: aut cur fieri desierit: & ego discam libenter. quomodo nunc quidem est, non video, quo pacto ille, cui in monte Oetheo illatæ lampades fuerunt: vt ait Actius: in domum æternam patris ex illo ardore pẽruenerit. quem tamen Homerus conueniri apud inferos facit ab Vlyxe, sicut cæteros, qui excesserãt vita. quanquã quem potissimũ Herculem colamus scire sane velim. Plures enim tradunt nobis y, qui interiores scrutantur, & reconditas literas. antiquissimũ Ioue natum, sed antiquissimo itẽ Ioue. nam Ioues quoq; plures in priscis Græcorum literis inuenimus. Ex eo igitur & Lysyto est is Hercules: quem concertauisse cum Apolline de tripode accepimus. Alter traditur Nilo natus, Ægyptius: quẽ aiunt Phrygias literas cõscripsisse. Tertius est ex Idæis indigenis, cui inferias afferunt. Quar-

tus

rem diuinam facere solemus. quæ quia partus matrona rum tueatur, à nascentibus Natio nominata est. ea si dea est? dij omnes illi, qui cõmemorabantur à te, honos, fides, mens, cõcordia. ergo etiam spes, moneta, omniaq́, quæ cogitatione nobis met ipsis possumus fingere. quod si verisimile non est: ne illud quidem est, hæc vnde fluxerunt. quid autem dicis? si dij sunt illi, quos colimus, & accepimus: cur non eodem in genere Serapim, Isimq́, numeremus? quod si facimus, cur Barbarorũ deos repudiemus? Boues igitur, & equos, ibes, accipitres, aspidas, crocodilos, pisces, canes, lupos, feles, multas præterea belluas in deorũ numero reponemus. quæ si reyciamus, illa quoque vnde hæc nata sunt reyciemus. qd deinde? Ino, dea dicetur quæ Leucothea à Græcis, à nobis Matuta dicitur: cum sit Cadmi filia? Circe autem, & Pasiphae è Perseide, Oceani filia, natæ, patre sole, in deorum numero non habebuntur? quanquam Circẽ quoque coloni nostri Circeienses religiosi colunt. ergo hanc deam dicis. quid Medeæ respondebis? quæ duobus auis, sole, & oceano, Æeta patre, matre Idyia procreata est. quid huius Absyrtho fratri? qui est apud Pacuuium Ægialeus? sed illud nomen veterũ literis vsitatius, qui si dij non sunt, vereor quid agat Ino: hæc enim omnia ex eodem fonte fluxerunt. an Amphiaraus, deus erit, & Triphonius? nostri quidem publicani, cum essent agri in Bœotia deorum immortalium excepti, lege censoria: negabant immortales esse vllos, qui aliquando homines fuissent. Sed si sunt hi dij: est certe Erichtheus: cuius Athenis, & delubrum vidimus, & sacerdotẽ. quem si deum facimus: quid aut de Codro dubitare

possumus? aut de cæteris, qui pugnantes pro patria libertate ceciderunt? quod si probabile non est: ne illa quidē superiora, vnde hæc manant, probanda sunt. atq; in pleriſque ciuitatibus intelligi potest, augendæ virtutis gratia, quo libentius Reip. causa periculum adiret optimus quisque: virorum fortium memoriam honore deorum immortalium consecratam. ob eam enim ipsam causam Erichtheus Athenis, filiæq; eius in numero deorū sunt. Itemque Leonaticum est delubrū Athenis, quod Leocorion nominatur. Alabandenses quidem sanctius Alabandū colunt, à quo est vrbs illa condita, quàm quenquam nobilium deorum: apud quos non inurbane Stratonicus, vt multa, cum quidam ei molestus Alabandum deum esse confirmaret. Herculem negaret: ergo inquit mihi Alabandus, tibi Hercules sit iratus. Illa autē Balbe, quæ tu à cœlo, astriſque ducebas, quàm longe serpant non vides: solem deum esse, lunamq; quorum alterum Apollinem Græci, alteram Dianam putant. quod si Luna dea est, ergo etiam Lucifer, cæteraque errantes, numerum deorum obtinebunt. igitur etiam inerrantes. cur autem arcus ſpecies non in deorum numero reponatur? est enim pulcher: & ob eam causam, quia ſpeciem habeat admirabilem. Thaumante dicitur esse nata. cuius si diuina natura est, quid facies nubibus? arcus enim ipse ex nubibus efficitur quodam modo coloratus. quarum vna etiā Centauros peperisse dicitur. quod si nubes retuleris in deos: referendæ certe erunt tempestates: quæ populi Romani ritibus consecratæ sunt. ergo himbres, nimbi, procellæ, turbines, sunt dij putandi. Noſtri quidem duces mare

ces mare ingredientes immolare hostiam fluctibus consueuerunt. Iam si est Ceres à gerendo, ita enim dicebas: terra ipsa dea est, & ita habetur: quæ est enim alia Tellus? sin terra, mare etiam, quem Neptunum esse dicebas. ergo & flumina, & fontes. itaque & fontis delubrum Marso ex Corsica dedicauit: & in augurum precatione Tiberinum, Spinonem, Anemonem, Nodinum, alia propinquorum fluminum nomina videmus. ergo hoc aut in immensum serpet: aut nihil horum recipiemus: nec illa infinita ratio superstitionis probabitur. Nihil ergo horum probandum est. Dicamus igitur Balbe, oportet contra illos etiam: qui hos deos ex hominũ genere in cœlum translatos, non re, sed opinione esse dicunt: quos auguste omnes, sancteq; veneramur. Principio Ioues tres numerantur, qui theologi nominantur: ex quibus primum & secundum natos in Arcadia, alterum patre Æthere, ex quo etiam Proserpinam natam ferunt, & Liberum: alterum patre Cœlo, qui genuisse Mineruam dicitur: quam principem & inuentricem belli ferunt. Tertium Cretensem Saturni filium: cuius in illa insula sepulchrum ostenditur. Dioscuri etiam apud Graios multis modis nominantur primi tres, q̃ appellantur Anactes, Athenis ex Ioue, rege antiquissimo, & Proserpina nati, Tritopatreus, Eubuleus, Dionysius. Secundi, Ioue tertio nati ex Leda, Castor & Pollux. Tertij dicuntur à nonnullis Aleo, & Melampus, Emolus, Atrei filij, qui Pelope natus fuit. iam Musæ primæ quatuor, natæ Ioue altero, Thelxiope, Mneme, Aœde, Melete. Secundæ, Ioue tertio, & Mnemosyne procreatæ nouẽ.

Tertiæ

tertiæ Ioue tertio Pieriæ natæ, ex Antiopa: quas Pieridas, & Pierias solent poëtæ appellare, iisdem nominibus, eodem numero, quo proximæ superiores. Cumq; tu Solem quia solus esset, appellatũ esse dicas: Soles ipsi quàm multi à theologis proferuntur. Vnus eorum Ioue natus, nepos Ætheris: alter Hiperione: tertius Vulcano, Nili filio: cuius vrbem Ægypty volunt esse eam: quæ Heliopolis appellatur. Quartus is, quem Heroicis temporibus Achanto Rhodi peperisse dicitur, auũ Ialysi, Camiri, & Lindi. quintus qui Colchis fertur Æetam & Circem procreauisse. Vulcani item complures, primus Cœlo natus, ex quo Minerua Apollinem eum, cuius in tutela Athenas antiqui historici esse voluerunt. Secundus Nilo natus, Opas, vt Ægyptij appellant, quem custodem esse Ægyptij volunt. Tertius ex tertio Ioue, & Iunone: qui Lemni fabricæ traditur præfuisse. Quartus Menalio natus: qui tenuit insulas propter Siciliam: quæ Vulcaniæ nominabantur. Mercurius vnus Cœlo patre, Die matre natus: cuius obscœnius excitata natura traditur: quòd aspectu Proserpinæ cõmotus sit: alter Valentis & Phoronidis filius, is qui sub terris habetur. idem Trophonius. tertius Ioue tertio natus & Maia: ex quo Penelopa Panà natum ferunt. quartus Nilo patre: quem Ægyptij nefas habent nominare. quintus quem colunt Pheneatæ: qui Argũ dicitur interemisse: ob eamq; causam Ægypto præfuisse: atque Ægyptijs leges & literas tradidisse. hunc Ægyptij Thoyth appellant. eodemq; nomine anni primus mensis apud eos vocatur. Æsculapiorum primus, Apollinis, quem Arcades colunt:

qui

qui speculum inuenisse, primus q3 vulnus obligauisse dicitur. Secundus secundi Mercurij frater. is fulmine percussus, dicitur humatus esse Cinosuris. tertius Arsippi, & Arsinoæ: qui primus purgationem alui, deniscq; euulsionẽ, vt ferunt, inuenit: cuius in Arcadia non longe à Lusio flumine sepulchrũ, & lucus ostenditur. Apollinum antiquissimus is: quẽ pauloante ex Vulcano natum esse dixi custodem Athenarum. Alter Corybantis filius, natus in Creta: cuius de illa insula cum Ioue ipso certamen fuisse traditur. Tertius Ioue tertio natus & Latona: quẽ ex Hyperboreis Delphos ferunt aduenisse quartus in Arcadia, quem Arcades Nomionẽ appellant: quòd ab eo se leges ferunt accepisse. Dianæ itẽ plures: prima Iouis, & Proserpinæ: quæ pinnatum Cupidinem genuisse dicitur. Secunda notior: quam Ioue tertio, & Latona natam accepimus. Tertia pater Vpis traditur: Glauce mater. eam Græci sæpe Vpim paterno nomine appellant. Dionysios multos habemus: primùm è Ioue, & Proserpina natum. Secundum Nilo: qui Nysam dicitur interemisse. Tertium Caprio patre: eumq; regem Asiæ præfuisse dicunt: cuius Abazea sunt instituta. Quartum Ioue & Luna, cui sacra Orphica putantur confici. Quintum Niso natum, & Thione: à quo Trieterides constitutæ putantur. Venus prima cœlo & die nata: cuius Elide delubrum videmus: altera spuma procreata: ex qua & Mercurio Cupidinem secundum natum accepimus. Tertia Ioue nata, & Dione: quæ nupsit Vulcano: sed ex ea, & Marte natus Anteros dicitur. quarta Syria, Tyroq; concepta, quæ Astarete vocatur: quam Adonidi nupsisse traditum

traditum est. Minerua prima, quam Apollinis matrē supra diximus. Secunda orta Nilo, quàm Ægyptij Saitæ colunt. Tertia illa quā Ioue generatum supra diximus. quarta Ioue nata & Coryphe, Oceani filia: quàm Arcades Coriā nominant: & quadrigarum inuenitricem ferunt. Quinta Pallantis: quæ patrem dicitur interemisse, virginitatem suam violare conantem: cui pinnarum talaria affigunt. Cupido primus, Mercurio & Diana prima natus dicitur. Secundus, Mercurio & Venere secunda. Tertius quidem est Anteros Marte & Venere tertia. atque hæc quidem, atque eiusmodi, ex vetere Græciæ fama collecta sunt. quibus intelligis resistendum esse, ne perturbentur religiones. vestri autem non modo hæc non refellunt: verum etiam confirmant, interpretādo quorsum quidque pertineat. Sed eò iam, vnde huc digressi sumus, reuertamur. Nam censes igitur subtiliore ratione opus esse ad hæc refellenda? nam mentem, fidem, spem, virtutem, honorem, victoriam, salutem, concordiam, cæteráque eiusmodi, rerum vim habere videmus, non deorum. aut enim in nobismetipsis: vt mens, vt spes, vt fides, vt virtus, vt concordia: aut optandæ nobis sunt: vt honos, vt salus, vt victoria. quarum rerum vtilitatem video, video etiam consecratæ simulacra. quare autem in his vis deorum insit: tum intelligam cum cognouero. quo in genere vel maxime est fortuna numeranda: quam nemo ab inconstantia & temeritate seiunget: quæ digna certe non sunt deo. Iam vero quid vos illa delectat explicatio fabularum? & enodatio nominum? exectum à filio Cœlum: vinctum itidem à filio Saturnum. hæc

& alia

& alia generis eiusdē ita defenditis: vt y qui ista finxerunt, non modo non insani, sed etiam fuisse sapientes videantur. In eo dandis autem nominibus, quod mirandum sit, laboratis. Saturnus quia se saturat annis: Mauors quia magna vertit: Minerua quia minuit, aut quia minatur: Venus quia venit ad omnia: Ceres à gerendo. quam periculosa consuetudo? in multis enim nominibus hærebitis: quid Veioui facies? quid Vulcano? quanquam, quoniā Neptunum à nando appellatum putas, nullum erit nomen, quod non possis vna litera explicare vnde ductum sit. in quo quidem magis tu mihi natare visus es, quàm ipse Neptunus. Magnam molestiam suscepit, & minime necessariam primus Zeno, post Cleanthes, deinde Chrysippus: commentitiarum fabularum reddere rationem: vocabulorum, cur quique ita appellati sint, causas explicare. quod cum facitis, illud profectò confitemini, longe aliter rem se habere, atque hominum opinio sit. eos enim, qui dy appellantur, rerum naturas esse, non figuras deorum. qui tantus error fuit: vt pernicioſis etiam rebus non modo nomen deorum tribueretur: sed etiam sacra constituerentur. Febris enim fanum in palatio, & ædem Larum, & aram malæ Fortunæ Exquilys consecratam videmus. Omnis igitur talis à philosophia pellatur error: vt, cum de dijs immortalibus disputemus: dicamus digna dijs immortalibus. de quibus habeo ipse quid sentiam: non habeo autem quid tibi assentiar. Neptunum esse dicis animum cum intelligentia, per mare pergentem: idem de Cerere. ista autem intelligentiam aut maris, aut terræ non modo

com-

comprehendere animo, sed ne suspicione quidem possum attingere. Itaque aliunde mihi quærendum est: vt & esse deos, & quales sint discere possim: quàm qualeis tu eos esse velis. Videamus ea, quæ sequuntur. Primùm deorum ne prouidentia mundus regatur. deinde consulant ne rebus humanis. hæc enim mihi ex tua partitione restant duo. de quibus, si vobis videtur accuratius disserendum puto. Mihi verò, inquit Velleius valde videtur: nam & maiora expecto: & his quæ dicta sunt, vehementer assentior. Tum Balbus interpellare te, inquit, Cotta nolo: sed sumemus tempus aliud: efficiam profecto vt fateare.

sed

multa desunt

Nequaquam istuc istac ibit: magna inest certatio. Nam vt ego illis supplicarem tanta blandiloquentia?

Niobe

Niobe parum ne ratiocinari videtur, & sibi ipsa nefariam pestem machinari? illud verò quàm callida ratione?
Qui volt, quod volt, ita dat se res: vt operam dabit:
qui est versus omnium seminator malorum:
Ille transuersa mente mihi hodie tradidit repagula:
Quibus ego iram omnem recludam: atq; illi perniciem dabo:
Mihi mœrores, illi luctum, exitiũ illi, exilium mihi.
hanc videlicet rationem quã vos diuino beneficio homini solum tributam dicitis, bestiæ non habent. vides ne igitur quanto munere deorũ simus affecti? atq; eadem
Medea patrem, patriamq; fugiens:
Post quam pater appropinquat: iamq;, penè vt comprehendatur, parat:
Puerum interea obtruncat: membraq; articulatim diuidit:
Perq; agros passim dispergit corpus: id ea gratia,
Vt, dum nati dissipatos artus captaret parens:
Ipsa interea effugeret illum vt mœror tardaret sequi:
Sibi salutem vt familiari pareret parricidio.
huic vt scelus: sic nec ratio quidem defuit. Quid? ille funestas epulas fratri comparans, nonne versat huc & illuc cogitatione rationem?
Maior mihi moles, maius miscendum est malum:
Qui illius acerbum cor contundam & comprimam,
Nec tamen ille ipse est prætereundus, qui non sat habuit coniugem illexisse in stuprum: de quo rectè & verissime loquitur Atreus.
Quod re in summa summum esse arbitror
Periclum, matres coinquinari: regiam

Contaminari stirpem, admisceri genus.
At id ipsum quã callide, qui regnũ adulterio quæreret?
Addo (inquit) huc quod mihi portento cœlestũ pater
Prodigium misit regni stabilimen mei:
Agnum inter pecudes aurea clarum coma
Quondam Thyestem clepere ausum esse, è regia:
Quain re adiutricem coniugem cœpit sibi.
videtur ne summa improbitate vsus nõ sine summa esse ratione? Nec verò scena solum referta est his sceleribus: sed multo vita communis pene maioribus. sentit domus vniuscuiusq;, sentit forũ, sentit curia, campus, socij, prouinciæ: vt quemadmodum ratione recte fiat, sic ratione peccetur. alterum & à paucis, & raro: alterũ & semper, & à pluribus: vt satius fuerit nullã omnino nobis à dijs immortalibus datum esse rationem, quàm tanta cum pernicie datam. vt vinum ægrotis, quia prodest raro, nocet sæpissime: melius est non adhibere omnino, quam spe dubiæ salutis in apertam perniciem incurrere. sic haud scio, an melius fuerit, humano generi motũ istum celerem cogitationis, acumen, solertiam, quam rationem vocamus, quoniã pestifera sit multis, admodum paucis salutaris: non dari omnino: quàm tã munifice, & tam large dari. Quamobrem si mens, voluntasq; diuina iccirco consuluit hominibus, quod his largita est rationẽ, his solis consuluit hominibus, quos bona ratione donauit: quos videmus, si modo vlli sunt, esse ꝑpaucos. nõ placet aũt paucis à dijs immortalibus esse consultũ. sequitur ergo vt nemini consultum sit. Huic loco sic soletis occurrere: nõ iccirco nõ optime nobis à dijs esse prouisum: quod multi eorum beneficio peruerse vterentur:

tur: etiam patrimonijs multos male vti: nec ob eã causam eos beneficium à patribus nullũ habere. Quisquã ne istuc negat? aut quæ est in collatione ista similitudo? nec enim Herculi Deianira nocere voluit, cũ ei tunicam sanguine Centauri tinctam dedit: nec prodesse Phæreo Iasoni is, qui gladio vomicã eius aperuit, quã sanare medici non poterant. multi enim etiam cum obesse vellent, profuerunt: & cũ prodesse, obfuerunt. Ita non fit, ex eo quod datur, vt voluntas eius, qui dederit, appareat: nec si is qui accepit, bene vtitur, iccirco is qui dedit, amice dedit: quæ enim libido, quæ auaritia, quod facinus, aut suscipitur nisi consilio capto? aut sine animi motu & cogitatione, id est, ratione perficitur? Nam omnis opinio ratio est: & quidẽ bona ratio, si vera: mala autẽ, si falsa est opinio. sed à deo tantũ rationem habemus si modo habemus: bonam autẽ rationem, aut nõ bonam, à nobis. non enim vt patrimonium relinquitur: sic ratio homini est beneficio deorum data. quid enim potius hominibus dij dedissent, si ijs nocere voluissent? Iniustitiæ autem, intemperantiæ, timiditatis, quæ semina essent? si his vicijs ratio non subesset? Medea modò, & Atreus cõmemorabantur à nobis, heroicæ personæ, inita, subductaq; ratione, nefaria scelera meditantes. quid leuitates comicæ? parum ne semper in ratione versantur? parum ne subtiliter disputat ille in Eunucho?

-quid igitur faciam?

Excluſit, reuocat. redeam? non, si me obsecret.

Ille vero in Synephebis Academicorum more contra communem opinionem non dubitat pugnare ratione:

qui in amore summo, summaq3 inopia: suaue esse dicit,
Parentem habere auarum, illepidum, in liberos
Difficilem: qui te nec amet, nec studeat tui.
atq3 huic incredibili sententiæ ratiunculas suggerit:
Aut tu illum fructu fallas: aut per literas
Auertas aliquod nomen: aut per seruolum
Percutias pauidum. postremo, à parco patre
Quod sumas quanto dissipas libentius?
Idemq3 facilem & liberalem patrem incommodũ esse,
amanti filio disputat: quem
Neq3 quo pacto fallam: neq3 quid inde auferam:
Nec quem dolum ad eum, aut machinam cõmoliar,
Scio quicquam: ita omnes meos dolos, fallacias,
Præstigias, præstrinxit commoditas patris.
quid ergo isti doli? quid machinæ? quid fallaciæ? præstigiæq3? num sine ratione esse potuerunt? O præclarum
munus deorum: vt Phormio possit dicere:
Cedo senem: iam instructa mihi sunt in corde consilia
omnia.
Sed exeamus è theatro: veniamus in forũ. sessum ite pro
cor: quid vt iudicetur? qui tabulariũ incenderit. quòd
facinus occultius? at se Q. Sosius splẽdidus eques Roma
nus ex agro Piceno fecisse cõfessus est. qui transcripserit
tabulas publicas. id quoq3 L. Alenius fecit: cũ Chyrogra
phum Sex primorũ imitatus est. quid hoc homine solerti
us? cognosce alias quæstiones, auri Tolosani: coniuratio-
nis Iugurthinæ. repete superiora: Tubuli de pecũia capta
ob rẽ iudicandã. posteriora, de incestu rogatione Pedu-
cæa. tũ hæc quotidiana, sicæ, venena, peculatus, testamẽ
torũ etiã lege noua quæstiones. inde illa actio, Ope consi-
lioq3

lioq; tuo, furtum factum esse aio: inde tot iudicia de fide mala, tutelæ, mandati, pro socio, fiduciæ, reliqua, quæ ex empto, aut vendito, conducto, aut locato, cõtra fidem fiunt: inde iudicium publicũ rei priuatæ lege Lætoria: inde euerriculũ malitiarum omnium, iudicium de dolo malo: quod C. Aquilius, familiaris noster protulit. quẽ dolum idem Aquilius tũ teneri putat: cũ aliud sit simulatũ, aliud actum. Hanc igitur à dys immortalibus tantã arbitramur malorũ sementem esse factam? Si enim rationem hominibus dy dederunt, & malitiã dederunt. est enim malitia, versuta, & fallax nocendi ratio. Iidem aũt dy fraudẽ dederũt: facinusq;, cæteraq;, quorum nihil nec suscipi sine ratione, nec effici potest. Vtinam igitur (vt illa anus optat)

-ne in nemore Pelio securibus
Cæsæ cecidissent abiegnæ ad terram trabes:

sic istam calliditatem hominibus dy ne dedissent: qua perpauci benè vtuntur: qui tamen ipsi sæpe à male vtentibus opprimuntur: innumerabiles autẽ improbe vtuntur: vt donum hoc diuinum rationis, & consilij, ad fraudem hominibus, non ad bonitatem impertitum esse videatur. Sed vrgetis identidem, hominum esse istam culpam, non deorũ. vt si medicus grauitatem morbi, gubernator vim tempestatis accuset. & si hi quidem homunculi, sed tamen ridiculi. quis enim te adhibuisset dixerit quispiam, si ista non essent? contra deum licet disputare liberius. in hominum vitijs ais esse culpam. eam dedisses hominibus rationem: quæ vitia, culpamq; excluderet. vbi igitur locus fuit errori deorum? nam patrimonia sæpe bene tradendi

relinquimus: qua possumus falli: deus falli qui potuit? an vt sol, in currum cũ Phaethontem filiũ sustulit: aut Neptunus cũ Theseus Hyppolitũ perdidit, cum ter optandi à Neptuno patre habuisset potestatem. poëtarum ista sunt: nos autem philosophi esse volumus, rerũ authores, non fabularum. Atq; y tamen ipsi dy poëtici si scissent, pernicioſa fore illa filiys: peccasse in beneficio putarẽtur. et, si verũ est quod Aristo Chius dicere solebat: nocere audientibus philosophos his, qui benedicta male interpretarẽtur. posse enim asotos, ex Aristippi, acerbos è Zenonis schola exire. prorsus si qui audierunt, vitiosi essent discessuri: quod peruerse philosophorũ disputationẽ interpretarentur: tacere præstare philosophis, quã his, quì se audissent, nocere. sic, si homines rationem bono consilio à dys immortalibus datam, in fraudem malitiam q; cõuertunt: nõ dari illam, quam dari humano generi melius fuit. vt si medicus sciat eum ægrotum, qui iussus sit vinum sumere, meracius sumpturũ: statim q; periturum, magna sit in culpa. sic, vestra ista prouidentia reprehendenda: quæ rationem dederit ys, quos scierit ea peruerse, & improbe vsuros. nisi forte dicitis eam nesciuisse. vtinam quidem. sed non audebitis. non enim ignoro quanti eius nomen putetis. Sed hic quidem locus concludi iam potest. nam si stultitia consensu omnium philosophorum maius est malũ, quã si omnia mala & fortunæ, & corporis ex altera parte ponantur: sapientiam autem nemo assequitur: in summis malis omnes sumus: quibus vos optime consultum à dys immortalibus dicitis. nam vt nihil interest, vtrum nemo vale at, an nemo possit valere: sic non intelligo, quid

interſit,

interſit, vtrum nemo ſit ſapiens: an nemo eſſe poſſit. Ac nos quidem nimis multa de re apertiſſima. Telamon autem vno verſu locum totum conficit: cur dy homines negligant:

Nam ſi curent, bene bonis ſit: male malis, quod nũc abeſt. Debebant illi quidẽ omnes bonos efficere: ſiquidem hominum generi conſulebant. Sin id minus: bonis quidem certe conſulere debebant. cur igitur duos Scipiones fortiſſimos, & optimos viros, in Hiſpania Pœnus oppreſſit? cur Maximus extulit filium conſularem? cur Marcellum Annibal interemit? cur Paulum Cannæ ſuſtulerunt? cur Pœnorum crudelitati Reguli corpus eſt præbitum? cur Aphricanum domeſtici parietes non texerũt? Sed hæc vetera, & alia permulta, propiora videamus. cur auunculus meus vir innocentiſſimus, idemq; doctiſſimus, P. Rutilius in exilio eſt? cur ſodalis meus interfectus domi ſuæ Druſus? cur temperantiæ, prudentiæq; ſpecimen ante ſimulacrum Veſtæ, pontifex maximus eſt Q. Scæuola trucidatus? cur etiã ante tot ciuitatis principes à Cinna interempti? cur omniũ perfidioſiſſimus, C. Marius, Q. Catulum, præſtantiſſima dignitate virũ mori potuit iubere? dies deficiat, ſi velim numerare quibus bonis male euenerit: nec minus, ſi commemorem, quibus improbis optime. cur enim Marius tam fœliciter, ſeptimũ cõſul, domi ſuæ ſenex eſt mortuus? cur omnium crudeliſſimus tam diu Cinna regnauit? at dedit pœnas. prohiberi melius fuit, impediriq;, ne tot ſummos viros interficeret: quã ipſum aliquando pœnas dare. ſummo cruciatu, ſupplicioq; Q. Varius homo importuniſſimus periit: ſed quia Druſum ferro, Mexel-

lum veneno sustulerat: illos conseruari melius fuit: q̃ pœnas sceleris Varium pendere. Duo de XL Dionysius tyrannus annos fuit opulentissimæ & beatissimæ ciuitatis. quam multas ante hunc in ipso Græciæ flore Pisistratus, ac Phalaris, ac Apollodorus pœnas sustulit, multis quidem ante cruciatis, & necatis. Et prædones multi sæpe pœnas dant: nec tamen possumus dicere non plures captiuos acerbe, quã prædones necatos. Anaxarchũ Democritium à Cyprio tyranno excarnificatũ accepimus: Zenonem Eleatem in tormentis necatum. quid dicam de Socrate? cuius morti illachrimari soleo Platonem legens: vides ne igitur deorum iudicio, si vident res humanas, discrimen esse sublatum? Diogenes quidem Cynicus dicere solebat: Harpalum, qui temporibus illis prædo fœlix habebatur, contra deos testimonium dicere: quòd in illa fortuna tam diu viueret. Dionysius, de quo ante dixi, cũ fanũ Proserpinæ Locris expilauisset: nauigabat Syracusas: isq; cũ secundissimo vẽto cursum teneret: videtis ne, inquit, amici, quàm bona à dijs immortalibus nauigatio sacrilegis detur. Atq; homo acutus, cũ bene, planeq; percepisset: in eadẽ sententia perseuerabat. qui cum ad Peloponnesum classem appulisset: & in fanum veniisset Iouis Olympy: aureum ei detraxit amiculum, grandi pondere: quo Iouem ornarat ex manubijs Carthaginensium tyrannus Gelo: atq; in eo etiam cauillatus est: æstate graue esse aureũ amiculum: hyeme frigidum: eiq; laneum pallium iniecit: cum id esse aptum ad omne anni tempus diceret. idemq; Aesculapij Epidauri barbam aureã demi iussit. neque enim conuenire, barbatum esse filium: cùm

in omni-

in omnibus fanis pater imberbis esset. Iam mensas argenteas de omnibus delubris iussit auferri : in quibus, quòd more veteris Græciæ inscriptũ esset, Bonorum deorum : vti se eorum bonitate velle dicebat. Idem victoriolas aureas, & pateras, coronasq3, quæ simulachrorũ porrectis manibus sustinebantur, sine dubitatione tollebat: eaq3 se accipere, non auferre dicebat. esse enim stultitiam, à quibus bona precaremur, abys porrigentibus, & dantibus nolle sumere. eundemq3 ferunt hæc, quæ dixi, sublata de fanis in forum protulisse : & per præconẽ vendidisse : exactaq3 pecunia, edixisse, vt quod quisque à sacris haberet, id ante diẽ certam in suum quodque fanum referret : ita ad impietatem in deos, in homines adiunxit iniuriam. hunc igitur nec Olympius Iupiter fulmine percussit : nec Æsculapius misero, diuturnoq3 morbo intabescentem interemit: atque in suo lectulo mortuus, in Tympanidis rogũ illatus est: eamq3 potestatem, quam ipse per scelus erat nactus, quasi iustam, & legitimam, hæreditatis loco filio tradidit. Inuita in hoc loco versatur oratio. videtur enim authoritatem afferre peccandi : & recte videretur, nisi in virtutis, & vitiorum, sine vlla diuina ratione, graue ipsius conscientiæ pondus esset : qua sublata, iacent omnia. Vt enim nec domus, nec Respub. ratione quadam, & disciplina designata videatur : si in ea nec recte factis præmia extent vlla, nec supplicia peccatis : sic mundi diuina in homines moderatio profectò nulla est : si in ea discrimen nullum est bonorum, & malorum. At enim minora dij negligunt: neque agellos singulorum, nec viticulas persequuntur: nec, si

uredo, aut grando quippiam nocuit, id Ioui animaduertendum fuit. ne in regnis quidem reges omnia minima curant. sic enim dicitis, quasi ego paulo ante de fundo Formiano P. Rutilij sim quæstus: non de amissa salute. Atq; hoc quidem omnes mortales sic habent: externas commoditates, vineta, segetes, oliueta, vbertatem frugum, & fructuum, omnem denicq; commoditatem, prosperitatemq; vitæ à dijs se habere. virtutem autem nemo vnquam acceptam deo retulit. nimirum recte. propter virtutem enim iure laudamur, & in virtute recte gloriamur. quod non contingeret, si id donum à deo, non à nobis haberemus. At vero aut honoribus aucti, aut re familiari, aut si aliud quippiam nacti sumus fortuiti boni, aut depulimus mali: tũ dijs gratias agimus: tum nihil nostræ laudi assumptũ arbitramur. nũ quis quod bonus vir esset, gratias dijs egit vnquam? at quòd diues, quòd honoratus, quòd incolumis. Iouemq; optimum maximum ob eas res appellant: non quòd nos iustos, temperatos, sapientes, efficiat: sed quod saluos, incolumes, opulentos, copiosos. neq; Herculi quisquam decumam vouit vnquam: si sapiens factus esset: quanquam Pythagoras cum in Geometria quiddam noui inuenisset: Musis bouem immolasse dicitur. sed id quidem non credo: quoniam ille ne Apollini quidem Delio hostiam immolare voluit: ne aram sanguine aspergeret. ad rem autem vt redeam: iudicium hoc omnium mortalium est: fortunam à deo petendam: à se ipso sumendam esse sapientiam. quamuis menti delubra, & virtuti, & fidei consecremus: tamen hæc in nobis ipsis sita videmus: spei, salutis, opis, victoriæ facultas à dijs expetenda

tenda est. Improborum igitur prosperitates, secundæq́ res, redarguunt (vt Diogenes dicebat) vim omnem deorum, ac potestatem. at nonnunquam bonos exitus habent boni. eos quidem ascribimus, attribuimusq́ sine vlla ratione dijs immortalibus. At Diagoras cum Samothraciā veniisset, atheos ille qui dicitur: atq́ ei quidam amicus, tu, qui deos putas humana negligere: nonne animaduertis ex tot tabellis pictis, quàm multi votis vim tempestatis effugerint, in portumq́ salui peruenerint? ita fit inquit. illi enim nusquā picti sunt, qui naufragium fecerunt, in mariq́ perierunt. idemq́, cum ei nauiganti vectores aduersa tempestate timidi, & perterriti dicerent, non iniuria sibi illud accidere, qui illum in eandem nauem recepissent: ostendit eis in eodem cursu multas alias laborantes: quæsiuitq́ num etiam in ijs nauibus Diagoram vehi crederent. sic enim sese res habet, vt ad prosperam, aduersam ue fortunam qualis sis, aut quemadmodum vixeris, nihil interfit. Non animaduertunt, inquit, omnia dij, ne reges quidem. quid est simile? reges enim si scientes prætermittunt, magna culpa est. at deo ne excusatio quidem est inscientiæ. quem vos præclare defenditis: cum dicitis eam vim deorum esse: vt etiam si quis morte pœnas sceleris effugerit: expectentur hæ pœnæ à liberis, à nepotibus, à posteris. O miram æquitatem deorum. ferret ne vlla ciuitas latorem istiusmodi legis? vt condemnaretur filius, aut nepos, si pater, aut auus deliquisset? Quinam Tantalidarum internitioni modus paretur? aut quænam vnquam ob mortem Myrtili pœnis luendis dabitur satietas supplicij? vtrum poetæ Stoicos depra-

prauauerint, an Stoici poëtis dederint authoritatem, nõ facile dixerim, portenta enim & flagitia ab vtrisq; dicuntur. neque enim, quem Hipponactis iambus læserat: aut qui erat Archilochi versu vulneratus: à deo immissum dolorem, non conceptum à se ipso, continebat. nec cum Ægisti libidinem, aut cũ Paridis videmus, à deo causam requirimus: cum culpæ penè vocem audiamus. nec ego multorum ægrorum salutem non ab Hippocrate potius, quam ab Æsculapio datam iudico: nec Lacedæmoniorum disciplinam dicam vnquam ab Apolline potius Spartæ, quàm à Lycurgo datam. Critolaus inquam euertit Corinthum: Carthaginem Asdrubal. hi duos illos oculos oræ maritimæ effoderunt: non iratus alicui, quem omnino irasci posse negatis deum. At subuenire certe potuit: & conseruare vrbes tantas, atque tales. vos enim ipsi dicere soletis: nihil esse quod deus efficere non possit: & quidem sine labore vllo. vt enim hominum membra nulla contentione, mente ipsa, ac voluntate moueantur: sic numine deorum omnia fingi, moueri, mutariq́ue posse. neq; id dicitis superstitiosè, atque aniliter: sed physica, constantiq; ratione. materiam enim rerum, ex qua, & in qua omnia sint: totam esse flexibilem, & commutabilem: vt nihil sit, quod non ex ea, quamuis subitò fingi, conuertiq; possit. eius autem vniuersæ fictricem, & moderatricem diuinam esse prouidentiam. hanc igitur, quocunq; se moueat, efficere posse quicquid velit. itaq; aut nescit quid possit: aut negligit res humanas: aut quid sit optimũ non potest iudicare. non curat singulos homines. non mirum: ne ciuitates quidem. non has: ne nationes quidem, &

dem,& gentes.quod si has etiam contemnet: quid mirum est, omne ab ea genus humanum esse contemptũ? sed quo modo ydem dicitis, non omnia deos persequi? qui ydẽ vultis, à dijs immortalibus hominibus dispartiri, ac diuidi somnia? iccirco hæc tecum: quia vestra est de somniorum veritate sententia. atque ydem etiam vota suscipi dicitis oportere. nempe singuli vouent. audit igitur mens diuina etiam de singulis. videtis ergo eam non esse tam occupatam, quàm putabitis? Fac esse distentam,cœlum versantem,terram tuentem,maria moderantem. cur tam multos deos nihil agere, & cessare patitur? cur non rebus humanis aliquos ociosos deos præfecit? qui à te Balbe innumerabiles explicati sunt. Hæc ferè dicere habui de natura deorum, non vt eam tollerem: sed vt intelligeretis,quàm esset obscura:& quàm difficiles explicatus haberet. Quæ cum dixisset Cotta,finem fecit. Lucilius autem,vehementius,inquit,Cotta quidem inuectus es in eam Stoicorũ rationem: quæ de prouidentia deorum ab illis sanctissime & prouidentissime constituta est. sed quoniam aduesperascit: dabis diem nobis aliquem: vt contra ista dicamus. est enim mihi tecum pro aris, & focis certamen,& pro deorum templis, atq; delubris, proque vrbis muris, quos vos pontifices sanctos esse dicitis: diligentiusq; vrbem religione,quàm ipsis mœnibus cingitis. quæ deseri à me, dum quidem spirare potero, nefas iudico. Tum Cotta. Ego vero & opto redargui me, Balbe: & ea, quæ disputaui, disserere malui,quam iudicare: & facile me à te vinci posse certo scio. Quippe inquit Velleius, qui etiam somnia putet ad

nos mit-

nos mitti ab Ioue. quæ ipsa tamen tam leuia non sunt: quàm est Stoicorum de natura deorũ oratio. Hæc cum essent dicta, ita discessimus, vt Velleio Cottæ disputatio verior: mihi Balbi, ad veritatis similitudinem videretur esse propensior.

M. T. CICERONIS DE DIVINATIONE LIBER PRIMVS.

VEtus opinio est, iam vsq; ab heroicis dulta temporibus: eaq; & populi Romani, & omnium gentium firmata consensu: versari quandã inter homines diuinationẽ: quam Græci μαντικὴν appellant, id est præsensionem, & scientiam rerum futurarum. magnifica quædam res, & salutaris, si modo est vlla: quæque proxima ad deorũ vim natura mortali possit accedere. Itaque vt alia nos melius multa quam Græci: sic huic præstantissimæ rei nomen nostri à diuis: Græci, vt Plato interpretatur, à furore duxerunt. Gentem quidem nullam video neq; tam humanam, atq; doctam: neque tam immanem, tamque barbaram: quæ non significari futura, & à quibusdam intelligi, prædicíq; posse censeat. Principio Assyrij, vt ab vltimis authoritatem repetam, propter planiciem, magnitudinemq; regionum, quas incolebant: cum cœlum ex omni parte patens, atque apertum intuerentur traiectiones, motusque stellarum obseruauerunt: quibus notatis, quid cuique significaretur memoriæ prodiderunt. Qua in natione Chaldæi non ex artis, sed ex gentis vocabulo nominati: diuturna obseruatione syderum, scientiam putantur effecisse: vt prædici posset, quid cuique euenturum: & quo quisq; fato natus esset. Eandem artem etiam Ægyptij longinquitate tempo-

temporum innumerabilibus penè seculis consecuti putantur. Cilicum autem, & Pisidarum gens, & his finitima Pamphylia, quibus nationibus præfuimus ipsi, volatibus auium, cantibusq3, vt certissimis signis, declarari res futuras putāt. quā vero Græcia coloniā misit in Ætoliam, Ioniam, Asiam, Siciliam, Italiam, sine Pythio, aut Dodonæo, aut Ammonis oraculo? aut quod bellum susceptum ab ea sine consilio deorum est? Nec vnū genus est diuinationis publicè, priuatimq3 celebratum. nam vt omittam cæteros populos: noster quàm multa genera cōplexus est? Principiò, huius vrbis parens Romulus, non solum auspicato vrbem condidisse, sed ipse etiam optimus augur fuisse traditur. deinde auguribus & reliqui reges vsi: & exactis regibus nihil publice sine auspicijs, nec domi, nec militiæ gerebatur. cúmque magna vis videretur esse & in impetrandis, consulendisq3 rebus: & in monstris interpretandis, ac procurandis in aruspicum disciplina: omnem hanc ex Hetruria scientiam adhibebant: ne genus esset vllum diuinationis, quod neglectum ab ijs videretur. Et cum duobus modis animi sine ratione, & scientia, motu ipsi suo, soluto, & libero incitarentur: vno furente, altero somniante, furoris diuinationem Sibyllinis maxime versibus contineri arbitrati, eorum decem interpretes delectos ex ciuitate esse voluerunt. ex quo genere sæpe ariolorum etiam, & vatum furibundas prædictiones, vt Octauiano bello, Cornelij Culleoli, audiendas putauerunt. Nec vero somnia grauiora, si quæ ad Rempu. pertinere visa sunt: à summo consilio neglecta sunt. quin etiam memoria nostra templum Iunonis Sospitæ L. Iulius,

Iulius, qui cum P. Rutilio consul fuit: de senatus sententia refecit ex Cæciliæ Balearici filiæ, somnio. Atq; hæc, vt ego arbitror, veteres rerum magis euentis moniti, quàm ratione docti probauerunt. Philosophorum vero exquisita quædam argumenta, cur esset vera diuinatio, collecta sunt. ex quibus, vt de antiquissimis loquar, Colophonius Xenophanes, vnus, qui deos esse diceret: diuinationem funditus sustulit. reliqui vero omnes, præter Epicurum balbutientem de natura deorũ, diuinationẽ probauerunt: sed non vno modo. nam cum Socrates, omnesq; Socratici, Zenoq;, & ij qui ab eo essent profecti, manerent in antiquorum Philosophorum sententia, vetere Academia, & Peripateticis consentientibus: cumq; huic rei magnam authoritatem Pythagoras iam ante tribuisset, qui etiam ipse augur vellet esse: plurimisq; locis grauis author Democritus præsensionem rerum futurarum comprobaret: Dicæarchus Peripateticus cætera diuinationis genera sustulit: somniorum, & furoris reliquit: Cratippusq; familiaris noster, quem ego parem summis Peripateticis iudico, ysdem rebus fidem tribuit: reliqua diuinationis genera reiecit. Sed cum Stoici omina ferè illa defenderent: quod & Zeno in suis commentarys quasi semina quædam sparsisset: & ea Cleanthes paulo vberiora fecisset: accessit acerrimo vir ingenio Chrysippus: qui totum de diuinatione duobus libris explicauit sententiam: vno præterea de oraculis: vno de somnys. quẽ subsequens vnũ librum Babylonius Diogenes edidit, eius auditor: duos Antipater: quinque noster Possidonius. Sed à Stoicis, vel principibus eius

disciplinæ, Possidonij doctor, discipulus Antipatri degenerauit Panætius: nec tamẽ ausus est negare vim esse diuinandi: sed dubitare se dixit. Quod illi in aliqua re, inuitissimis Stoicis, Stoico facere licuit: id nos vt in reliquis rebus, faciamus, à Stoicis nõ concedetur? præsertim cum id, de quo Panætio nõ liquet: reliquis eiusdem disciplinæ, sõlis videatur luce clarius. Sed hæc quidem laus Academiæ, præstantissimi philosophi iudicio, & testimonio comprobata est. etenim nobis metipsis quærentibus, quid sit de diuinatione iudicandum, quod à Carneade multa acute, & copiosè contra Stoicos disputata sint: verentibúsque ne temere vel falsæ rei, vel non satis cognitæ assentiamur: faciendum videtur, vt diligenter etiam, atque etiam argumenta cum argumentis comparemus: vt fecimus in his tribus libris, quos de natura deorum scripsimus. nam cum omnibus in rebus temeritas in assentiendo, errorq́; turpis est: tum in eo loco maximè, in quo iudicandum est, quantum auspicijs, rebusq́; diuinis, religionibusq́; tribuamus. est enim periculum: ne aut neglectis his, impia fraude: aut susceptis anili superstitione obligemur. Quibus de rebus & alias sæpe, & paulo accuratius nuper, cũ essem cum Quinto fratre, in Tusculano disputatum est. Nam cum ambulandi causa in Lyceum veniissemus (id enim superiori Gymnasio nomen est) perlegi, inquit ille, tuum paulo ante tertium de natura deorum: in quo disputatio Cottæ, quanquam labefactauit sententiam meam, non funditus tamen sustulit. Optime vero, inquam. etenim ipse Cotta sic disputat: vt Stoicorum magis argumenta confutet, quã hominum deleat religionẽ. Tum

Quintus,

Quintus dicitur quidem ista, inquit, à Cotta & verè sæpius: credo, ne communi iure migrare videatur: sed studio cõtra Stoicos disserendi deos mihi videtur finditus tollere. eius orationi nõ sanè desidero quid respondeam: satis enim defensa religio est in secundo libro à Lucilio: cuius disputatio tibi ipsi, vt in extremo tertio scribis, ad veritatẽ est visa propensior. sed quod prætermissum est in illis libris: credo quia commodius arbitratus es separatim id quæri, deq; eo disseri: id est, de diuinatione, quæ est earũ rerũ, quæ fortuitæ putantur, prædictio, atq; præsensio: id, si placet, videamus quam habeat vim: & quale sit. Ego enim sic existimo: si sint ea genera diuinandi vera, de quibus accepimus: quæq; colimus, esse deos: vicissimq; si dij sint: esse qui diuinent. Arcem tu quidem Stoicorum, in qua Quinte defendis: siquidẽ ista sic reciprocantur: vt & si diuinatio sit, dij sint: & si dij sint, sit diuinatio. quorum neutrum tã facile, quàm tu arbitraris cõceditur. nam & natura significari futura sine deo possunt: & vt sint dij, potest fieri, vt nulla ab ijs diuinatio generi humano tributa sit.

Atq; ille, Mihi vero inquit, satis est argumenti, & esse deos, & eos consulere rebus humanis: quod esse clara & perspicua diuinationis genera iudico. de quibus quid ipse sentiam, si placet, exponã: ita tamen, si vacas animo: neq; habes aliquid quod huic sermoni præuertendum putes. Ego vero, inquam, philosophiæ, Quinte, semper vaco. hoc autem tempore, cum sit nihil aliud quod libenter agere possimus: multo magis aueo audire de diuinatione quid sentias. Nihil inquit equidem noui, nec quod præter cæteros ipse sentiam: nam cũ

antiquissimam sententiam, tum omnium populorũ, & gentium consensu comprobatam sequor. Duo sunt enim diuinandi genera: quorũ alterum artis est: alterũ naturæ. quæ est autem gens, aut quæ ciuitas, quæ non, aut extis pecudum: aut monstra, aut fulgura interpretantium, aut augurũ, aut astrologorum, aut sortium (ea enim ferè artis sunt) aut somniorum, aut vaticinationũ (hæc enim duo naturalia putantur) prædictione moueatur? quarũ quidẽ rerũ euenta magis arbitror, quàm causas quæri oportere. Est enim vis & natura quædam: quæ tũ obseruatis longo tempore significationibus, tũ aliquo instinctu, inflatuq; diuino futura prænunciat. quare omittat vrgere Carneades, quod faciebat etiã Panætius: requirens, Iupiter ne cornicem à læua, coruũ à dextera canere iussisset? obseruata sunt hæc tẽpore immenso: & significatione euentus, animaduersa, & notata. nihil est autem, quod non longinquitas temporum, excipiente memoria, prodendisq; monumentis, efficere, atq; assequi possit. mirari licet, quæ sint animaduersa à medicis herbarum genera, quæ radicum, ad morsus bestiarũ, ad oculorum morbos, ad vulnera. quorum vim, atq; naturam ratio nunquam explicauit: vtilitate & ars est, & inuentor probatus. Age, ea, quæ, quanquam ex alio genere sunt: tamen diuinationi sunt similiora, videamus.

Atq; etiam ventos præmonstrat. sæpe futuros
Inflatum mare: cum subitò, penitusq; tumescit:
Saxaq; cana, salis niueo spumata liquore,
Tristificas certant Neptuno reddere voces.
Aut densus stridor, cum celsõ è vertice montis

Ortus

Ortus, adaugescit scopulorum sæpe repulsu.
Atq; his rerum præsensionibus prognostica tua referta sunt. quis igitur elicere causas præsensionum potest? etsi video Boëthum Stoicum esse conatũ. qui hactenus aliquid egit: vt earum rationẽ rerum explicaret, quæ in mari cœlóue fierent. illa vero cur eueniant, quis probabiliter dixerit?

Cana fulix itidem fugiens è gurgite ponti,
Nunciat horribiles clamans instare procellas,
Haud modicos tremulo fundens è guttere cantus.
Sæpe etiam pertriste canit de pectore carmen:
Et matutinis Acredula vocibus instat:
Vocibus instat, & assiduas iacit ore querelas:
Cum primum gelidos rores aurora remittit.
Fuscaq; nonnunquam cursans per littora cornix
Demersit caput: & fluctum ceruice recepit.
Videmus hæc signa nunquam fere ementientia. nec tamen, cur ita, fiat, videmus.
Vos quoq; signa videtis aquai dulcis alumnæ:
Cum clamore paratis inanes fundere voces:
Absurdoq; sono fontes, & stagna cietis.
Quis est qui ranunculos hoc videre suspicari possit? sed ineſt mire & ranunculis quædã natura significans aliquid, per se ipsa satis certa, cognitioni autem hominum obscurior.
Mollipedesq; boues spectantes lumina cœli,
Naribus humiferum duxere ex aëre succum.
Non quæro, cur, quoniam, quid eueniat, intelligo.
Iam vero semper viridis, semperq; granata
Lentiscus triplici solita grandescere fœtu,
Ter fruges fundens, tria tempora monstrat arandi.

Ne hoc quidē quæro, cur hæc arbor vna ter floreat: aut cur arandi maturitatē ad signū floris accōmodet. hoc sum cōtentus: quod, etiamsi, quomodo quicq; fiat, ignorem: quid fiat intelligo. pro omni igitur diuinatione idē quod pro omnibus his rebus, quas cōmemoraui, respondebo. quid scammoneæ radix ad purgandū, qd aristolochia ad morsus serpentū possit: quæ nomen ex inuentore reperit: rem ipsam inuentor ex somnio: video: quod satis est, cur possit nescio. sic ventorū, & hymbrium signa, quæ dixi, rationē quam habeant non satis perspicio: vim & euentū agnosco, scio, approbo. similiter quid fissum in extis, quid fibra valeat, accipio: quæ causa sit, nescio. Atque horum quidē plena vita est. extis enim fere omnes vtuntur. quid de fulgurū vi, dubitare nū possumus? nōne cum multa alia mirabilia? tum illud inprimis? cū Summanus in fastigio Iouis optimi maximi, q tū erat fictilis, è cœlo ictus esset: nec vsquam eius simulachri caput inueniretur: aruspices in Tiberim id depulsum esse dixerunt: idq; inuentum est eo loco, qui est ab aruspicibus demonstratus Sed quo potius vtar aut authore, aut teste, quā te? cuius edidici etiā versus, & libenter quidem: quos in secundo consulatu Vrania musa pronunciauit.

Principio ætherio flammatus Iupiter igni
Vertitur: & totum collustrat lumine mundum:
Menteq; diuina cœlum, terrasq; petessit:
Quæ penitus sensus hominum, vitasq; retentat.
Ætheris æterni septa, atq; inclusa cauernis.
Et, si stellarum motus, cursusq; vaganteis
Nosse velis: quæ sint signorum in sede locatæ

Quæ

Quæ verbo, & falsis Graiorum vocibus errant:
Re vera, certo lapsu, spacioq; feruntur:
Omnia iam cernes diuina mente notata.
Nam primum astrorum volucreis te consule motus,
Concursusq; graues stellarum ardore micanteis,
Tu quoq; cum tumulo Albano in monte niualeis
Lustrasti, & læto mactasti lacte Latinas:
Vidisti, & claro tremulos: ardore cometas,
Multaq; miseri nocturna strage putasti:
Quod fermè dirum in tempus cecinere Latinæ.
Cum claram speciem concreto lumine luna
Abdidit: & subito stellanti nocte peremptæ est.
Quid vero Phœbi fax, tristis nuncia belli:
Quæ magnum ad columen flammato ardore volabat:
Præcipites cœli partes: obitusq; petisset:
Aut cum terribili perculsus fulmine ciuis,
Luce serenanti vitalia lumina liquit:
Aut cum se grauido tremefecit corpore tellus.
Iam vero variæ nocturno tempore visæ
Terribiles formæ, bellum, motusq; mouebant.
Multaq; per terras vates, oracla furenti
Pectore fundebant tristes minitantia casus.
Atq; ea, quæ lapsu tandem cecidere vetusto:
Hæc fore, perpetuis signis, clarisq; frequentans
Ipse deum genitor cœlo, terrisq; canebat.
Nunc ea, Torquato quæ quondam, & consule Cottæ
Lydius ediderat Tyrrhenæ gentis aruspex:
Omnia fixa tuus glomerans determinat annus.
Nam pater altitonans stellanti nixus Olympo
Ipse suos quondam tumulos, ac templa petiuit:
Et capitolinis iniecit sedibus ignes.

Tum ſpecies ex ære vetus, generataq; Nattæ
Concidit, elapſæq; vetuſto numine leges.
Et diuum ſimulachra peremit fulminis ardor.
Hic Syluestris erat, Romani nominis altrix
Martia: quæ paruos Mauortis ſemine natos
Vberibus grauidis, vitali rore rigabat.
Quæ tum cum pueris flammato fulminis ictu
Concidit, atque auulſa pedum veſtigia liquit.
Tum quis non artis ſcripta, ac monumenta volutans?
Voces triſtificas chartis promebat Etruſcis?
Omnes ciuili generoſa à ſtirpe profectos,
Vitare ingentem cladem, peſtemq; monebant,
Vel legum exitium conſtanti voce ferebant.
Templa deumq; adeo flammis, vrbesq; iubebant
Eripere: & ſtragem horribilem, cædemq; vereri.
Atq; hæc fixa graui fato, ac fundata teneri,
Ni poſt excíſum ad columen formata decore
Sancta Iouis ſpecies claros ſpectaret in ortus.
Tum fore, vt occultos populus, ſanctusq; ſenatus
Cernere conatus poſſet: Si ſolis ad ortum
Conuerſa, inde patrum ſedes, populiq; videret.
Hæc tardata diu ſpecies, multumq; morata
Conſule te tandem celſa eſt in ſede locata.
Atq; vna fixi, ac ſignati temporis hora,
Iupiter excelſa clarabat ſceptra columna:
Ac clades patriæ, flamma, ferroq; parata,
Vocibus Allobrogum patribus, populoq; patebat.
Rite igitur veteres: quorum monumenta tenetis:
Qui populos, vrbesq;, modo, ac virtute regebant:
Rite etiam veſtri, quorum pietasq;, fidesq;
Traſlitit: & longe vicit ſapientia cunctos:

Præcipue

Præcipue ingenti coluerunt numine diuos.
Hæc adeo penitus cura videre sagaci
Ocia qui studijs læti tenuere decoris:
Ingq; Academia vmbrifera, nitidoq; Lyceo.
Fuderunt claras fœcundi pectoris artes.
E quibus ereptum primo iam à flore iuuentæ,
Te patria in media virtutum mole locauit.
Tu tamen anxiferas curas requiete relaxas:
Quod patriæ vocis studijs, nobisq; sacrasti.
Tu igitur animum poteris inducere cõtra ea, quæ à me disputantur, de diuinatione dicere? qui & gesseris ea, quæ gessisti: & ea, quæ pronuntiaui, accuratissime scripseris? Quid quæris Carneades, cur hæc ita fiant? an qua arte perspici possint? nescire me fateor: euenire autẽ te ipsum dico videre. casu, inquis, ita ne vero? quicquam potest esse casu factum: quod omnes habet in se numeros veritatis? quatuor tali iacti, casu Venereum efficiunt. num etiam centum Veneres, si CCCC talos eieceris, casu futuros putas? aspersa temere pigmenta in tabula, oris liniamenta efficere possunt. nũ etiam Veneris Gnidiæ, Coæq; pulchritudinem effingi posse aspersione fortuita putas? sus rostro si humi A, literam impresserit: num propterea suspicari poteris, Andromacham Ennij ab ea posse describi? fingebat Carneades in Chiorũ lapicidinis saxo diffisso, caput extitisse Panisci. credo aliquam non dissimilem figuram: sed certe non talem, vt eam factam à Scopa diceres. sic enim se profecto res habet: vt nunquam perfectè veritatem casus imitetur. At nonnunquã ea, quæ prædicta sunt, minus eueniunt. quæ tandem id ars non habet? earum dico

artium, quæ coniectura continentur: & sunt opinabiles. an medicina ars non putanda est? quam tamen multa fallunt. quid? gubernatores nonne falluntur? an Achiuorum exercitus, & tot nauium rectores, non ita profecti sunt ab Ilio? vt profectione læti, piscium lasciuiam intuerentur (vt ait Pacuuius) nec tuendi satietas capere posset?

Interea prope iam occidente sole, inhorrescit mare:
Tenebræ conduplicantur: noctisq; & nimbum occæcat nigror.

Num igitur tot clarissimorũ ductum, regumq; naufragium, sustulit artem gubernandi? aut num imperatorũ scientia nihil est? quia summus imperator nuper fugit amisso exercitu? aut nũ propterea nulla est Reip. gerendæ ratio, atq; prudentia? quia multa (n. Pompeiũ, quædã M. Catonem, nonnulla etiã te ipsum fefellerunt? similis est aruspicum responsio, omnisq; opinabilis diuinatio. cõiectura enim nititur: vltra quã progredi nõ potest. ea fallit fortasse nonnunquã: sed tamen ad veritatẽ sæpissime dirigit. est enim ab omni æternitate repetita in qua, cũ pene innumerabiles res eodẽ modo euenirẽt hisdem signis antegressis, ars est effecta, eadẽ sæpe animaduertendo, atq; notando. Auspicia vero vestra quã constant? quæ quidem nunc à Romanis auguribus ignorantur: bona hoc tua venia dixerim, à Cilicibus, Pamphylijs, Pisidis, Lycijs tenentur. iam quid ego hospitem nostrum clarissimum, atq; optimum virum, Deiotarũ regem commemorem? qui nihil vnquam nisi auspicato gerit: qui cum ex itinere quodam proposito, & iam constituto reuertisset aquila admonitus volatu: con-

claue

clauē illud, vbi erat mansurus, si ire perrexisset, proxima nocte corruit. itaq; vt ex ipso audiebam, persæpe reuertit ex itinere: cum iam progressus esset multorum dierum viam. cuius quidem hoc præclarissimum est: quod posteaquam a Cæsare Tetrarchiæ regno, pecuniaq; mulctatus est: negat se tamen eorum auspiciorū, quæ sibi ad Pompeium proficiscenti secunda euenerint, pœnitere. se natus enim authoritatem, & populi Ro. libertatem, atq; imperij dignitatē, suis armis esse defensam: sibiq; eas aues, quibus authoribus officium, & fidem secutus esset, bene consuluisse. ant: quorem enim sibi fuisse possessionibus suis gloriam. ille igitur mihi videtur vere augurari. Nam nostri quidem magistratus auspicijs vtuntur coactis. necesse enim est offa obiecta, cadere frustum expulli ore, cum pascitur. quod autem scriptum habetis, aut tripudium fieri, si ex ea quid in solidum ceciderit: hoc quoq; quod dixi coactum tripudium solistimum dicitis. itaque multa auguria, multa auspicia, quod Cato ille sapiens queritur: negligentia collegy amissa plane, & deserta sunt. Nihil fere quondam maioris rei, nisi auspicato, ne priuatim quidem, gerebatur: quod etiam nunc nuptiarum aruspices declarant: quire omissa, nomen tantum tenent. nam vt nunc extis, quanquam id ipsum aliquanto minus, quàm olim: sic tum auibus magnæ res impertiri solebant. itaque, sinistra dum non exprimus, in dira, & in uitiosa incurrimus. vt P. Claudius Appij Cæci filius, eiusq; collega, L. Iunius, classes maximas perdiderunt, cū vitio nauigassent. quod eodē modo euenit Agamemnoni. qui, cum Achiui cepissent Inter se strepere, aperteq; artem obterere, extispicum.

Soluere

Soluere imperat secundo rumore, auersaq; aui.
sed quid vetera? M. Crasso quid acciderit, videmus, dirarum obnuntiatione neglecta. in quo Appius collega tuus, bonus augur, vt ex te audire soleo: nō satis scienter, virum bonum, & ciuem egregium censor P. Aethelium notauit: quod ementitum auspicia subscripserit. Esto, fuerit hoc censoris: si iudicabat ementitum. at illud minime auguris: quod ascripsit ob eam causam populū Ro. calamitatem maximam cepisse. si enim ea causa calamitatis fuit: non in eo est culpa, qui obnunciauit: sed in eo, qui non paruit. veram enim fuisse obnunciationem, vt ait idem augur, & censor, exitus approbauit. quæ si falsa fuissent: nullam afferre potuissent causam calamitatis. etenim diræ sicut cætera auspicia, vt omina, vt signa, non causas afferunt cur quid eueniat: sed enunciant euentura, nisi prouideris. Non igitur obnunciatio P. Aetheij causam finxit calamitatis: sed signo obiecto, monuit Crassum quid euenturum esset, nisi cauisset. ita, aut illa obnunciatio nihil valuit: aut si, vt Appius iudicat, valuit, id valuit, vt peccatū hæreat nō in eo, qui monuerit, sed in eo, qui non obtemperauerit. Quid lituus iste vester, quod clarissimum est insigne auguratus, vnde nobis est traditus? nempe eo Romulus regiones direxit tum, cum vrbem condidit. qui quidem Romuli lituus, id est incuruum, & leuiter à summo inflexum bacillum, quod ab eius litui, quo canitur, similitudine nomen inuenit: cū situs esset in curia Saliorum, quæ est in palatio, eaq; deflagrasset, inuentus est integer. quid multis annis post Romulum, Prisco regnante Tarquinio? quis veterum scriptorum non loquitur, quæ

sit ab

sit ab Accio Nauio per lituum regionum facta descriptio? qui cum propter paupertatem sues puer pasceret: vna ex his amissa, vouisse dicitur, si recuperasset, vnam se deo daturum, quæ maxima esset in vinea. itaque sue inuenta, ad meridiem spectans, in vinea media dicitur constitisse: cumq; in quatuor partes vineam diuisisset: treisq; parteis aues abdixissent: quarta parte, quæ erat reliqua, in regione distributa, mirabili magnitudine vuã, vt scriptum videmus, inuenit. qua re celebrata, cum vicini omnes ad eum de rebus suis referrent, erat in magno nomine, & gloria. ex quo factum est: vt eum ad se rex Priscus accerseret. cuius cum tentaret scientiam auguratus, dixit ei se cogitare quiddam, id posset ne fieri, consuluit. ille augurio acto, posse respondit. Tarquinius autem dixit, se cogitasse cotem nouacula posse præcidi. tum Accium iussisse experiri. ita cotem in comitium illatam inspectante & rege & populo, nouacula esse discissam. ex eo enenit vt & Tarquinius augure Accio Nauio vteretur: & populus de suis rebus ad eum referret. cotem autem illam, & nouaculam defossam in comitio, supraque impositum puteal accepimus. Negemus omnia: cõburamus annales: ficta hæc esse dicamus: quid vis denique potius, quàm deos res humanas curare fateamur. quid? quod apud te scriptum est de Tiberio Graccho: non ne & augurum, & aruspicum comprobat disciplinam? qui, cum tabernaculum vitio cepisset imprudens: quod inauspicato pomerium transgressus esset: comitia consulibus rogatis habuit. notare est: & à te ipso mandata monumentis. sed & ipse augur Tib. Gracchus auspiciorum authoritatem confessione errati

sui

sui comprobauit: & aruspicum disciplinæ magna accessit authoritas: qui recentibus comitijs in senatum introducti negauerunt iustum comitiorum rogatorem fuisse. His igitur assentior: qui duo genera diuinationis esse dixerunt. vnum, quod particeps esset artis: alterum, quod arte careret. est enim ars in ijs qui nouas res coniectura persequuntur: veteres obseruatione didicerunt. carent autem arte ij, qui non ratione, aut coniectura obseruatis, ac notatis signis, sed concitatione quadam animi, aut soluto, liberoq; motu futura præsentiunt. quod et somnijantibus sæpe contingit: & nonnunquam vaticinantibus per furorem: vt Bacchis Bœptius, vt Epimenides Cres, vt Sibylla Erythræa. cuius generis oracula etiam habenda sunt: non ea quæ æquatis sortibus ducuntur: sed illa quæ instinctu diuino, afflatuq; fundũtur. & si ipsa sors contemnenda non est: si & authoritatem habet vetustatis: vt hæ sunt sortes, quas ex terra editas accepimus: quæ tamen eductæ, vt in rem apte cadant, fieri posse credo diuinitus. quorum omnium interpretes, vt grammatici poëtarum, proxime ad eorum, quos interpretantur diuinationem videntur accedere. quæ est igitur ista calliditas? res vetustate robustas calumniando velle peruertere? Non reperio causam. latet fortasse obscuritate inuoluta naturæ. nõ enim me deus ista scire, sed his, tantummodo vti voluit. vtar igitur nec abducar his, vt rear aut in extis totam Etruriam delirare: aut eandem gentem in fulguribus errare: aut fallaciter portenta interpretari: cum terræ sæpe fremitus, sæpe mugitus, sæpe motus, multa nostræ Reipub. multa cæteris ciuitatibus grauia, & vera prædixerint. quid, qui irrideatur,

detur, partus hic mulæ, non ne quia fœtus extitit in sterilitate naturæ, prædictus est ab aruspicibus incredibilis partus malorum? quid? Ti. Gracchus Publij filius, qui bis consul & censor fuit: idemq3, & summus augur, & vir sapiens, ciuisq3 præstans, nonne, vt C. Gracchus filius eius scriptum reliquit, duobus anguibus domi comprehensis, aruspices conuocauit? qui cum respondissent, si marē emisisset: vxori breui tempore esse moriendum: si fœminam, ipsi: æquius esse censuit, se maturam oppetere mortem: quam P. Africani filiam adolescentem? fœminam emisit, ipse paucis post diebus est mortuus. irrideamus aruspices, vanos, futiles esse dicamus: quorumq3 disciplinam, & sapientissimus vir, & euentus, ac res comprobauit, eos contemnamus: contemnamus etiam Babylonios, & eos qui ex Caucaso cœli signa seruantes, numeris, & motibus, stellarum cursus persequuntur. contemnamus inquam hos aut stultitiæ, aut vanitatis, aut imprudentiæ: qui CCCCLXX milia annorum, vt ipsi dicunt, monumentis, comprehensa continent, & mentiri iudicemus: nec seculorum reliquorum iudicium quod de ipsis futurum sit, pertimescere. Age, barbari vani, atq3 fallaces. num etiam Graiorum historia mentita est? quæ Crœso Pythius Apollo, vt de naturali diuinatione dicam: quæ Athenienſibus, quæ Lacedæmonijs, quæ Taygetis, quæ Argiuis, quæ Corynthijs responderit, quis ignorat? collegit innumerabilia oracula Chrysippus: nec vllum sine locupleto authore, atque teste. quæ quia nota tibi sunt, relinquo. Defendo vnum hoc. nunquam illud oraculum Delphis tam celebre, & tam clarū fuisset: neque tantis

donis

donis refertum omnium populorum atq; regum: nisi omnis ætas oraculorum illorum veritatem esset experta. iam diu idem non facit. vt igitur nunc minore gloria est: quia minus oraculorum veritas excellit: sic tum, nisi summa veritate, in tanta gloria non fuisset. potest autem vis illa terræ, quæ mentem Pythiæ diuino afflatu cõcitabat, euanuisse vetustate: vt quosdam exaruisse amnes, aut in aliũ cursum contortos, & deflexos videmus. sed, vt vis, acciderit: magna enim quæstio est: modo maneat id, quod negari non potest, nisi omnem historiam peruerterimus, multis seclis verax fuisse id oraculum. Sed omittamus oracula: veniamus ad somnia. de quibus disputans Chrysippus, multis, & minutis somnijs colligendis facit idem, quod Antipater: ea conquirens, quæ Antiphontis interpretatione explicata, declarant illa quidem acumen interpretis: sed exemplis grandioribus decuit vti. Dionysij mater eius, qui Syracusiorum tyrannus fuit: vt scriptum apud Philistum est, & doctum hominem, & diligentem, & æqualem temporũ illorum: cum prægnans hunc ipsum Dionysium aluo contineret: somniauit se peperisse Satyriscum. huic interpretes portentorum, qui Galleotæ tum in Sicilia nominabantur: responderunt (vt ait Philistus) eum quem illa peperisset, clarissimum Græciæ diuturna cũ fortuna fore. Nam te ad fabulas reuoco vel nostrorum, vel Græcorum poëtarum? Narrat enim & apud Ennium Vestalis illa.

Excita cum tremulis anus attulit artubu' Lumen:
Talia commemorat lachrymans exterrita somno
Euridica prognata, pater quam noster amauit:

Vires,

Vires, vitaq; corpu' meum nunc deserit omne.
Nam me visus homo pulcher per amœna salicta
Et ripas raptare, locos qúe nouos. ita sola
Post-illa, germana soror, errare videbar:
Tardaq; vestigare, & quærere te, neq; posse
Corde capessere. semita nulla pedem stabilibat.
Exin compellare pater me voce videtur
His verbis. cognata, sunt tibi ante gerendæ.
Ærumnæ post exfluuio fortuna resistet.
Hæc pater effatus, germana repente recessit,
Nec sese dedit in conspectum corde cupitus.
Quanquam multa manus ad cœli cærula templa
Tendebam lachrymans, & blanda voce vocabam.
Vix ægroto tum corde meo me somnu' relinquit.
Hæc etiam si ficta sunt à poëta: non absunt tamen à consuetudine somniorum. Sit sanè etiam illud commentitium, quo Priamus est conturbatus:
Quia mater grauida parere se ardentem facem
Visa est in somnis Hecuba: quo facto pater
Rex ipse Priamus somnio mentis, metu
Perculsus, curis sumptis suspirantibus
Exsacrificabat hostiys balantibus.
Tum coniectorem postulat, pacem petens,
Vt se edoceret obsecrans Apollinem,
Quo sese vertant tantæ sortes somnium.
Ibi ex oraclo voce diuina edidit
Apollo, puerum, primus Priamo qui foret
Post illa natus tempora, hunc si tolleret,
Eum esse exitium Troiæ, pestem Pergamo.
Sint hæc, vt dixi, somnia fabularum: hisq; adiungatur etiam Aeneæ somnium: quod innumerum Fabij

m

Pictoris Græcis annalibus eiusmodi est: vt omnia, quæ ab Aenea gesta sunt, quæq; illi acciderunt, ea fuerint, quæ ei secundū quietē visa sunt: sed propria videamus: cuiusnam modi est Superbi Tarquinij somniū? de quo in Bruto Accius loquitur.

Cum iam quieti corpus nocturno impetu
Dedi, sopore placans artus languidos:
Visum est in somnis pastorem ad me appellere:
Duos consanguineos arietes inde eligi:
Pecus lanigerum eximia pulchritudine:
Præclarioremq; alterum immolare me.
Deinde eius germanum cornibus connitier
In me arietare: eoq; ictu me ad casum dari.
Exin prostratum terra grauiter sauciū,
Resupinum, in cœlo contueri maximum,
Ac mirificum facinus: dextrorsum orbem flammeum,
Radiatum solis liquier cursu nouo.
Eius igitur somny quæ sit à coniectoribus interpretatio facta, videamus.
Rex, quæ in vita vsurpant homines, cogitant, curant, vident:
Quæq; agunt vigilantes, agitantq;: ea si cui in somno accidunt,
Minus mirandum est. sed in re tanta haud temere improuiso offerunt.
Proin vide, ne, quem tu esse hebetem deputes, æque ac pecus:
Is sapientia munitum pectus egregium gerat:
Teq; regno expellat. nam id, quod de sole ostentū est tibi:
Populo commutationem rerum portendit fore.

Per

Per propinqua hæc benè verruncent populo. nam quod ad dexteram

Cœpit cursum ab leua signum præpotens: pulcherrime Auguratũ est, rem Romanã publicam summam fore. Age nũc ad externa redeamus. Matrẽ Phalaridis scribit Ponticus Heraclides, doctus vir, auditor, et discipulus Platonis, visam esse videre in somnys simulacra deorũ: quæ ipsa Phalaridis domi cõsecrauisset, ex his Mercurium è patera, quam dextra manu teneret, sanguinẽ visum esse fundere. qui, cùm terram attigisset: reseruescere videretur sic, vt tota domus sanguine redundaret: quod matris somniũ immanis filij crudelitas comprobauit. Quid ego, quæ magi Cyro illi principi interpretati sunt, ex Dionysij Persicis libris proferam? nam cũ dormienti ei sol ad pedes visus esset: ter eum scribit frustra appetiuisse manibus: cum se conuoluens sol laberetur, & abiret. ei magos dixisse, quod genus sapientum, & doctorũ habebatur in Persis: ex triplici appetitione solis, XXX annos Cyrum regnaturum esse, portendi: quod ita contigit. nam ad septuagesimum peruenit, cũ XL natus annos regnare cœpisset. Est profectò quiddã etiam in barbaris gentibus præsentiens, atq; diuinans. siquidem ad mortem proficiscens Calanus Indus cum ascenderet in rogum ardentem: ò præclarum discessum, inquit, è vita: cum, vt Herculi contigit, mortali corpore cremato, in lucem animus excesserit. cumq; Alexander eum rogaret: si quid vellet, vt diceret: optime inquit, propediem te videbo. quod ita contigit. nam Babylone paucis post diebus Alexander est mortuus. Discedo parumper à somnys: ad quæ mox

reuertar: qua nocte templum Ephesiæ Dianæ deflagrauit: eadem constat ex Olympiade natum esse Alexandrum: atq; vbi lucere cepisset: clamitasse magos, pestẽ, ac pernicem Asiæ proxima nocte natam. Hæc de Indis, & Magis. redeamus ad somnia. Annibalem Cœlius scribit, cũ columnam auream, quæ esset in fano Iunonis Laciniæ, auferre vellet: dubitaret q; vtrũ ea solida esset, an extrinsecus inaurata: perterebrauisse. cumq; solidam inuenisset: statuisse eam tollere. secundum quietem visam esse, ei Iunonem prædicere ne id faceret: minitariq;, si id fecisset, se curaturam, vt eum quoq; oculũ, quo bene videret, amitteret: idq; ab homine acuto non esse neglectum. Itaq; ex eo auro, quod exterebratum esset, buculam curasse faciendam: & eam in summo columnæ collocauisse. Hoc idem in Sileni, quem Cœlius sequitur, Græca historia est. is autem diligentissime res Annibalis persecutus est. Annibalem cum cepisset Saguntum: visum esse in somnis à Ioue in deorũ concilio vocari: quo cum venisset: Iouem imperasse, vt Italiæ bellum inferret: ducemq; ei vnum ex concilio datum: quo illum vtentem cum exercitu progredi cœpisse. tum ei ducem illum præcepisse ne respiceret. illum autem id diutius facere non potuisse: elatumq; cupiditate respexisse. tum visam beluam vastã, & immanem, circumplicatam serpentibus, quacunq; incederet omnia arbusta, virgulta, tecta peruertere. & eum admiratum quæsisse de deo, quidnam illud esset tale monstrum: & deũ respondisse, vastitatem esse Italiæ: præcepisseq; vt pergeret protinus: quid retrò, atq; à tergo fieret, ne laboraret. Apud Agathoclem scriptum in historia est,

Hamilca-

Hamilcarem Carthaginensem, cum oppugnaret Syracusas, visum esse audire vocem se postridie cœnaturum Syracusis. cum autẽ is dies illuxisset: magnam seditionem in castris eius inter Pœnos, & Siculos milites esse factam: quod cũ sensissent Syracusani, improuiso eos in castra irrupisse: Hamilcaremq; ab his viuum esse sublatum. ita res somnium comprobauit. plena exemplorũ est historia: tum referta vita communis. At vero Pub. Decius ille, Quinti filius, qui primus è Decijs cõsul fuit: cùm esset tribunus militum, M. Valerio, & A. Cornelio consulibus: à Samnitibusq; premeretur noster exercitus: cùm pericula præliorum iniret audacius, moneturq;, vt cautior esset: dixit, quod extat in annalibus, sibi in somnis visum esse, cum in medijs hostibus versaretur, occidere cũ maxima gloria. & tum quidem incolumis exercitum obsidione liberauit. post triennium autem, cum consul esset, deuouit se: & in aciem Latinorũ irrupit armatus. quo eius facto superati sunt, & deleti Latini. cuius mors ita gloriosa fuit: vt eandẽ concupisceret filius. Sed veniamus nunc si placet, ad somnia philosophorũ. Est apud Platonẽ Socrates, cũ esset in custodia publica, dicens Critoni suo familiari, sibi post tertium diẽ esse moriendũ: vidisse se in somnis pulchritudine eximia fœminam, quæ se nomine appellans diceret Homericum quendam eiusmodi versum.

Tertia te Phthiæ tempestas læta locabit:

quod vt est dictum, sic scribitur contigisse. Xenophon Socraticus, qui vir, & quantus, in ea militia, qua cum Cyro minore perfunctus est, sua scribit somnia. quorum exitus mirabiles extiterunt. Mentiri Xenophon

rem, an delirare dicemus? quid singulari viri ingenio Aristoteles, & penè diuino? ipse ne errat? an alios vult errare? cũ scribit Eudemum Cyprium familiarem suum iter in Macedoniam facientẽ Pheras venisse: quæ erat vrbs in Thessalia tum admodũ nobilis: ab Alexandro autem tyranno crudeli dominatu premebatur. in eo igitur oppido ita grauiter ægrũ Eudemum fuisse: vt omnes medici diffiderent: ei visum esse in quiete egregia facie iuuenẽ dicere: fore vt breui conualesceret: paucisq; diebus interiturum Alexandrũ tyrannũ: ipsum autem Eudemum quinquennio post domum esse rediturum. Atque ita quidem, prima statim scribit Aristoteles consecuta: & conualuisse Eudemum: & ab vxoris fratribus interfectum tyrannum. quinto autem anno exeunte, cùm esset spes ex illo somnio in Cyprum illum ex Sicilia esse rediturum: præliantem eum ad Syracusas occidisse. ex quo ita illud somniũ esse interpretatum: vt, cum animus Eudemi ex corpore excesserit, tum domum reuertisse videatur. Adiungam philosophis doctissimum hominem, poëtam quidem diuinum, Sophoclem: qui, cũ ex æde Herculis patera aurea grauis surrepta esset: in somnis vidit ipsum deum dicentem quis fecisset. quod semel ille, iterumq; neglexit. vbi idẽ sæpius, ascendit in Ariopagum, detulit rem. Ariopagitæ comprehendi iubent eum, qui à Sophocle erat nominatus. is quæstione adhibita, confessus est, pateramq; retulit. quo facto, fanum illud Indicis Herculis nomine situ est, Sed quid ego Græcorũ? nescio quo modo magis me nostra delectant. omnes hoc historici, Fabij, Gellij, sed proxime Celius: cum bello Latino ludi votiui maximi

ximi primum fierent: ciuitas ad arma repente est excitata. ita q3 ludis intermissis instauratiui constituti sunt. qui antequam fierent, cum q3 iã populus consedisset: seruus, per circum, virgis cæderetur. furcam ferens ductus est. exin cuidam rustico Romano dormienti visus est venire, qui diceret, præsultorem sibi non placuisse ludis: idq3 ab eodem iussum esse eum senatui nunciare: illum non esse ausum. iterum esse idem iussum, & monitum, ne vim suam experiri vellet. ne tum quidem esse ausum. exin filium eius esse mortuum. eandem in somnijs admonitionem fuisse tertiam. tum illum etiam debilem factum, rem ad amicos detulisse, quorum de sententia lectulo in curiam esse delatũ. cum q3 senatui somnium enarrauisset: pedibus suis saluum reuertisse. Itaque somnio comprobato à senatu, ludos illos iterum instauratos memoriæ proditum est. C. vero Gracchus multis dixit: vt scriptum apud eundem Celium est: sibi in somnis quæsturã petenti, Ti. fratrem visum esse dicere, quã vellet cunctaretur: tamen eodem sibi leto, quo ipse interisset, esse pereundum. Hoc antequam Tri. pl. Gracchus factus esset: & se audisse scribit Celius, & dixisse multis. quo somnio quid inueniri potest certius? quid? illa duo somnia, quæ creberrime cõmemorantur à Stoicis: quis tandẽ potest contemnere? vnum de Simonide: qui cum ignotum quendam proiectum mortuum vidisset, eum q3 humauisset: haberet q3 in animo nauem conscendere: moneri visus est, ne id faceret, ab eo, quem sepultura affecerat. si nauigasset, eum naufragio esse perituru. ita q3 Simonidem rediisse, periisse cæteros, qui tum nauigassent. Alterum ita traditum, clarum ad-

modum somnium. cũ duo quidam Arcades familiares iter vnà facerent, & Megaram venissent: alterũ ad cauponem diuertisse: ad hospitem, alterũ. qui vt cœnati quiescerent: concubia nocte visum esse in somnis ei qui erat in hospitio, illum alterũ, orare vt subueniret: quod sibi à caupone interitus pararetur. eum primo perterritum somnio surrexisse: deinde cũ se collegisset, idq; visum pro nihilo habendum esse duxisset, recubuisse. tum ei dormienti eundem illũ visum esse rogare, vt, quoniã sibi viuo non subuenisset, mortem suam ne inultam esse pateretur: se interfectum in plaustrum à caupone esse coniectum, & supra stercus iniectũ: petere vt mane ad portam adesset, priusquam plaustrum ex oppido exiret. hoc vero somnio eum commotum, mane bubulco præsto ad portam fuisse: quæsisse ex eo quid esset in plaustro: illum perterritum fugisse, mortuum erutũ esse: caponẽ, re patefacta, pœnas dedisse. quid hoc somnio dici diuinius potest? Sed quid aut plura, aut vetera quærimus? sæpe tibi meum narraui: sæpe ex te somnium audiui tuum. Me, cum Asiæ prouinciæ præessem, vidisse in quiete: cum tu equo aduectus, ad quandam magni fluminis ripam, prouectus subito, atq; delapsus in flumen, nusquam apparuisses: me contremuisse timore perterritum: tum te repente lætum extitisse: eodemq; equo aduersam ascendisse ripam: nosq; inter nos esse cõplexos. facilis coniectura huius somny: mihiq; à peritis in Asia prædictum est, fore eos euentus rerum, qui acciderunt. venio nunc ad tuum. audiui equidem ex te ipso: sed mihi sæpius Salustius noster narrauit: cũ in illa fuga nobis glorioſa, patriæ calamitoſa, in villa

quadam

quadam campi Atinatis maneres: magnamq; partem noctis vigilasses: ad lucem deniq; arctè, & grauiter dormitare cœpisse. itaq;, quanquam iter instaret, te tamen silentium fieri iussisse: neq; esse passum te excitari. cum autem experrectus esses hora secunda ferè, te sibi somniũ narrauisse: visum tibi esse, cum in locis sõlis mœstus errares: C. Marium cum fascibus laureatis quærere ex te, quid tristis esses: cumq; tu te tua patria vi pulsum esse dixisses: prehendisse eum dextram tuam: & bono animo te iussisse esse: lictoriq; proximo tradidisse: vt in monumentum suum deduceret: & dixisse, in eo tibi salutem fore. tum & se exclamasse Salustius narrat, reditum tibi celerem, & glorioſum paratum: & te ipsum visum somnio delectari. nam illud mihi ipsi celeriter nunciatum est: vt audiuisses, in monumento Marij de tuo reditu magnificentissimum illud senatusconsultum esse factum, referente optimo, & clarissimo viro consule: idque frequentissimo theatro, incredibili clamore, & plausu comprobatum: dixisse te, nihil illo Atinati somnio fieri posse diuinius. At multa falsa. immo ob scura fortasse nobis. sed sint falsa quædam. contra vera quid dicimus? quæ quidem multo plura euenirent: si ad quietem integri iremus. nunc onusti cibo, & vino, perturbata, & confusa cernimus. Vide, quid Socrates in Platonis Politia loquatur. dicit enim, Cũ dormientibus ea pars animi, quæ mentis & rationis particeps sit, sopita langueat: illa autem, in qua feritas quædam sit, atque agrestis immanitas, cũ sit immoderato obstupefacta potu, atque pastu: exultare eam in somno, immoderateq; iactari. itaque huic omnia visa obijciuntur

à mente, ac ratione vacua: vt aut cum matre cõpus miscere videamur: aut cũ quouis alio homine, vel deo, sæpe belua, atq; etiam trucidare aliquẽ: & impie cruentari: multaq; facere impure, atq; tetre, cum temeritate, atq; impudentia. at qui salubri, et moderato cultu, atq; victu, quieti se tradiderit: ea parte animi quæ mentis, & consilij est, agitata, & erecta, saturataq; bonarum cogitationum epulis, eaq; parte animi, quæ voluptate alitur, nec inopia enecta, nec satietate affluenti, quorum vtrumq; præstringere aciem mentis solet, siue deest naturæ quippiam, siue abundat, atq; effluit: illa etiam tertia parte animi, in qua irarum exist it ardor, sedata, atq; restincta, tũ eueniet duabus animi temerarys partibus compressis, vt illa tertia pars rationis, & mentis eluceat: & se vegetam ad somniandum, acremq; præbeat: tum ei visa quietis occurrent tranquilla atq; veracia. Hæc verba ipsa Platonis expressi. Epicurum igitur audiemus potius? nũ Carneades concertationis studio: modo ait hoc, modo illud. at ille, quid sentit? sentit autẽ nihil vnquã elegans, nihil decorũ. hunc ergo antepones Platoni, & Socrati? qui vt rationẽ non redderẽt: authoritate tamen hos minutos philosophos vincerent. Iubet igitur Plato sic ad somniũ proficisci corporibus affectis: vt nihil sit quod errorem animis, perturbationemq; afferat. ex quo etiam Pythagoricis interdictum putatur, ne faba vescerentur: quod habet inflationem magnam is cibus, tranquillitati mentis, quærenti vera, contrariam. Cum ergo est somno seuocatus animus à societate, & contagione corporis: tum meminit præteritorum: præsentia cernit: futura præuidet. iacet enim corpus

pus dormientis vt mortui: viget autem, & viuit animus. quod multo magis faciet post mortem: cum omnino ex corpore excesserit. itaq; appropinquante morte multo est diuinior. nã & id ipsum vident, qui sunt morbo graui, & mortifero affecti, instare mortem. itaq; his occurrunt plerunq; imagines mortuorum: tumq; vel maxime laudi student: eos q;, qui secus, quàm decuit vixerunt, peccatorũ suorum tum maxime pœnitet. diuinare autẽ morientes etiam illo exemplo confirmat Possidonius: quo affert, Rhodiũ quendã morientẽ sex æquales nominasse, & dixisse, qui primus eorũ, qui secundus, qui deinceps morituus esset. sed tribus modis censet deorum appulsu homines somniare. vno, quod præuideat animus ipse per sese: quippe qui deorũ cognatione teneatur. altero, quod plenus aër sit immortalium animorũ: in quibus tanquam insignitæ notæ veritatis appareant. tertio, quod ipsi dij cum dormientibus colloquantur: idq; vt modo dixi, facilius euenit appropinquante morte: vt animi futura augurentur. ex quo & illud est Calani, de quo ante dixi: & Homerici Hectoris: qui moriens propinquam Achilli mortem denunciat: neq; enim illud verbum temere consuetudo approbauisset: si ea res nulla esset omnino. Præsagibat animus frustra me ire: cum exirem domo. sagire enim sentire acute est: ex quo saga anus, quia multa scire volunt, & sagaces dicti canes. is igitur qui ante sagit, quàm oblata res est, dicitur præsagire: id est, futura ante sentire. ineſt igitur in animis præsagitio extrinsecus iniecta atque inclusa diuinitus. ea si exarsit acrius furor appellatur: cum à corpore animus abstractus diuino instinctu concitatur.

Sed

Sed quid oculis rapere visa est derepentè ardentibus?
Vbi illa paulo ante sapiens, virginali modestia?
Mater optuma: tum multo mulier melior:
Missa sum superstitiosis ariolationibus:
Neq; me Apollo fatis fandis dementem inuitam ciet.
Virgines vero æquales, patris mei, meũ factum pudet,
Optimi viri: mea mater, tui me miseret, mei piget.
Optumam progeniem Priamo repperisti: extra me: hoc dolet.
Me obesse, illos prodesse: me obstare, illos obsequi.
O poëma tenerum, & moratum, atq; molle. sed hoc minus ad rem. illud, quod volumus expressum est: vt vaticinari furor vera soleat.
Adest, adest fax obuoluta sanguine, atq; incendio:
Multos annos latuit. ciues ferte opem, & restinguite.
Deus inclusus corpore humano iam, non Cassandra loquitur.
Iamq; mari magno classis cita
Texitur: exitium examen rapit:
Aduenit, & fera veliuolantibus
Nauibus complenit manu littora.

Tragœdias loqui videor, & fabulas. at ex te ipso nõ commentitiã rem, sed factam, eiusdẽ generis audiui: C. Copo niũ ad te venisse Dyrrhachio: cũ prætorio imperio classi Rhodiæ præesset, cũ primo hominẽ prudentem, atq; doctũ: eumq; dixisse, remigẽ quendã ex quinqueremi Rhodiorum vaticinatũ, madefactũ iri minus XXX diebus Græciã sanguine: rapinas Dyrrhachy, & cõscensionẽ in naues cum fuga, fugientibus miserabilem respectum incendiorum fore: sed Rhodiorum classi propinquum reditum,

ditum,ac domum itionem dari.tum neque te ipsum nō esse commotum: Marcum q3 Varronem,& M.Catonē, qui tum ibi erant,doctos homines, vehementer esse perterritos.paucis sanè post diebus, ex Pharsalica fuga venisse Labienum:qui cum interitum exercitus nunciauisset:reliqua vaticinationis breui esse confecta. nam et ex horreis direptū, effusum q3 frumentū vias omnes,angiportus q3 cōstranerat:& uos naues subito perterriti metu conscendistis:& noctu ad oppidū respicientes,flagrantes onerarias, quas incenderant milites,quia sequi noluerāt,videbatis. postremo à Rhodia classe deserti, verum vatem fuisse sensistis.Exposui quam breuissime potui somnij,& furoris oracula: quæ carere arte dixeram. quorum amborum generum vna ratio est, qua Cratippus noster vti solet:animos hominum quadam ex parte extrinsecus esse tractos, & haustos. ex quo intelligitur esse extra diuinum animum,humanus vnde ducatur: humani autem animi eam partem, quæ sensum, quæ motum, quæ appetitum habeat, non esse ab actione corporis seiugatam:quæ autem pars animi rationis, atque intelligentiæ sit particeps: eam tum maxime vigere, cum plurimum absit à corpore. Itaque ex ipsis exemplis verarum vaticinationum,& somniorum Cratippus solet rationem concludere hoc modo. si sine oculis non potest extare officium,& munus oculorum: possunt autem aliquando oculi non fungi suo munere: qui vel semel ita est vsus oculis, vt vera cerneret: is habet sensum oculorum vera cernentium. Item igitur, si sine diuinatione non potest,& officium,& munus diuinationis extare: potest antē quis, cum diuinationem

tionem habeat errare aliquando, nec vera cernere: satis est ad confirmandam diuinationẽ semel ita esse aliquid diuinatum: vt nihil fortutio cecidisse videatur. sunt autem eius generis innumerabilia: esse igitur diuinationẽ confitendum est. Quæ vero aut coniectura explicantur: aut euentis animaduersa & notata sunt: ea genera diuinandi, vt supra dixi, non naturalia, sed artificiosa dicuntur. in quo aruspices, augures, coniectoresq; numerantur. hæc improbantur à Peripateticis: à Stoicis defenduntur. quorum alia sunt posita in monumentis, & disciplina: quod Etruscorum declarant & aruspicini, & fulgurales, & rituales libri: nostri etiam augurales: alia autẽ subito ex tempore coniectura explicantur: vt apud Homerum Chalcas: qui ex passerum numero belli Troiani annos auguratus est. Et vt in Sisennæ scriptum historia videmus: quod te inspectante factũ est, vt cum Sylla in agro Nolano immolaret ante prætorium: ab infima ara subito anguis emergeret, cum quidam C. Posthumius aruspex oraret illum: vt in expeditionem exercitum educeret: id cum Sylla fecisset: tum ante oppidum Nolam florentissima Samnitum castra cœpit. Facta coniectura etiam in Dionysio est paulo antè quam regnare cœpit: qui cum per agrum Leontinum iter faciens, equum ipse dimisisset in flumen: summersus equus voraginibus non extitit: quem cum maxima contentione non potuisset extrahere: discessit, vt ait Philistus. agreferens. cum autem aliquantulum progressus esset: subito exaudiuit hinnitum: respexitq;, & equum alacrem lætus aspexit: cuius in iuba examen apum consederat. quod ostentum habuit

hanc

hanc vim: vt Dionysius paucis post diebus regnare cœperit. Quid? Lacedæmonijs paulo ante Leuctricam calamitatem quæ significatio facta est? cum in Herculis fano arma sonuerunt: Herculisq; simulachrum multo sudore manauit. At eodem tempore Thebis, vt ait Calisthenes, in templo Herculis valuæ clausæ repagulis, subito se ipsæ aperuerunt: armaq; quæ fixa in parietibus fuerant, ea humi sunt inuenta. cumq; eodem tempore apud Lebadiam Trophonio res diuina fieret: gallos galli naceos in eo loco sic assidue canere cœpisse: vt nihil intermitterent. tum augures dixisse Bœotios, Thebanorũ esse victoriam: propterea quod anis illa victa silere soleret, canere, si vicisset. Eademq; tempestate multis signis, Lacedæmonijs Leuctricæ pugnæ calamitas denunciabatur. nanque & Lysandri, qui Lacedæmoniorum clarissimus fuerat: statuæ, quæ Delphis stabat, in capite corona subito extitit ex asperis herbis, & agrestibus: stellæque aureæ, quæ Delphis erant à Lacedæmonijs positæ post nauale illam victoriam Lysandri, quæ Athenienses conciderunt: qua in pugna quia Castor, et Pollux cum Lacedæmoniorum classe visi esse dicebantur: eorum insignia deorum, stellæ aureæ, quas dixi, Delphis positæ, paulo ante Leuctricam pugnam decidere runt: neque repertæ sunt. Maximum vero illud portentum ijsdem Spartiatis fuit: quod, cum oraculum ab Ioue Dodonæo petiuissent, de victoria sciscitantes: legatique illud, in quo inerãt sortes, collocauissent: Simia, quã rex Molossorum in delitijs habebat: & sortes ipsas, & cætera, quæ erant ad sortem parata, disturbauit: & aliud alio dissipauit. tum ea, quæ præposita erat

oraculo,

oraculo, sacerdos dixisse dicitur, de salute Lacedæmonijs esse, non de victoria cogitandum. Quid bello Punico secundo? nonne C. Flaminius consul iterum, neglexit signa rerum futurarum magna cum clade Reipub. qui, exercitu lustrato, cum Arretium versus castra mouisset: & contra Hannibalem legiones duceret: & ipse, & equus eius ante signũ Iouis Statoris sine causa repente concidit. nec eam rem habuit religioni, obiecto signo, vt peritis videbatur, ne committeret prælium. Idem cum tripudio auspicaretur: pullarius diem prœly committendi differebat. tum Flaminius ex eo quæsiuit, si ne postea quidem pulli pascerentur: quid faciendum censeret. cum ille quiescendum respondisset: Flaminius, præclara vero auspicia: si esurientibus pullis res geri poterit: saturis nihil geretur. itaque signa conuelli, & se sequi iussit. quo tempore, cum signifer primi hastati signum non posset mouere loco: nec quicquam proficeret, plures cùm accederent: Flaminius renuncia ta, suo more neglexit. itaque tribus horis concisus exercitus: atq; ipse interfectus est. Magnum illud etiã quod addidit Celius, eo ipso tempore, cum hoc calamitosum fieret prælium: tantos terræmotus in Liguribus, Gallia, compluribusq; insulis, totaq; in Italia, factos esse: vt multa oppida corruerint: multis locis labes facta sit: terræq; desciderint: fluminaq; in contrarias partes fluxerint: atque in amnes mare influxerint. Fiunt certæ diuinationum coniecturæ à peritis. Midæ illi Phrygio, cum puer esset, dormienti formicæ in os tritici grana congesserunt. ditissimum fore prædictum est. quod euenit. at Platoni, cum in cunis parulo dormienti

apes in

apes in labellis consedissent: responsum est, singulari illũ suauitate orationis fore. ita futura eloquentia prouisa in infante est. Quid amores, ac delitiæ tuæ, Roscius? nũ aut ipse, aut pro eo Lanuuium totũ mentiebatur? qui cum esset in cunabulis: educaretuŕq; in Selonio: qui est campus agri Lanuuini: noctu lumine apposito experrecta nutrix animaduertit puerum dormientem circumplicatum serpentis amplexu. quo aspectu exterrita, clamorem sustulit. pater autem Roscij ad aruspices retulit. qui responderunt: nihil illo puero clarius, nihil nobilius fore. atq; hanc speciem Praxiteles celauit argento: & noster expressit Archias versibus. Quid igitur expectamus? an dum in foro nobiscũ dij immortales, dũ in vijs versentur, dum domi? qui quidem ipsi se nobis nõ offerunt, vim autem suam longè, lateq; diffundunt. quã cum terræ cauernis includunt: tũ hominum naturis implicant. Nam terræ vis Pythiam Delphis incitabat: naturæ Sibyllam. quid enim? non videmus, quàm sint variæ terrarum genera? ex quibus & mortifera quædã pars est. vt & Amsancti in Hirpinis, & in Asia Plutonia, quæ videmus. & sunt partes agrorum aliæ pestilentes: aliæ salubres: aliæ quæ acuta ingenia gignant: aliæ quæ retusa. quæ omnia fiunt & ex cœli varietate: & ex disparili aspiratione terrarum. Fit etiam sæpe specie quadam, sæpe vocum grauitate, & cantibus, vt pellantur animi vehementius: sæpe etiam cura, & timore: qualis est illa,

Flexanima tanquam lymphata, vt Bacchi sacris
Commota, in tumulis Teucrum commemorans suum.

Atq; etiam illa concitatio declarat vim in animis esse

diuinam. negat enim sine furore Democritus quenquã poëtam magnum esse posse. quod idem dicit Plato. quẽ, si placet, appellet furorem: dummodo is furor ita laudetur, vt in Phædro Platonis laudatus est. quid vestra oratio in causis? quid ipsa actio? potest esse vehemens, & grauis, & copiosa, nisi est animus ipse commotior? Equidem etiam in te sæpe vidi, &, vt ad leniora veniamus, in Æsopo familiari tuo, tantũ ardorem vultuum, atq; motuum: vt eum vis quædam abstraxisse à sensu mẽtis videretur. Obijciuntur etiam sæpe formæ: quæ reapse nullæ sunt: speciem autem offerunt. quod contigisse Brenno dicitur, eiusq; Gallicis copijs: cum fano Apollinis Delphici nefariũ bellum intulisset, tum enim ferũt, ex oraculo hæc fatam esse Pythiam,

Ego prouidebo rem istam, & albæ virgines.

ex quo factum, vt & viderentur virgines ferre arma contrà: & niue Gallorũ obrueretur exercitus. Aristoteles quidem, eos etiam, qui valetudinis vitio furerent, & melancholici dicerentur, censebat habere aliquid in animis præsagiens, atq; diuinum. Ego autem haud scio an nec cardiacis hoc tribuendum sit: nec phreneticis. Animi enim integri, non vitiosi corporis est diuinatio. Quam quidem esse re vera, hac Stoicorum ratione concluditur. Si sunt dij: neq; ante declarant hominibus quæ futura sunt: aut non diligunt homines: aut quid euenturũ sit, ignorant: aut existimant nihil interesse hominũ, scire quid futurum sit: aut non censent esse suæ maiestatis præsignificare hominibus quæ sunt futura: aut ea, ne ipsi quidem dij significare possunt. At neq; non diligunt nos: (sunt enim benefici, generiq; hominum

minum amici) neq; ignorant ea, quæ ab ipsis cõstituta, & designata sunt: neq; nostra nihil interest scire ea, quæ euentura sunt: (erimus enim cautiores si sciemus) neq; hoc alienum ducunt maiestate sua (nihil est enim beneficentia præstantius) neq; non possunt futura præno-scere. Non igitur sunt dij: nec significant futura. sunt autem dij, significant ergo. & non si significant, nullas vias dant nobis ad significationis scientiã. Frustra enim significarent. nec, si dant vias: non est diuinatio, est igitur diuinatio. Hac ratione & Chrysippus, et Diogenes, & Antipater vtitur. quid est igitur cur dubitandum sit, quin sint ea, quæ disputaui verissima, si ratio me cũ facit, si euenta, si populi, si nationes, si Græci, si barbari, si maiores etiam nostri: si deniq; hoc semper ita putatũ est, si summi philosophi, si poëtæ, si sapientissimi viri, qui res publicas constituerunt, qui vrbes condiderunt. an, dum bestiæ loquantur, expectamus, hominum consentiente authoritate contenti non sumus? nec vero quicquam aliud affertur: cur ea quæ dico diuinandi genera nulla sint: nisi quod difficile dictu videtur, quæ cuiusq; diuinationis ratio, quæ causa sit. Quid enim habet aruspex, cur pulmo incisus, etiam in bouis extis dirimat tempus, & proferat diem? Quid augur, cur à dextra coruus, à sinistra cornix faciat ratum? Quid astrologus, cur stella Iouis, aut Veneris coniuncta cum Luna ad ortus puerorũ salutaris sit? Saturni, Martis ve cõtraria? cur autẽ deus dormientes nos moneat, vigilãtes negligat? Quid deinde causæ est, cur Cassandra furens futura prospiciat? Priamus sapiens hoc idem facere non queat? Cur fiat quicque, quæris? recte

omnino. sed non nunc id agitur, fiat, nec ne fiat, id quæritur. Vt, si magnetem lapidem esse dicam, qui ferrũ ad se alliciat, & trahat, rationem cur id fiat, afferre nequeam: fieri omnino neges. Quod idem facis in diuinatione. quam & cernimus ipsi, & audimus, & legimus, & à patribus accepimus: neq; ante philosophiam patefactam, quæ nuper inuenta est, hac de re communis vita dubitauit. Et postea quàm philosophia processit, nemo aliter philosophus sensit: in quo modo esset authoritas. Dixi de Pythagora, de Democrito, de Socrate, excepi de antiquis, præter Xenophanem neminem: adiunxi veterem Academiam: Peripateticos, Stoicos. vnus dissentit Epicurus. Quid vero hoc turpius, quàm quod idem nullam censet gratuitam esse virtutem? Quis autem est, quem non moueat clarissimis monumentis testata, consignataq; antiquitas? Chalcantem augurem scribit Homerus loge optimũ: eumq; ducẽ classium fuisse. At illũ auspiciorũ credo scientia, non locorũ. Amphilochus, & Mopsus Argiuorũ reges fuerũt: sed idem augures: yq; vrbes in ora maritima Ciliciæ Græcas condiderunt. Atq; etiã ante hos Amphiaraus, & Tyresias nõ humiles et obscuri: neq; eorũ similes, vt apud Enniũ est,

Qui sui quæstus causa fictas suscitant sententias:

Sed clari, & præstantes viri: qui auibus, & signis admoniti futura dicebant. Quorum de altero, etiã apud inferos Homerus ait, sõlum sapere, cæteros vmbrarum vagari modo. Amphiaraum autem sic honorauit fama Græciæ: deus vt habeatur: atq; vt ab eius solo, in quo est humatus, oracula peterentur. Quid Asiæ rex Priamus, nonne & Helenum filium, & Cassandram

dram filiam diuinantes habebat, alterũ augurys, alteram mentis incitatione diuina? quo in genere Martios quosdam fratres, nobili loco natos, apud maiores nostros fuisse scriptum videmus. Quid Polybum Corinthium, nonne Homerus & alijs multa, & filio ad Troiam proficiscenti mortem prædixisse commemorat? omnino apud veteres, qui rerum potiebantur, idem auguria tenebant. vt enim sapere, sic diuinare regale ducebant: vt testis est nostra ciuitas: in qua & reges, augures: & postea priuati eodem sacerdotio præditi, Rempu. religionum authoritate rexerunt. Eaq; diuinationum ratione in barbaris quidem gentibus neglecta est: siquidem & in Gallia Druydes sunt: è quibus ipse Diuitiacum Heduum, hospitem tuũ, laudatoremq; cognoui: qui & naturæ rationem, quam physiologiam Græci appellant, notam esse sibi profitebatur: & partim augurijs, partim coniectura, quæ essent futura, dicebat. & in Persis augurantur, & diuinant Magi: qui congregantur in fano commentandi causa, atq; inter se colloquẽdi. quod etiam idem vos quondam facere Nonis solebatis. nec quisquam rex Persarũ potest esse: qui non ante Magorum disciplinam, scientiamq; perceperit. Licet autem videre & genera quædam, & nationes, huic scientiæ deditas. Telmessus in Caria est, qua in vrbe excellit aruspicum disciplina. item q; Elis in Peloponneso familias duas certas habet. Iamidarũ vnã, alteram Clutidarũ, aruspicinæ nobilitate præstãtes. in Syria Caldæi cognitione astrorum, solertiaq; ingeniorum antecellunt. Ethruria autẽ de cœlo tacta scientissime animaduertit: eademq; interpretatur quid quibusq; ostẽdatur

monſtris, atq; portentis, quo circa bene apud maiores noſtros ſenatus tum, cũ florebat imperium, decreuit: vt de principũ filijs ſex ſingulis Ethruriæ populis in diſciplinam traderentur: ne ars tanta propter tenuitatem hominum à religionis authoritate, abduceretur ad mercedem, atq; quæſtum. Phryges autem: & Piſidæ, & Cilices, & Arabum natio, auium ſignificationibus plurimum obtemperant. quod idem factitatum in Vmbria accepimus. Ac mihi quidẽ videntur ex locis quoq; ipſis, quibus quæque incolebantur, diuinationum opportunitates eſſe ductæ. vt enim Ægyptij, vt Babylonij in camporum patentium æquoribus habitantes, cũ ex terra nihil emineret, quod contemplationi cœli officere poſſet: omnem curam in ſyderum cognitione poſuerunt. Ethruſci autem, quod religione imbuti ſtudioſius, & crebrius hoſtias immolabant: extorum cognitioni ſe maximè dediderũt: quod q; propter aëris craſſitudinem, de cœlo apud eos multa fiebant, & quod ob eandem cauſam multa inuſitata, partim ex cœlo, alia ex terra oriebantur: quædam etiam ex hominum, pecudumue conceptu, & ſatu: oſtentorũ exercitatiſſimi interpretes extiterunt. quorum quidem vim, vt tu ſoles dicere verba ipſa prudenter à maioribus poſita declarant. quia enim oſtendunt, portendunt, monſtrant, prædicunt: oſtenta, portenta, monſtra, prodigia dicuntur. Arabes autem, & Phryges, & Cilices, quod paſtu pecudum maximè vtuntur, campos, & montes hyeme, & æſtate, peragrantes: propterea facilius cantus auium, & volatus notauerunt. eademq; & Pyſidiæ cauſa fuit, & huic noſtræ Vmbriæ. Tum Caria tota, præcipueq;

Telmeſſes,

Telmesses, quos antè dixi, quod agros vberrimos maximeq; fertiles incolunt: in quibus multa propter fœnditatem fingi, gigniq; possunt: in ostentis animaduertendis diligentes fuerunt. quis vero nõ videt in optima quaque Repub. plurimum auspicia & reliqua diuinandi genera valuisse? quis rex vnquam fuit, quis populus, qui non vteretur prædictione diuina? neq; sõlum in pace, sed in bello multo etiam magis: in quo maius erat certamen, & discrimen salutis. omitto nostros, qui nihil in bello sine extis agunt: nihil sine auspicys domi habẽt. Auspicia externa videamus. nã & Athenienses omnibus semper publicis consilys diuinos quosdam sacerdotes, quos mantes vocant, adhibuerunt: & Lacedæmonij regibus suis augurem assessorem dederunt: itemq; senibus. (sic enim consilium publicum appellant) augurem interesse voluerunt: ydemq; de rebus maioribus semper aut Delphis oraculum, aut ab Hammone, aut à Dodona petebant. Lycurgus quidem, qui Lacedæmoniorum Remp. temperauit: leges suas authoritate Apollinis Delphici confirmauit. quas cũ vellet Lysander commutare, eadem est prohibitus religione. Atque etiam qui præerant Lacedæmonijs nõ contenti vigilantibus curis, in Pasitheæ fano, quod est in agro propter vrbem, sõmniandi causa excubabant: quia vera quietis oracula ducebant. Ad nostra iam redeo. quoties senatus decemuiros ad libros ire iussit? nam & cum duo visi soles essent, & cum tres lunæ: & cum faces, & cum sol nocte visus esset: & cum ex cœlo fremitus auditus, & cum cœlũ discessisse visum est, atq; in eo animaduersi globi. delata etiam ad senatum labes agri Priuerna-

tis: cum ad infinitam altitudinem terra desedisset: Apuliaq3 maximis terræmotibus conquassata esset. quibus portentis magna populo Ro. bella, pernicioseq3 seditiones denũciabantur. inq3 his omnibus responsa aruspicum cum Sibyllæ versibus congruebant. quid, cum Cumis Apollo sudauit? Capuæ Victoria? quid ortus Androgini? nonne fatale quoddã monstrũ fuit? quid, quod fluuius Atratus sanguine fluxit? quid cũ sæpe lapidum, sanguinis nonnunquã, terra interdum, quondã etiam lactis imber fluxit? quid cum in Capitolio ictus centaurus ex cœlo est? in Auentino portæ, & homines? Tusculi ædes Castoris, & Pollucis? Romæq3 pietatis, nonne & aruspices, ea responderunt, quæ euenerunt? & in Sibyllæ libris eædem repertæ prædictiones sunt? quoties senatus decemuiros ad libros ire iussit? quantis in rebus, quamq3 sæpe, responsis aruspicum paruit? Cæciliæ: Q. F. somnio modo Marsico bello, templum à senatu Iunoni Sospitæ restitutum. quod quidem somnium Siscenna cum disputasset mirifice ad verbum cum re conuenisse: tum insolenter, credo ab Epicureo aliquo inductus disputat, somnys credi non oportere. idem contra ostenta nihil disputat: exponitq3 initio belli Marsici, et deorum simulachra sudauisse: & sanguinem fluxisse: & discessisse cœlum: & ex occulto auditas esse voces, quæ pericula belli nunciarent: & Lanuuij clypeos, quod aruspicibus tristissimũ visum esset, à muribus esse derosos. quid quod in annalibus habemus, Veienti bello, cum lacus Albanus præter modũ creuisset: Veientem quendam ad nos hominem nobilem profugisse: eumq3 dixisse, ex fatis, quæ Veientes scripta haberent, Veios

capi

capi non posse: dum lacus is redundaret: & si lacus emissus lapsu, & cursu suo ad mare profluxisset: perniciosum populo Romano, sin autē esset eductus, vt ad mare peruenire non posset: tum salutare nostris fore. ex quo illa admirabilis à maioribus Albanæ aquæ facta deductio est. cum autem Veientes bello fessi, legatos ad senatum misissent: tum ex his quidam dixisse dicitur: nō omnia illum transfugam ausum esse senatui dicere: in iysdem enim fatis scriptum Veientes habere. fore vt brevi à Gallis Roma caperetur. quod quidem sexennio post Veios captos factum esse videmus. Sæpe etiam & in prælijs fauni auditi, & in rebus turbidis veridicæ voces ex occulto missæ esse dicuntur. cuius generis duo sunt ex multis exempla, sed maxima. nam non multo ante vrbem captam, exaudita vox est à luco Vestæ: qui à palaty radice in nouam viam deuexus est: vt muri & portæ reficerentur: futurum esse, nisi prouisum esset, vt Roma caperetur. quod neglectum, cum caueri poterat, post acceptam illam maximam cladem explicatum est. ara enim Aio loquenti, quam septam videmus, aduersus eum locum consecrata est. atque etiam scriptum à multis est, cum terræmotus factus esset: vt sue plena procuratio fieret, vocem ab æde Iunonis ex arce extitisse. quocirca Iunonem illam appellatam Monetam. Hæc igitur & à dijs significata, & à nostris maioribus iudicata contemnimus? neq; sōlum deorum voces Pythagorei obseruauerunt, sed etiam hominum, quæ vocant omnia. quæ maiores nostri, quia valere censebant, iccirco omnibus rebus agendis, quod bonum, faustum, fœlix, fortunatumq; esset, præfabantur: re-

busque diuinis, quæ publice fierent, vt fauerent linguis, imperabatur: inq; feriis imperandis, vt litibus, et iurgijs se abstinerent. item q; in lustranda colonia, ab eo, qui eã deduceret, & cum imperator exercitũ, censor populum lustraret, bonis nominibus qui hostias ducerent, eligebãtur. quod idem in delectu consules obseruant: vt primus miles fiat bono nomine. quæ quidem à te scis & consule, & imperatore summa cum religione esse seruata. prærogatiuam etiam maiores omnes iustorum comitiorum esse voluerunt. Atq; ego exempla omnium nota proferam. L. Paulus consul iterum, cum ei, bellum vt cum rege Perse gereret, obtigisset: vt ea ipsa die domum ad vesperam rediit, filiolam suam Tertiam, quæ tum erat admodum parua, osculans, animaduertit tristiculam: quid est, inquit, mea Tertia? quid tristis es? mi pater inquit, Persa periit. tum ille arctius puellam complexus, accipio omen, inquit, mea filia. erat autẽ mortuus catellus eo nomine. L. Flaccum flaminem Martialem ego audiui cum diceret, Cæciliam Metellam cũ vellet sororis suæ filiam in matrimoniũ collocare: exisse in quoddam sacellum ominis capiendi causa: quod fieri more veterum solebat. cum virgo staret, & Cæcilia in sella sederet: neque diu vlla vox extitisset: puellã defatigatam petijsse à matertera, vt sibi concederet paulisper, vt in eius sella requiesceret: illam autem dixisse: verò, mea puella tibi concedo meas sedes. quod omen res consecuta est. ipsa enim breui mortua est: virgo autem nupsit, cui Cæcilia nupta fuerat. Hæc posse contemni, vel etiam rideri, præclare intelligo. sed id ipsum est, deos non putare, quæ ab his significantur, contemnere.

nere. quid de auguribus loquar? tuæ partes sunt: tuũ inquam auspiciorum patrocinium debet esse: tibi P. Clau dius augur consul nunciauit, addubitato salutis augurio, bellum domesticum triste, ac turbulentũ fore: quod paucis post mensibus exortũ paucioribus est à te diebus oppressum. cui quidem auguri vehementer assentior solus enim multorum annorum memoria nõ decantandi augury, sed diuinãdi tenuit disciplinã. quem irridebãt collegæ tui: eumq; tum Pysidam, tũ Soranum augurem esse dicebant: quibus nulla videbatur in augurys, aut auspicys præsensio, aut scientia veritatis futuræ: sapienter aiebant ad opinionem imperitorum esse fictas religiones. quod longe secus est: neq; enim in ipso Romulo, neq; in pastoribus illis, quibus Romulus præfuit: hæc calliditas esse potuit: vt ad errorem multitudinis religionis simulacra fingerent. sed difficultas, laborq; discendi, disertam negligentiã reddidit. malunt enim disserere, nihil esse in auspicys: quã quid sit, edisscere. quid est illo auspicio diuinius, quod apud te in Mario est, vt vtar potissimum te authore?

Hic Iouis altisoni subito pinnata satelles
Arboris è trunco serpentis saucia morsu,
Subigit ipsa feris transfigens vnguibus anguem
Semianimum, & varia grauiter ceruice micantem.
Quem se in torquentem lanians, rostroq; cruentans,
Iam satiata animos, iam duros vlta dolores,
Abycit efflantem: & laceratum affligit in vnda.
Seque obitu à solis nitidos conuertit ad ortus.
Hanc vbi præpetibus pennis, lapsuq; volantem
Conspexit Marius, diuini numinis augur:

Fau-

Fauſtaq3 ſigna ſuæ laudis, reditusq2 notauit:
Partibus intonuit cœli pater ipſe ſiniſtris.
Sic aquilæ clarum firmauit Iupiter omen.
Atq3 ille Romuli auguratus paſtoralis, non vrbanus fuit: nec fictus ad opiniones imperitorum, ſed à certis acceptus, & poſteris traditus. Itaq3 Romulus augur, vt apud Ennium eſt, cum fratre item augure:
Curantes magna cum cura, concupientes
Regni, dant operam ſimul auſpicio, augurioq3:
Hinc Remus auſpicio ſe deuouet: atq3 ſecundam
Solus auem ſeruat. at Romulus pulcher in alto
Quærit Auentino, cernens genus altivolantum:
Certabant vrbem Romam, Remam ne vocarent.
Omnis cura viris, vter eſſet induperator.
Expectant, veluti, conſul cum mittere ſignum
Vult: omnes auidi ſpectant ad carceris oras:
Quà mox emittat pictis ex faucibus currus.
Sic expectabat populus, atq3 ora timebat.
Rebus, vtri magni victoria ſit data regni.
Interea ſol albus receſſit in infera noctis.
Exin candida ſe radijs dedit icta foras lux.
Et ſimul ex alto longè pulcherrima præpes,
Læua volauit auis: ſimul aureus exoritur ſol.
Cedunt ter quatuor de cœlo corpora ſancta
Auium, præpetibus ſeſe, pulchriſq3 locis dant.
Conſpicit inde ſibi data Romulus eſſe priora.
Auſpicio, regni ſtabilita ſemina ſolumque.
Sed vnde huc digreſſa eſt, eodem redeat oratio. ſinihil queam diſputare, quamobrem quicq3 fiat: & tantummodo fieri ea, quæ commemoraui, doceam: parum ne Epicuro, Carneadiue reſpondeam? quid? ſi etiam

ratio

ratio extat artificiosæ præsensionis, facilis? diuinæ autem, paulo obscurior? quæ enim extis, quæ fulguribus, quæ portentis, quæ astris præsentiuntur: hæc notata sunt obseruatione diuturna. affert autem vetustas omnibus in rebus longinqua obseruatione incredibilem scientiam: quæ potest esse etiam sine motu, atque impulsu deorum. cum quid ex quoque eueniat, & quid quamque rem significet, crebra animaduersione perspectum est. Altera diuinatio est naturalis, vt ante dixi: quæ physica disputandi subtilitate referenda est ad naturam deorum: à qua, vt doctissimis, sapientissimisq; placuit, haustos animos, & delibatos habemus: cumque omnia completa sunt, & referta æterno sensu, & mente diuina: necesse est cognatione diuinorum animorum, animos humanos commoueri. sed vigilantes animi, vitæ necessitatibus seruiunt, disiunguntq; se à societate diuina, vinclis corporis impediti. rarum est quoddam genus eorum, qui se à corpore auocent: & ad diuinarum rerum cognitionem cura omni, studióque rapiantur. Horum sunt auguria, non diuini impetus, sed rationis humanæ. Nam & natura futura præsentiunt, vt aquarum fluxiones, vt deflagrationem futuram aliquando cœli, atque terrarum. alij autem in Repub. exercitati, vt de Atheniensi Solone accepimus, orientẽ tyrannidẽ multo antè prospiciunt: quos prudentes possumus dicere, id est, prouidẽtes: diuinos nullo modo possumus, non plus, quam Milesium Thalem: qui, vt obiurgatores suos conuinceret: ostenderetq; etiam philosophum, si ei commodum esset, pecuniam facere posse: emnem oleam, antequam florere cœpisset, in agro

Milesio

Milesio coemisse dicitur. animaduerterat fortasse quadam scientia, oleārum vbertatem fore. & quidem idem primus defectionē solis, quæ Astyage regnante facta est: prædixisse fertur. multa medici, multa gubernatores, agricolæ etiam multa præsentiunt: sed nullā eorum diuinationem voco. ne illam quidem: qua ab Anaximandro physico moniti Lacedæmonij sunt, vt vrbem, & tecta linquerent: armatique in agro excubarēt: quod terræmotus instaret: tum, cum & vrbs tota corruit, & ex monte Thaygeto, extrema montis quasi puppis, auulsa est. ne Pherecydes quidem ille Pythagoræ magister, potius diuinus habebitur, quàm physicus: qui cum vidisset exhaustam aquam de iugi puteo: terræmotus dixit instare. Nec vero vnquam animus hominis naturaliter diuinat: nisi cum ita solutus est, & vacuus: vt ei plane nihil sit cum corpore. quod aut vatibus contingit, aut dormientibus. itaq; ea duo genera à Dicæarcho probantur, & vt dixi, à Cratippo nostro. si propterea, quod ea proficiscuntur à natura, sint summa sanè, modo ne sola. sin autem nihil esse in obseruatione putant, multa tollunt, quibus vitæ ratio cōtinetur. sed quoniam dant aliquid, idque non paruum, vaticinationes cum somnys: nihil est quod cum his magnopere pugnemus: præsertim cum sint, qui omnino nullam diuinationem probent. Ergo & hi quorum animi spretis corporibus euolant, atq; excurrunt foras, ardore aliquo inflammati, atque incitati: cernunt illa profecto, quæ vaticinantes prænunciant: multisq; rebus inflammantur tales animi, qui corporibus non inhærent: vt hi, qui sono quodam vocum, & Phrygijs cantibus incitantur: multos

nemora,

nemora, syluaq3, multos amnes, aut maria cõmouent: quorum furibunda mens videt ante multo, quæ futura sunt. quo de genere illa sunt:

-heu videte: iudicauit iudicium inclytum
Inter deas treis aliquis: quo iudicio Lacedæmonia
Mulier, furiarum vna, aduenier.-

Eodem enim modo multa à vaticinantibus sæpe prædicta sunt: neq3 sõlum verbis, sed etiam
Versibu', quos olim Fauni vatésque canebant.

Similiter Martius et Publicius vates cecinisse dicũtur: quo ex genere Apollinis operta prolata sunt. credo etiã anhelitus quosdam fuisse terrarum: quibus inflatæ mentes oracula funderent. Atq3 hæc quidem vatũ ratio est, nec dissimilis sane somniorum. nã quæ vigilantibus accidunt vatibus, eadem nobis dormientibus. viget enim animus in somnis: liberq3 sensibus, ab omni impeditione curarum, iacente et mortuo penè corpore, quia vixit ab omni æternitate: versatusq3 est cum innumerabilibus animis: omnia, quæ in natura rerum sunt, videt: si modo temperatis escis, modicisq3 potationibus ita est affectus: vt sopito corpore, ipse vigilet. hæc somniantis est diuinatio. Hic magna quædam exoritur, neq3 ea naturalis, sed artificiosa somniorum Antiphontis interpretatio: eodemq3 modo, & oraculorum, & vaticinationum: sunt enim explanatores, vt grammatici poëtarum. nam vt aurum, & argentum, æs, ferrum, frustra natura diuina genuisset: nisi eadem docuisset quemadmodum ad eorum venas peruenireturr: nec fruges terræ, baccáue arborũ cum vtilitate vlla generi humano dedissent: nisi earum cultus, & conditiones tradidisset.

materia

materia deinde quid iuuaret, nisi confectionis eius fabricam haberemus? sic cum omni vtilitate, quam dij hominibus dederunt, ars aliqua coniuncta est: per quam illa vtilitas percipi possit. item igitur somnijs, vaticinationibus, oraculis, quod erant multa obscura, multa ambigua: explanationes adhibitæ sunt interpretum. Quo modo autem aut vates, aut somniantes ea videant, quæ nusquam etiam tunc sint, magna quæstio est. sed explorata si sint ea: quæ ante quæri debeant: sint hæc quæ quærimus faciliora. continet enim totam hanc quæstionem ea ratio, quæ est de natura deorum: quæ à te secundo libro est explicata dilucide. quam si obtinemus, stabit illud quidem, quod locum hunc continet, de quo agimus, esse deos: & eorum prouidentia mundum administrari, eosdémque consulere rebus humanis: nec solum vniuersis, verum etiam singulis. hæc si tenemus, quæ mihi quidem non videntur posse conuelli: profecto hominibus à dijs futura significari necesse est. sed distinguendum videtur, quonam modo. Nam non placet Stoicis, singulis iecorum fissis, aut auium cantibus interesse deũ. neque enim decorum est, nec dijs dignum, nec fieri vllo pacto potest. sed ita à principio inchoatum esse mundũ: vt certis rebus certa signa præcurrerent, alia in extis, alia in auibus, alia in fulguribus, alia in ostentis, alia in stellis, alia in somniantium visis, alia in furentium vocibus. Ea quibus bene percepta sunt, bi non sæpe falluntur. male coniecta, maléque interpretata, falsa sunt, non rerum vitio, sed interpretum inscientia. hoc autem posito, atque concesso, esse quandam vim diuinam, hominum vitam continentem, non difficile est,

quæ fieri

quæ fieri certe videmus, ea quæ ratione fiant, suspicari. Nam & ad hostiam deligendã potest dux esse vis quadam sentiens: quæ est toto confusa mundo, & tũ ipsum, cum immolare velis, extorũ fieri mutatio potest, vt aut absit aliquid, aut supersit. paruis enim momentis multa natura aut affingit: aut mutat: aut detrahit. Quod ne dubitare possimus, maximo est argumento, quod paulo ante interitum Cæsaris contigit: qui cum immolaret illo die, quo primùm in sella aurea sedit, & cũ purpurea veste processit: in extis bouis opimi cor non fuit. Num igitur censes vllum animal, quod sanguinem habeat, sine corde esse posse? Qua ille rei nouitate perculsus, cum Spurinna diceret, timendum esse, ne & consilium, & vita deficeret: earum enim rerum vtrumq; à corde proficisci, postero die caput in iecore non fuit. quæ quidẽ illi portendebantur à dijs immortalibus: vt videret interitum, non vt caueret. Quum igitur hæ partes in extis non reperiuntur, sine quibus victima illa viuere nequisset, intelligendum est, in ipso immolationis tempore eas partes, quæ absint, interijsse. Eademque efficit in auibus diuina mens, vt tum huc, tum illuc volent alites: tum in hac, tum in illa parte se occultent, tum à dextra, tum à sinistra parte canant oscines. Nam si omne animal, vt vult, ita vtitur motu sui corporis, prono, obliquo, supino: membraq; quocunq; vult, flectit, contorquet, porrigit, contrahit, eaq; ante efficit penè, quã cogitat: quanto id deo est facilius, cuius numini parẽt omnia? Idemq; mittit & signa nobis eius generis, qualia permulta historia tradidit, quale scriptum illud videmus. Si luna paulo ante solis ortum

defeciſſet in ſigno Leonis, fore, vt armis Darius, & Perſæ ab Alexandro, & Macedonibus prælio vincerẽtur, Dariusq; moreretur. Et ſi puella nata biceps eſſet, ſeditionem in populo fore, corruptelam, & adulteriũ domi. Et, ſi mulier Leonẽ peperiſſe viſa eſſet, fore vt ab exteris gentibus vinceretur ea Reſp. in qua id contigiſſet. Eiuſdem autem generis etiam illud eſt, quod ſcribit Herodotus, Crœſi filium, cum eſſet infans, locutũ, quo oſtento regnum patris, & domũ funditus concidiſſe. Caput arſiſſe Seruio Tullio dormienti, quæ hiſtoria non prodidit? Vt igitur, qui ſe tradet ita quieti, præparato animo tum bonis cogitationibus, tum rebus ad tranquillitatem accommodatis, certa & vera cernit in ſomnis, ſic caſtus animus, purusq; vigilantis, & ad aſtrorum, & ad auium, reliquorumq; ſignorum, & ad extorum veritatem eſt paratior. Hoc nimirum eſt illud, quod de Socrate accepimus, quodq; ab ipſo in libris Socraticorum ſæpe dicitur, Eſſe diuinum quiddam, quod dæmonion appellat, cui ſemper ipſe paruerit, nunquam impellenti, ſæpe reuocanti. Et Socrates quidem (quo quem authorem meliorem quærimus?) Xenophonti cõſulenti, ſequeretur ne Cyrum, poſteaquã expoſuit, quæ ſibi videbantur. Et noſtrum quidem, inquit, humanũ eſt conſilium, ſed de rebus & obſcuris, & incertis ad Apollinem cenſeo referendum, ad quem etiam Athenienſes publice de maioribus rebus ſemper retulerunt. Scriptum eſt item, cum Critonis, ſui familiaris, oculum alligatum vidiſſet, quæſiuiſſe quid eſſet. Quum autẽ ille reſpondiſſet, in agro ambulanti ramulũ adductũ, vt remiſſus eſſet, in oculũ ſuum recidiſſe, tũ Socrates, Non

enim

enim paruisti mihi reuocanti, cum vterer, qua soleo, præ sagatione diuina. Idem etiam Socrates, cum apud Delium male pugnatum esset, Lachete prætore, fugeretq; cum ipso Lachete, vt ventū est in triuium, eadem qua cæteri, fugere noluit. Quibus quærentibus cur non eadē via pergeret: Deterreri se à deo dixit. Tum quidem vi, qui alia uia fugerant, in hostium equitatum incidērūt. Permulta coniecta sunt ab Antipatro, quæ mirabiliter à Socrate diuinata sunt, quæ prætermittam, tibi enim nota sunt, mihi ad cōmemorandū non necessaria. Illud tamen eius philosophi magnificum, ac penè diuinum, quod cum impys sententijs damnatus esset, æquissimo animo se dixit mori. Neq; enim domo egredienti, neq; illud suggestū, in quo causam dixerat, ascendenti, signum sibi ullum, quod consuesset, à deo, quasi mali alicuius impendentis, datum. Equidem sic arbitror: etiamsi multa fallant eos, qui aut arte, aut coniectura diuinare videantur, esse tamen diuinationem, homines autem, vt in cæteris artibus, sic in hac posse falli. Potest accidere, vt aliquod signum dubie datum, pro certo sit acceptum, potest aliquod latuisse, aut ipsum, aut quod esset illi contrarium. Mihi autem ad hoc, de quo disputo, probandum satis est, non modo plura, sed pauciora, diuinè præsensa, & prædicta reperiri. Quinetiam hoc non dubitans dixerim, si vnum aliquid ita sit prædictum, præsensumq;, vt cum euenerit, ita cadat, vt prædictum sit: neq; in eo quicquam casu, & fortuitò factū esse appareat, esse certe diuinationem, idq; esse omnibus confitendū. Quocirca primum mihi videtur, (vt Possidonius facit) à deo, de quo satis dictum est, deinde

à fato, deinde à natura, vis omnis diuinandi, ratioq; repetenda. Fieri igitur omnia fato, ratio cogit fateri. Fatum autem id appello, quod Græci εἱμαρμένην: id est, ordinem, seriem q; causarum, cũ causa causæ nexa rem ex se gignat. Ea est ex omni æternitate fluens veritas sempiterna. Quod cum ita sit, nihil est factum, quod non futurũ fuerit, eodemq; modo nihil est futurum, cuius non causas ipsum efficientes natura contineat. Ex quo intelligitur, vt fatum sit non id, quod superstitiosè, sed id quod physicè dicitur. Causa æterna rerum, cur & ea, quæ præterierunt facta sint, & quæ instant, fiant: & quæ sequuntur, futura sint. Ita fit, vt & obseruatione notari possit, quæres quamq; causam plerumq; consequatur, etiã si non semper. nam id quidẽ difficile est affirmare, easdemq; causas verisimiles rerum futurarum cerni ab ijs, qui aut per furorem eas, aut in quiete videant. Præterea cum fato omnia fiant (id quod alio loco ostendetur) si quis modo talis possit esse, qui colligationẽ causarum omnium perspiciat animo, nihil eũ profectò fallet. Qui enim teneat causas rerum futurarum, idem necesse est omnia teneat, quæ futura sint. Quod cum facere nemo nisi deus possit, relinquendũ est homini, vt signis quibusdam, consequentia declarantibus, futura præsentiat. Non enim illa, quæ futura sunt, subito existunt, sed est quasi rudentis explicatio, sic traductio temporis nihil noui efficientis, & primum quidq; replicantis. Quod & hi vident quibus naturalis diuinatio data est, & hi, quibus cursus rerũ obseruando notatus est. qui etsi causas ipsas nõ cernunt, signa tamen causarum, & notas cernunt, ad quas, adhibita memoria, & diligentia, ex

tia, ex monumentis superiorum efficitur ea diuinatio, quæ artificiosa dicitur, extorum, fulgurum, ostentorum, signorumq; cœlestium. Non est igitur, vt mirandum sit, ea præsentiri à diuinantibus, quæ nusquam sint. Sunt enim omnia, sed tempore absunt. Atq; vt in seminibus vis inest earum rerum, quæ ex his progignuntur, sic in causis conditæ sunt res futuræ, quas esse futuras, aut concitata mens, aut soluta somno, cernit, aut ratio, aut coniectura præsentit. Atq; vt hi, qui solis & lunæ, reliquorumq; syderum ortus, obitus, motusq; cognouerunt, quo quicq; tempore eorum futurum sit, multo ante prædicunt, sic qui cursum rerum, euentorumq; consequentiã, diuturnitate pertractata notauerũt, aut semper, aut, (si id difficile est) plerunq;, quod si ne id quidẽ conceditur, nonnunquam certe quid futurum sit intelligunt. Atque hæc quidẽ, & quædam huiusmodi, cur sit diuinatio, ducuntur à fato. A natura autem alia quædãratio est: quæ docet quãta sit animi vis seiuncta à corporis sensibus, quod maximè cõtingit, aut dormientibus, aut mente permotus. Vt enim deorum animi sine oculis, sine auribus, sine lingua sentiunt inter se, quid quisq; sentiat, ex quo fit, vt homines etiam, cum taciti optent aliquid, aut voueant, haud dubitent, quin diy illud exaudiant: sic animi hominum, cum aut somno soluti vacant corpore, aut mente permoti per se ipsi liberi incitati mouentur, cernunt ea, quæ permisti cum corpore animi videre nõ possunt. Atq; hanc quidem rationem naturæ difficile est fortasse traducere ad id genus diuinationis, quod ex arte profectum dicimus: sed tamen id quoq; rimatur quantum potest. Possidonius esse

censet in natura signa quædã rerum futurarũ. Vt enim Caos accepimus ortum caniculæ diligenter quotannis solere seruare, coniecturam q3 capere, vt scribit Ponticus Heraclides, salubris ne, an pestilens annus futurus sit. Nam si obscurior quasi caliginosa stella extiterit, pingue & concretũ esse cœlũ, vt eius aspiratio grauis, & pestilens futura sit, sin illustris, & perlucida stella apparuit, significari cœlum esse tenue, purum q3, & propterea salubre. Democritus autem censet sapienter instituisse veteres, vt hostiarum immolatarum inspicerentur exta, quorum ex habitu, atq3 colore, tum salubritatis, tum pestilentiæ signa percipi, nonnunquam etiam quæ sit vel sterilitas agrorum, vel fertilitas futura. Quæ si à natura profecta, obseruatio, atq3 vsus agnouit, multa afferre potuit dies, quæ animaduertendo notarentur: vt ille Pacuuianus, qui in Chryse physicus inducitur, minime naturam rerum cognoscere videatur.

Nam istis, qui linguam auium intelligunt:
Plus q3 ex alieno iecore sapiunt quàm ex suo:
Magis audiendum, quam auscultandum censeo.

Cur quæso? cum ipse, paucis interpositis versibus, dicat satis luculente:

Quicquid est hoc, omnia animat, format, alit, auget, creat:
Sepelit, recipitq3 in sese omnia, omniumq3 idẽ est pater:
Indidemq3 eadem quæ oriuntur, de integro, atq3 eodem occidunt.
Quid est igitur, cur, cum domus sit omnium vna, eaq3 communis, cumq3 animi hominũ semper fuerint, futuriq3 sint, cur iy, quid ex quoq3 eueniat, & quid quamq3 rem significet, perspicere non possunt?

Hæc

Hæc habui, inquit, de diuinatione quæ dicerē nūc illa refellabor, non me sortilegos, neq; eos, qui quæstus causa hariolentur: nec psichomantiam quidem, quibus Appius amicus tuus uti solebat, agnoscere. non habeo denique nauci Marsum augurem,

Non vicanos aruspices, non de circo astrologos,
Non Isiacos coniectores, non interpretes somnium.
Non enim sunt ij aut scientia, aut arte diuini:
Sed superstitiosi vates, impudentes q; harioli:
Aut inertes, aut insani, aut quibus egestas imperat:
Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam:
Quibus diuitias pollicentur, ab his drachmā ipsi petunt.
De his diuitijs sibi deducant drachmam, reddant cætera.

Atq; hæc quidem Ennius: qui paucis ante versibus esse deos censet, sed eos non curare opinatur, quid agat humanum genus. Ego autem, qui & curare arbitror, & monere etiam, ac multa prædicere, leuitate, vanitate, malitia, exclusa, diuinationem probo.

Quæ cum dixisset Quintus, præclarè tu quidem, inquam, paratus.

Desunt pauca quædam.

M. T. CICERONIS DE DIVINATIONE LIBER SECVNDVS.

Q Værenti mihi, multumq; & diu cogitãti, quanã re posse prodesse quàm plurimis, ne quãdo intermitterẽ cõsulere Rei pub. nulla maior occurrebat, quàm si optimarũ artium vias traderẽ meis ciuibus, quod compluribus iam libris me arbitror consecutum. Nam & cohortati sumus, vt maximè potuimus, ad philosophiæ studium eo libro, qui est inscriptus Hortensius: & quod genus philosophandi minime arrogans, maximeq; & constans, & elegans arbitraremur, quatuor Academicis libris ostendimus. Cumq; fundamentum esset philosophiæ positum in finibus bonorũ & malorum, perpurgatus est is locus à nobis quinq; libris, vt quid à quoq;, & quid contra quemq; philosophũ diceretur, intelligi posset. Totidem subsecuti libri Tusculanarum disputationũ, res ad beate viuendum maximè necessarias aperuerunt. Primus enim est, de contemnenda morte, secundus, de tolerando dolore: de ægritudine lenienda, tertius, quartus, de reliquis animi perturbationibus, quintus eũ locũ complexus est, qui totam philosophiam maxime illustrat. Docet enim ad beate viuendum, virtutem sc ipsa esse contentam. Quibus rebus editis, tres libri perfecti sunt de natura deorum, in quibus omnis eius loci quæstio continetur. Quæ vt plenè esset, cumulateq; perfecta, de diuinatione ingressi

sumus

sumus his libris scribere. quibus (vt est in animo) de fato si adiunxerimus, erit abūde satisfactum toti huic quæstioni. Atq; his libris annumerandi sunt sex de Repub. quos tunc scripsimus, cū gubernacula Reip. tenebamus, magnus locus, philosophiæq; proprius: à Platone, Aristotele, Theophrasto, totaq; Peripateticorum familia tractatus vberrime. Nam quid ego de consolatione dicam? quæ mihi quidem ipsi, sane aliquantum medetur: cæteris item multum profuturam puto. Interiectus etiā est nuper is, quem ad nostrū Atticum de senectute misimus. Inprimisq; quoniam philosophia vir bonus efficitur, & fortis: Cato noster in horum librorum numero ponendus est. Cumq; Aristoteles, itemq; Theophrastus, excellentes viri cum subtilitate, tum copia, cū philosophia dicendi etiam præcepta coniunxerint, nostri quoque oratorij libri in eundē librorum numerum referendi videntur. Ita tres erunt de Oratore, quartus Brutus, quintus Orator. Adhuc hæc erant. ad reliqua alacri tendebamus animo, sic parati, vt, nisi quæ causa grauior obstitisset, nullū philosophiæ locum esse pateremur, q nō Latinis literis illustratus pateret. Quod enim munus Reip. afferre maius, meliusue possumus, quàm si docemus, atq; erudimus iuuentutē? his præsertim moribus, atq; temporibus, quibus ita prolapsa est: vt omniū opibus refrenanda, atq; coërcenda sit. Nec vero id effici posse cōfido: quod ne postulandū quidē est, vt omnes adolescentes se ad hæc studia conuertant, pauci vtinam, quorum tamen in Reip. latè patere poterit industria. Equidem ex his etiam fructum capio laboris mei, qui iam ætate profecti in nostris libris acquiescunt, quorum stu-

dio legendi meum scribendi studiũ vehementius indies incitatur, quos quidem plures quam rebar esse, cognoui. Magnificum illud etiã, Romanisq; hominibus gloriosum, vt Græcis de philosophia literis nõ egeant: quod assequar profecto, si instituta perfecero. Ac mihi quidẽ explicandæ philosophiæ causam attulit grauis casus ciuitatis, cũ in armis ciuilibus nec tueri meo more Rempub. nec nihil agere poteram, nec, quid potius, (quod quidem me dignum esset) agerem, reperiebam. Dabunt igitur mihi veniã mei ciues, vel gratiã potius habebũt, quod cũ esset in vnius potestate Respublica: neq; ego me abdidi, neq; deserui, neq; afflixi, neq; ita gessi, quasi homini aut tẽporibus iratus: neq; ita porro, aut adulatus, aut admiratus fortunam sum alterius, vt me meæ pœniteret. Id enim ipsum à Platone, philosophiaq; didicerã, naturales esse conuersiones quasdã rerum publicarum, vt eæ tũ à principibus tenerentur, tũ à populis, aliquando à singulis. Quod cum accidisset nostræ Reipublicæ, tum pristinis orbati muneribus, hæc studia renouare cœpimus, vt & animus molestijs potissimum releuaretur, & prodesse mus ciuibus nostris qua re cunque possemus. In libris enim sententiam dicebamus, concionabamur, philosophiam nobis pro Reip. procuratione substitutam putabamus. Nunc, quoniã de Rep. consuli cœpti sumus: tribuenda est opera Reipub. vel omnis potius in ea cogitatio, & cura ponenda. Tantum huic studio relinquendum, quantum vacabit à publico officio & munere. sed hæc aliàs pluribus. Nunc ad institutam disputationem reuertamur. Nam cum de diuinatione Quintus frater ea disseruisset, quæ superiore libro

scripta

scripta sunt, satisq; ambulatum videretur: tum in bibliotheca, quæ in Lyceo est, assedimus. Atque ego. accurate tu quidē, inquam, Quinte & Stoice, Stoicorū sententiam defendisti: quodque me maxime delectat, plurimis nostris exemplis vsus es: & ijs quidem claris, & illustribus. dicendum est mihi igitur ad ea, quæ sunt à te dicta: sed ita, nihil vt affirmem, quæram omnia: dubitans plerunque, & mihi ipse diffidens. si enim aliquid certi haberem quod dicerem, ego ipse diuinarem: qui esse diuinationem nego. Etenim me mouet illud, quod in primis Carneades quærere solebat. quarum nam rerum diuinatio esset: earum ne, quæ sensibus perciperentur? at eas quidem cernimus, audimus, gustamus, olfacimus, tangimus. nunquid ergo in his rebus est? quæ prouisione, aut permotione mentis magis, quā natura ipsa sentiamus? aut nescio qui ille diuinus, si oculis captus sit, vt Tiresias fuit, possit quæ alba sint, quæ nigra dicere? aut si surdus sit, varietates vocum, aut modos noscere? Ad nullam igitur earum rerum, quæ sensu accipiuntur, diuinatio adhibetur. atqui ne in his quidem rebus, quæ arte tractantur, diuinatione opus est. Etenim ad ægros non vates, aut hariolos, sed medicos solemus adducere. nec vero, qui tibijs, aut fidibus vti volunt, ab aruspicibus accipiunt earum tractationem, sed à musicis. Eadem in literis ratio est, reliquisque rebus, quarum est disciplina. num censes eos qui diuinare dicūtur, posse respondere, sol maior ne, quàm terra sit, an tantus quantus videatur? Lunaque suo lumine, an solis vtatur? Sol, luna, quem motū habeat? quem quinque stellæ, quæ errare dicuntur? nec hæc,

qui

qui diuini habentur, profitentur se esse dicturos: nec eorũ, quæ in Geometria describuntur, quæ vera, quæ falsa sint. sunt enim ea mathematicorum, non hariolorum. de illis vero rebus, quæ in philosophia versantur, nunquid est quod quisquam diuinorum, aut respondere soleat, aut consuli, quid bonum sit, quid malum, quid neutrum? sunt enim hæc propria philosophorum. quid de officio? num quis aruspicẽ consuluit, quemadmodũ sit cum parentibus, cum fratribus, cum amicis, viuendum? quemadmodum vtendum pecunia? quemadmodum honore? quemadmodum imperio? ad sapientes hæc, non ad diuinos referri solent. quid quæ à Physicis, aut dialecticis tractantur: num quis eorum diuinare potest, vnúsne mundus sit, an plures? quæ sint initia rerum, ex quibus nascuntur omnia? Physicorum est ista prudentia. quo modo autem mentientem dissoluas, quem pseudomenon vocant? aut quemadmodum soriti resistas: quem si necesse sit Latino verbo, liceat acerualem appellare? sed nihil opus est. vt enim ipsa philosophia & multa verba Græcorum, sic sorites satis Latino sermone tritus est. ergo hæc quoque dialectici dicent, non diuini. quid? cum quæritur qui sit optimus Reip. status: quæ leges, qui mores, aut vtiles, aut inutiles: aruspices ne ex Etruria accersentur? an principes statuent, & delecti viri, periti rerum ciuilium? quod si nec earum rerum, quæ subiectæ sensibus sunt, vlla diuinatio est: nec earum, quæ artibus continentur: nec earum, quæ in philosophia disseruntur: nec earum, quæ in Repub. versantur: quarum rerum sit, nihil prorsus intelligo. nam aut omnium debet esse: aut aliqua ei

materia

materia danda est, in qua versari possit. sed nec omnium diuinatio est, vt ratio docuit: nec locus, nec materia inuenitur, cui diuinationem præficere possimus. vide igitur ne nulla sit diuinatio. est quidē Græcus in hanc sententiam versus.

Bene qui coniyciet, vatem hunc perhibebo optimum.

Nū igitur, aut quæ tempestas impendeat, vates melius coniyciet, quàm gubernator? aut morbi naturā acutius, quàm medicus? aut belli administrationē prudentius, quàm imperator, coniectura assequetur? Sed animad uerti Quinte, te caute, & ab ijs cōiecturis quæ haberent artem aut prudentiam, ab ijs rebus quæ sensibus aut artificijs perciperentur, abducere diuinationem: eamque ita definire, diuinationem esse earum rerum prædictionem, & præsensionem, quæ essent fortuitæ. Primum eodem reuolueris. nam & medici, & gubernatoris, & imperatoris præsensio est rerum fortuitarum. num igitur aut aruspex, aut augur, aut vates quis, aut somnians melius coniecerit, aut ex morbo euasurum ægrotum? ex periculo nauem? aut ex insidijs exercitum? quàm medicus, quàm gubernator, quàm imperator? Atqui ne illa quidem diuinantis esse dicebas: ventos, aut imbres impendentes quibusdam præsentire signis. in quo nostra quædam Aratea memoriter à te pronunciata sunt. Etsi hæc ipsa fortuita sunt: plerunq; enim, non semper eueniunt. quæ est igitur, aut vbi versatur fortuitarum rerum præsensio, quam diuinationem vocas? quæ enim præsentiri aut arte, aut ratione, aut vsu, aut cōiectura possunt: ea nō diuinis tribuēda putas, sed peritis. ita relinquitur, vt ea fortuita diuinari possint: quæ

nulla

nulla nec arte, nec sapientia prouideri possunt: vt, si quis M. Marcellum illum, qui ter consul fuit, multis annis antè dixisset naufragio esse periturum, diuinasset profectò. nulla enim arte alia nec sapientia id scire potuisset. talium ergo rerum, quæ in fortuna positæ sunt, præsensio, diuinatio est. potest ne igitur earum rerũ, quæ nihil habent rationis, quare futuræ sint, vlla esse præsensio? Quid est enim aliud fors? quid fortuna? quid casu? quid euentus? nisi cum sic aliquid cecidit, sic euenit, vt vel non cadere, atque euenire, vel aliter cadere, atq; euenire potuerit? quomodo ergo id, quod temere fit cæco casu, vel volubilitate fortunæ, præsentiri, & prædici potest? medicus morbum ingrauescentem ratione prouidet: insidias imperator, tempestates gubernator: & tamen hi ipsi sæpe falluntur, qui nihil sine certa ratione opinantur. vt agricola cum florem oleæ videt, baccam quoque se visurum putat. non sine ratione ille quidem: sed nonnunquam tamen fallitur. quod si falluntur ij, qui nihil sine aliqua probabili coniectura, ac ratione dicunt, quid existimandum est de coniectura eorum, qui extis, aut auibus, aut ostentis, aut oraculis, aut somnijs futura præsentiunt? Nondum dico, quàm hæc signa nulla sint: fissum iecoris, corui cantus, volatus aquilæ, stellæ trajectio, voces furentium, sortes, somnia: de quibus singulis dicam suo loco, nunc de vniuersis, qui potest prouideri, quicquam futurum esse? quod neq; causam habet vllam, neq; notam cur futurum sit? Solis defectiones, item quę lunæ, prædicuntur in multos annos ab his, qui syderum cursus, & motus numeris persequuntur. ea enim prædicunt quæ

natura

naturæ necessitas perfectura est. vident ex constantissimo motu lunæ, quando illa è regione solis facta incurrit in vmbram terræ, quæ est meta noctis, vt eam obscurari necesse sit: quandoq; eadem luna subiecta soli, atque opposita nostris oculis, eius lumen obscuret: quoin signo quæq; errantium stellarum, quoq; tempore futura sit: qui exortus quoq; die signi alicuius, aut qui occasus futurus sit. hæc qui ante dicunt, quam rationem sequantur vides. qui thesaurum inuenturum, aut hæreditatem venturam dicunt, quid sequũtur? aut in qua rerum natura inest, id futurum? quod si ea, quæ sunt eiusdem generis, habent aliquam talem necessitatem: quid est tandem, quod casu fieri, aut forte fortuna putemus? nihil enim est tam contrarium rationi, & constantiæ, quàm fortunæ: vt mihi, ne in deum quidem cadere videatur, vt sciat, quid casu, & fortuitò futurum sit. si enim scit, certe illud eueniet. sin certe eueniet, nulla fortuna est. est autẽ fortuna: rerum igitur fortuitarum nulla est præsensio. aut si negas esse fortunam, & omnia quæ fiunt, quæq; futura sunt, ex omni æternitate definita dicis esse fataliter: muta definitionẽ diuinationis, quam dicebas præsensionem esse rerum fortuitarum. si enim nihil fieri potest, nihil accidere, nihil euenire, nisi quod ab omni æternitate certum fuerit esse futurum rato tempore, quæ potest esse fortuna? qua sublata, qui locus est diuinationi? quæ à te fortuitarum rerum est dicta præsensio. quanquam dicebas, omnia quæ fierent, futuráne essent, fato contineri. anile sanè, & plenum superstitionis fati nomen ipsum. sed tamen apud Stoicos de isto fato multa dicuntur, de quo

alias:

alias: nunc quod necesse est. Si omnia fato, quid mihi diuinatio prodest? quod enim is, qui diuinat prædicit: id verò futurum est. vt ne illud quidẽ sciã, quale sit, quod Deiotarum familiarem nostrum, ex itinere aquila reuocauit. qui nisi reuertisset, in eo conclaui ei cubandum fuisset: quod proxima nocte corruit. ruina igitur oppressus esset. at id, neq; si fatum fuerat, effugisset: nec si non fuerat, in eum casum incidisset. quid ergo adiuuat diuinatio? aut quid est, quod me moueant aut sortes, aut exta, aut vlla prædictio? si enim fatum fuit, classes populi Romani bello Punico primo, alteram naufragio, alterã à Pœnis depressam interire: etiam si tripudium solistimum pulli fecissent L. Iunio, & P. Clodio consu. classes tamen interissent. sin cum auspicijs obtemperatũ esset: interituræ classes non fuerunt, nõ interierunt fato: vultis autẽ omnia fato: nulla est igitur diuinatio. quod si fatum fuit, bello Punico secundo exercitum populi Romani ad lacum Thrasimenũ interire: num id mutari potuit, si Flaminius consul his signis, hisque auspicijs, quibus pugnare prohibebatur, paruisset? certe potuit. aut igitur non fato interijt exercitus: mutari enim fata non possunt: aut si fato, quod certe vobis dicendum est: etiam si obtemperasset auspicijs, idem euenturum fuisset. vbi est igitur diuinatio ista Stoicorum? quæ, si fato omnia fiunt: nihil nos admonere potest, vt cautiores simus. quoquo enim modo nos gesserimus: fiet tamen illud quod futurum est. sin autem id potest flecti, nullum est fatum. ita ne diuinatio quidem: quoniam ea rerum futurarum est. nihil autem est pro certo futurum, quod potest aliqua procuratione accidere ne fiat. Atque ego

ne vtilem

ne vtilem quidem arbitror esse nobis futurarum rerum scientiam. quæ enim vita fuisset Priamo, si ab adolescentia scisset, quos euentus senectutis esset habiturus? abeamus à fabulis, propiora videamus. clarissimorum hominum nostræ ciuitatis grauissimos exitus in consolatione collegimus. quid igitur? vt omittamus superiores. M. ne Crasso putas vtile fuisse, tum, cum maximis opibus, fortunisq; florebat, scire, sibi, interfecto P. filio, exercituq; deleto, trans Euphratem cum ignominia, & dedecore esse pereundum? an Cn. Pompeium censes tribus suis consulatibus, tribus triumphis, maximarum rerum gloria, lætaturum fuisse, si scisset se in solitudine Aegyptiorum trucidatum iri, amisso exercitu? post mortem vero ea consecutura: quæ sine lachrymis non possumus dicere? Quid vero Cæsarem putamus? si diuinasset, fore vt in eo senatu, quem maiore ex parte ipse coopta sset, in curia Pompeiana, ante ipsius Pompeij simulachrũ, tot centurionibus suis inspectantibus, à nobilissimis ciuibus, partim etiam à se omnibus rebus ornatis, trucidatus ita iaceret: vt ad eius corpus non modo amicorum, sed ne seruorum quidem quisquam accedere: quo cruciatu animi vitam acturum fuisse? certe igitur ignoratio futurorum malorum, vtilior est, quàm scientia. Nam illud quidem dici, præsertim à Stoicis, nullo modo potest: non isset ad arma Pompeius, non transisset Crassus Euphratem: non suscepisset bellum ciuile Cæsar. non igitur fatales exitus habuerunt. vltis autem euenire omnia fato. nihil ergo profuisset illis diuinare. atq; etiam omnem fructum vitæ superioris perdidissent. quid enim posset his esse lætum, exitus suos

cogitantibus? ita, quoquo se verterint Stoici, iacet. necesse est omnis eorum sollertia. si enim id, quod euenturum est, vel hoc, vel illo modo potest euenire: fortuna valet plurimum. quæ autem fortuita sunt, certa esse non possunt. sin autem certum est, quid quaq; dere, quoq; tempore futurum sit: quid est quod me adiuuent aruspices, cum res tristissimas portendi dixerint? Addunt ad extremum, omnia leuius casura, rebus diuinis procuratis. si enim nihil sit extra fatum: nihil leuari deo diuina potest. hoc sentit Homerus: cum querentem Iouem inducit, quòd Sarpedonem filium à morte contra fatum eripere nō posset. hoc idem significat Græcus ille in eam sententiam versus.

Quòd fore paratum est, id summum exuperat Iouem.

totum omnino fatum, etiam Atellanio versu iure mihi esse irrisum videtur. sed in rebus tam seueris, nō est iocandi locus. cōcludatur ergo ratio. Si enim prouideri nihil potest futurū esse eorū, quæ casu fiunt: quia esse certa non possunt: diuinatio nulla est. sin autē iccirco possunt prouideri: quia certa sunt & fatalia, rursus diuinatio nulla est. eā enim tu fortuitarum rerū esse dicebas. Sed hæc fuerit nobis tanquam leuis armaturæ prima orationis excursio. nunc cominus agamus. experiamur itaq; si possumus, cornua cōmouere disputationis tuæ. duo enim genera diuinandi esse dicebas: vnū artificiosum: alterū naturale. artificiosum constare, partim ex coniectura: partim ex obseruatione diuturna. naturale, quod animus arriperet, aut exciperet extrinsecus ex diuinitate: vnde omnes animos haustos, aut acceptos, aut libatos haberemus. artificiosæ diuinationis illa fere genera

nera ponebas extispicum, eorumq; qui ex fulguribus, o-
stentisq; prædicerent: tum augurũ, eorumq; qui signis,
aut omnibus uterentur: omneq; genus coniecturale in
hoc ferè genere ponebas. illud autem naturale, aut con-
citatione mentis edi, & quasi fundi videbatur: aut ani-
mo, per somnũ sensibus, & curis uacuo, prouideri. duxi
sti autem diuinationem omnem à tribus rebus: à deo, à
fato, à natura. sed tamen cũ explicare nihil posses: pug-
nasti commentitiorum exemplorum mirifica copia. de
quo primo hoc libet dicere. hoc ego philosophi non esse
arbitror, testibus uti: qui aut casu ueri, aut malitia
falsi, fictiq; esse possunt. argumentis & rationibus opor-
tet, quare quicq; ita sit docere, nõ euentis: his præsertim,
quibus mihi liceat non credere. ut ordiar ab aruspi-
cina: quam ego Reipub. causa, communisq; religionis
colendam censeo. sed soli sumus: licet uerum exquirere
sine inuidia: mihi præsertim de plerisq; dubitanti: in-
spiciamus si placet exta primum. Persuaderi igitur
cuiquam potest? ea quæ significari dicuntur extis, cog-
nita esse ab aruspicibus obseruatione diuturna? &
quàm diuturna ista fuit? aut quàm longinquo tempore
obseruari potuit? aut quo modo est collata inter ipsos,
quæ pars inimici, quæ pars familiaris esset? quod si sum,
periculũ, quod commodum aliquod ostenderet? an
hæc inter se aruspices Etrusci, Elij, Ægyptij, Pœni,
contulerunt? at id, præterquam quod fieri non potuit:
ne fingi quidẽ potest. alios enim alio more uidemus exta
interpretari: nec esse una omniũ disciplinam. Et certe si
est in extis aliqua uis, quæ declaret futura: necesse est eã
aut cum rerum natura esse coniunctam: aut confor-

mari quodammodo numini deorum. atqui diuinæ rerum natura tanta, tamq; præclara, in omnes partes, motusq; diffusa, quid habere potest commune? non dicam gallinaceum fel: sunt enim, qui vel argutissima haec exta esse dicant: sed tauri opimi iecur, aut cor, aut pulmo, quid habet naturale? quod declarare possit quid futurum sit? Democritus tamen non inscitè negatur vt physicus, quo genere nihil arrogantius.

Quod est ante pedes, nemo spectat: cœli scrutantur plagas.

verum is tamen habitu extorū, & colore declarari censet, hoc duntaxat: pabuli genus, & earū rerum, quas terra procreet, vel vbertatem, vel tenuitatem: salubritatem etiam, aut pestilentiam extis significari putat. O mortalem beatum, cui certò scio ludum nunquam defuisse. huccine hominem tantis delectatum esse nugis, vt non videret, tum futurum id verisimile, si omnium pecudū exta eodem tempore, in eundem habitū se, coloremq; conuerterent? sed si eadem hora aliæ pecudis iecur nitidum, atq; plenum est: aliæ horridum & exile: quid est, quod declarari possit habitu extorū, & colore? an hoc eiusdem modi est, quale Pherecydeū illud, quod est à te dictum? qui cum aquam vidisset ex puteo haustam, terræmotum dixit futurum. parū, credo impudenter, quod cum factus esset motus, dicere audent, quæ vis id effecerit. etiam ne futurum esse aquæ iugis colore præsentiunt? multa istiusmodi dicuntur in scholis: sed credere omnia vide ne nō sit necesse. verum sint sane ista Democritea vera: quando ea nos extis exquirimus? aut quando aliquid eiusmodi ab aruspice inspectis

ce inſpectis extis audiuimus? ab aqua, aut ab igni pericula monent, tũ hæreditates, tũ damna denunciant: fiſſum familiare, & vitale tractant caput iecoris ex omni parte diligentiſſime conſiderant. ſi verò id non eſt inuentũ: nihil putant accidere potuiſſe triſtius: hæc obſeruari certe non potuerunt, vt ſupra docui. ſunt igitur artis inuenta, non vetuſtatis: ſi eſt ars vlla rerum incognitarum. Cum rerum autem natura quam cognationem habent? quæ vt vno conſenſu iuncta ſit, & cõtinens: quod video phyſicis placuiſſe: eiſq; maximè, qui omne, quod eſſet, vnũ eſſe dixerunt: quid habere mundus poteſt, cum theſauri inuentione coniunctum? Si enim extis pecuniæ mihi amplificatio oſtenditur, idq; fit natura: primùm exta ſunt coniuncta mundo: deinde meum lucrum natura rerum continetur. nónne pudet phyſicos hæc dicere? vt enim iam ſit aliqua in natura rerum cognatio, quam eſſe concedo: multa autem Stoici colligunt. nam & muſculorum iecuſcula brũma dicuntur augeri: & puleiũ aridũ floreſcere ipſo brumali die: & inflatas rumpi veſiculas: & ſemina malorum, quæ in his medijs incluſa ſint, in contrarias partes ſe vertere. iam neruos in fidibus alijs pulſis reſonare alios: oſtreisq; & conchylijs omnibus contingere: vt cùm Luna creſcant pariter, pariterq; decreſcant: arboresq; vt hyemali tempore, cum luna ſimul ſeneſcentes, quia tum exiccatæ ſint, tempeſtiue cædi putentur. quid de fretis, aut de marinis æſtibus plura dicam? quorum acceſſus & receſſus lunæ motu gubernantur. ſexcenta licet eiuſmodi proferri: vt diſtantium rerum cognatio naturalis appa-

rear. demus hoc: nihil enim huic disputationi aduersatur. nũ etiam, si fissum cuiusdam modi fierit in iecore, lucrum ostenditur? qua ex cognatione naturæ, & quasi concentu, atq; consensu, quam sympathiam Græci appellant: conuenire potest aut fissum iecoris cũ lucello meo? aut meus quæsticulus cum cœlo, terra, rerumq; natura? Concedam hoc ipsum si vis: etsi magnam iacturam causæ fecero: si vllam esse conuenientiam naturæ cũ extis concessero. sed tamen eo concesso, qui euenit, vt is, qui impetrare velit, conuenientem hostiam rebus suis immolet? hoc erat quod ego non rebar posse dissolui. at quàm festiuè dissoluitur. pudet me non tui quidem, cuius etiam memoriam admiror: sed Chrysippi, Antipatri, Possidonij: qui idem istuc quidem dicunt, quod est dictũ à te. ad hostiam deligendam ducem esse vim quandam sentientem atq; diuinam, quæ toto confusa mundo sit. Illud verò multo etiam melius, quod & à te vsurpatũ est: & dicitur ab illis: cum immolare quispiam velit: tũ fieri extorum mutationem, vt aut absit aliquid, aut supersit. deorũ enim numini parere omnia. hæc mihi iam crede, ne aniculæ quidẽ existimant. an censes eundem vitulũ, si alius delegerit: sine capite iecur inuenturum? si alius, cũ capite? hæc decessio capitis, aut accessio, subitóne fieri potest? vt se exta ad immolantis fortunam accommodent? non perspicitis aliam quandam ineſſe vim hostijs deligendis: præsertim cũ res ipsa doceat. cum enim tristissima exta sine capite fuerũt, quibus nihil videtur esse dirius: proxima hostia litatur sæpe pulcherrime. vbi igitur illa minæ superiorum extorum? aut quæ tam subita facta est deorum

rum tanta placatio? Sed affers in tauri opimi extis, immolante Cæsare, cor non fuisse. id quia non potuerit accidere: vt sine corde victima illa viueret: iudicandũ esse tum interisse cor, cũ immolaretur. qui fit vt alterũ intelligas, sine corde non potuisse bouem viuere? alterũ nõ videas, cor subito non potuisse nescio quo auolare? ego enim possum vel nescire, quæ vis sit cordis ad viuendũ: vel suspicari contactum aliquo morbo, bouis, exile, & exiguum, & vietum cor, & dissimile cordis fuisse. tu vero quid habes, quare putes, si paulo ante fuerit cor in tauro opimo: subito id in ipsa immolatione interisse? an, quod aspexit vestitus purpureo excordem Cæsarem: ipse corde priuatus est? vrbẽ philosophiæ, mihi crede, prodidit, dum castella defenditis. nam dum aruspicinam veram esse vultis, physiologiam totam peruertitis. caput est in iecore, cor in extis. iam abscedet, simul ac molam, & vinum insperseris. deus id eripiet, vis aliqua conficiet, aut exedet. non ergo omnium interitus atq; obitus natura conficiet: & erit aliquid quod aut ex nihilo oriatur: aut in nihilum subito occidat. quis hoc Physicus dixit vnquam? aruspices dicunt. his igitur quam Physicis potius credendũ existimas? quid cũ pluribus dys immolatur: qui tandem euenit, vt litetur alijs, alys non litetur? quæ autem inconstantia deorum est? vt primis minentur extis? benè promittant secundis? aut tanta inter eos dissensio, sæpe etiam inter proximos, vt Apollinis exta bona sint, Dianæ non bona? quid est tam perspicuum: quam cum fortuitò hostiæ adducantur: talia cuiq; exta esse, qualis cuiq; obtigerit hostia? At enim id ipsum habet aliquid di-

nini: quæ cuiq; hostia obtingat: tanquam in sortibus quæ cui ducatur. mox de sortibus. quanquam tu quidem non hostiarũ casum confirmas sortium similitudine: sed infirmas sortes collatione hostiarũ. an cũ in Æquimeliũ misimus qui afferat agnum, quem immolemus: is mihi agnus affertur, qui habet extra rebus accommodata? & ad eum agnum non casu, sed duce deo seruus deducitur? nam si casum in eo quoq; dicis esse, quasi sortem quandam cum deorum voluntate coniunctam: doleo tantam Stoicos nostros Epicureis irridendi sui facultatem dedisse. non enim ignoras quam ista derideant. & quidem illi facilius facere possunt. deos enim ipsos iocandi causa induxit Epicurus perlucidos, & perflabiles, & habitantes tanquam inter duos lucos, sic inter duos mundos propter metum ruinarũ: eosque habere putat eadem membra, quæ nos: nec vllum vsum habere membrorum. Ergo is circuitione quadam deos tollens, recte non dubitat diuinationem tollere. sed nõ, vt hic sibi constat, item Stoici. illius enim deus nihil habens nec sui, nec alieni negotij, nõ potest hominibus diuinationem impertire. vester autẽ deus potest nõ impertire, vt nihilominus mundũ regat, & hominibus consulat. cur igitur vos inducitis in eas captiones, quas nunquam explicetis? ita enim, cum magis properant, concludere solent. si dy sunt, est diuinatio: sunt autem dy: est ergo diuinatio. multo est probabilius: non est autem diuinatio: non sunt ergo dy. vide, quàm temere cõmittant: vt, si nulla sit diuinatio: nulli sint dy. diuinatio. n. perspicue tollitur: deos esse, retinendum est. Atq; hac extispicũ diuinatione sublata, omnis auspici

na subla-

na sublata est. ostenta enim sequuntur, & fulgura: valet autẽ in fulguribus obseruatio diuturna: in ostentis, ratio, plerunque coniectura adhibetur. Quid est igitur quod obseruatum sit in fulgure? cœlum in XVI partes diuiserunt Etrusci. facile id quidẽ fuit, quatuor, quas nos habemus, duplicare: post idem iterum facere: vt ex eo dicerent fulmen qua ex parte venisset. primùm id quid interest? deinde quid significat? nonne perspicuũ est, ex prima admiratione hominum, quod tonitrua, iactusq; fulminum extimuissent: credidisse ea efficere rerum omnium præpotentem Iouem? itaque in nostris commentarijs scriptum habemus, Ioue tonante, fulgurante, comitia populi habere nefas. hoc fortasse Reipub. causa constitutum est. comitiorum enim non habendorum causas esse voluerunt. itaque comitiorum solum vitium est fulmen: quod idem omnibus rebus optimum auspicium habemus, si sinistrum fuerit. sed de auspicijs alio loco. nũc de fulguribus. quid igitur minus à physicis dici debet: quàm quicquam certi significari rebus incertis? non enim te puto esse eum, qui Ioui fulmen fabricatos esse Cyclopas in Ætna putes. nã esset mirabile quo modo Iupiter toties iaceret, cùm vnum haberet. nec vero fulminibus homines quid aut faciendum esset, aut cauendum, moneret. Placet enim Stoicis, eos anhelitus terræ, qui frigidi sint, cum fluere cœperint, ventos esse. cum autem sc in nubem induerint: eiusq; tenuissimam quanq; partẽ cœperint diuidere, atq; disrumpere: idq; crebrius facere, & vehementius: tum & fulgores, & tonitrua existere. si autem nubium conflictu ardor expressius se emiserit, id esse fulmen. quod igitur

vi naturæ, nulla costantia, nullo rato tempore videmus effici: ex eo significationem rerum cõsequentium quærimus? scilicet, si ista Iupiter significaret: tam multa frustra fulmina emitteret. quid enim proficit: cum in medium mare fulmen iacit? quid cum in altissimos montes? quod plerunq; fit. quid cum in desertas solitudines? quid, cum in earum gentium oras, in quibus hæc ne obseruantur quidem? At inuentum est caput in Tyberi. quasi ego artem aliquam istorum esse negem. diuinationem nego. cœli enim distributio, quam ante dixi, & certarum rerum notatio docet, vnde fulmen venerit, quò concesserit: quid significet autem, nulla ratio docet. Sed vrges me meis versibus.

Nam pater altitonans stellanti nixus Olympo,
Ipse suos quondam tumulos, ac templa petiuit:
Et Capitolinis iniecit sedibus ignes.

Tum statua Nattæ, tum simulachra deorũ, Romulusque, & Remus cum altrice belua, vi fulminis icti conciderunt: deq; his rebus aruspicũ extiterunt responsa verissima. mirabile autẽ illud: quod eo ipso tẽpore, quo fieret iudiciũ coniurationis in senatu, signum Iouis biennio post, quã erat locatũ in Capitolio collocabatur. tu igitur animũ induces, (sic enim mecum agebas) causam istã, & contra facta tua, & cõtra scripta defendere? frater es. eò vereor. verũ quid tibi hic tandem nocet? res ne quæ talis est: an ego qui verũ explicari volo? itaq; nihil contradico. à te rationẽ totius aruspicinæ peto. sed te mirificã in latebrã coniecisti. Quod enim intelligeres, fore, vt premerẽ te: cũ ex te causam vniuscuiusq; diuinationis exquirerem: multa verba feceris, te, cum res videres,

rationem

rationem, causam q̃, non quærere, quid fieret, non cur fieret, ad rem pertinere. quasi ego aut fieri concederem, aut esset philosophi, causam, cur quicque fieret, nõ quærere. Et eo quidem loco & prognostica nostra pronuntiabas & genera herbarũ, Scammoneam, Aristolochiamque radicem, quarum causam ignorares, vim & affectum videres. dissimile totum. Nam & prognosticorum causas persecuti sunt & Boethus Stoicus, qui est à te nominatus, & noster etiam Possidonius. & si causæ non reperiantur istarum rerum, res tamen ipsæ obseruari animaduertiq̃ potuerunt. Nattæ verò statua, aut ara legum de cœlo tacta, quid habent obseruatum, ac vetustum? Pinnarij Nattæ nobiles, à nobilitate igitur periculum. hoc tam callide Iupiter cogitauit. Romulus lactens fulmine ictus. vrbi igitur periculum ostenditur, ei, quam ille condidit. Quàm scite per notas nos certiores facit Iupiter? At eodem tempore signum Iouis collocabatur, quo coniuratio indicabatur. Et tu scilicet mauis, numine deorum id factum, quam casu arbitrari? & redemptor, qui columnam illam de Cotta, & de Torquato conduxerat faciendam, non inertia, aut inopia tardior fuit, sed à dijs immortalibus ad istam horam seruatus est. Non equidem planè despero ista esse vera: sed nescio: & discere à te volo. Nam cum mihi quædam casu viderentur sic euenire: vt prædicta essent à diuinantibus, dixisti multa de casu, vt, Venerium iaci posse casu, quatuor talis iactis: quadringentis, centum Venerios non posse casu consistere. Primum nescio, cur non possint. sed non pugno. abundas enim similibus. Habes & respersionem pigmentorum,

torum, & rostrum suis, & alia permulta. idem Carneadem fingere dicis de capite Panisci. quasi non potuerit id euenire casu: & non in omni marmore necesse sit in esse vel Praxitelia capita. illa enim ipsa efficiuntur detractione, nec quicquam illuc affertur à Praxitele: sed cum multa sunt detracta: & ad liniamenta oris peruentum est, tum intelligas, illud, quod iam expolitum sit, intus fuisse. potest igitur tale aliquid etiam sua sponte in lapicidinis Chiorum extitisse. sed sit hoc fictum: quid in nubibus? nunquam animaduertisti Leonis formam aut Hyppocentauri? potest igitur, quod modò negabas, veritatem casus imitari: Sed quoniam de extis & fulguribus satis est disputatum, ostentare stant: vt tota aruspicina sit pertractata. Mulæ partus prolatus est à te res mirabilis, propterea quia non sæpe fit: sed si fieri non potuisset: facta non esset. Atque hoc contra omnia ostenta valeat, nunquam, quod fieri non potuerit, esse factum: sin potuerit, non esse mirandum. causarum enim ignoratio in re noua miratio-nem facit: eadem ignoratio si in rebus vsitatis est: non miramur. nam qui mulam peperisse miratur: is, quo modo equa pariat, aut omnino quæ natura partum animantis faciat, ignorat: sed, quod crebro videt, non miratur: etiam si, cur fiat, nescit: quod autem non vidit: id si euenerit ostentum esse censet. vtrum igitur, cum concepit mula, an cum peperit, ostentum est: cõceptio contra naturã fortasse: sed partus propè necessarius. Sed quid plura? ortum videamus aruspicinæ: sic facillime, quid habeat authoritatis, iudicabis. Tages quidam dicitur in agro Tarquiniensi, cũ terra araretur: et

sulcus

sulcus altius esset impressus: exiisse repente, & eum affatus esse, qui arabat. is autem Tages, vt in libris est Ethruscorum, puerili specie dicitur visus, sed senili fuisse prudentia. eius aspectu cum obstupuisset bubulcus, clamoremq; maiorem cum admiratione edidisset: concursum esse factum: totamq; breui tempore in eum locum Ethruriam conuenisse. tum illum plura locutum multis audientibus: qui omnia eius verba exceperint: literisque mandauerint. omnem autem orationem fuisse eā: qua aruspicinæ disciplina contineretur. eam postea creuisse rebus nouis cognoscendis, & ad eadem illa principia referendis. Hæc accepimus ab ipsis: hæc scripta conseruant: hunc fontem habent disciplinæ. num ergo opus est ad hæc refellenda Carneade? num Epicuro? est ne quisquam ita desipiens, qui credat exaratum esse, deū dicam, an hominem? Si deum: cur se contra naturam in terram abdiderit, vt patefactus aratro lucem aspiceret? quid? idem nonne poterat deus hominibus disciplinam superiore ex loco tradere? si autem homo ille Tages fuit: quonam modo potuit terra oppressus viuere? vnde porro illa potuit. quæ docebat alios, ipse didicisse? sed ego insipientior, quam illi ipsi, qui ista credunt: qui quidem contra eos tam diu disputem. Vetus autem illud Catonis admodum scitum est: qui mirari se aiebat: quod non rideret aruspex, aruspicem cum vidisset. quota enim quæque res euenit prædicta ab istis: aut, si euenit quippiam: quid afferri potest cur non casu id euenerit? Rex Prusias, cum Annibali apud eū exulanti pugnare placeret: negabat se audere: quod extra prohibiterent. an tu, inquit, caruncula vitulinæ manus,

quam

quàm imperatori veteri credere? quid? ipse Cæsar, cum à summo aruspice moneretur, ne in Africam ante brumam transmitteret: nonne transmisit? quod nisi cisset: vnum in locum omnes aduersariorum copiæ conueniissent. quid ego aruspicum responsa commemorem, (possum equidem innumerabilia) quæ aut nullos habuerunt exitus, aut contrarios? hoc ciuili bello: dij immortales, quàm multa luserunt? quæ nobis in Græciam Romæ responsa aruspicum missa sunt? quæ dicta Pompeio? etenim ille admodum extis, & ostentis mouebatur. Non lubet commemorare, nec vero necesse est tibi præsertim, qui interfuisti: vides tamen omnia fere contra ac dicta sunt euenisse. Sed hæc hactenus: nunc ad ostenta veniamus. Multa me consule à meipso scripta recitasti: multa ante Marsicum bellũ à Sisenna collecta attulisti: multa ante Lacedæmoniorũ malam pugnam in Leuctris à Callisthene commemorata dixisti: de quibus dicam equidẽ singulis, quoad videbitur: sed dicendum etiam est de vniuersis. quæ est enim ista à dijs profecta significatio, & quasi denunciatio calamitatum? qui autem ea volunt, dij immortales primum significantes, quæ sine interpretibus non possumus intelligere, deinde ea, quæ cauere nequeamus? At hoc ne homines quidẽ probati faciunt: vt amicis impendentes calamitates prædicant: quas illi effugere nullo modo possint. aut medici, quanquam sæpe intelligunt, tamen nunquã ægris dicunt illo morbo eos morituros. omnis enim prædictio malitum probatur, cum ad prædictionem cautio adiungitur. quid igitur aut ostenta, aut eorum interpretes, vel Lacedæmonios olim, vel nuper nostros adiuuerunt?

vunt? quæ si signa deorum putanda sunt: cur tam obscura fuerunt? si enim, vt intelligeremus quid esset euenturū: aperte declarari oportebat? aut ne occulte quidē, si ea sciri nolebant. Iam vero coniectura omnis in qua nititur diuinatio, ingenijs hominū, in multas ac diuersas, aut etiam contrarias partes sæpe deducitur. vt enim in causis iudicialibus alia est coniectura accusatoris: alia defensoris: & tamē vtriusque credibilis: sic in omnibus his rebus, quæ coniectura inuestigari solent: anceps reperitur oratio. quas autem res tum natura, tum casus affert: nonnunquam etiam errorem creat similitudo: magna stultitia est earum rerum deos facere effectores: causas rerum non quærere. tu vates Bœotios credis Lebadiæ vidisse ex gallorum gallinaceorum cantu, victoriam esse Thebanorum: quia Galli victi silere solent, canere victores. hoc igitur per gallinas Iupiter tantæ ciuitati signum dabat? an illæ aues, nisi cum vicerint canere non solent? at tum canebant: nec vicerant. id enim, inquies, ostentum. magnum vero: quasi pisces non galli cecinerint. quod autem est tempus quo illi non cantent, vel nocturnum, vel diurnum? quod si victores alacritate, & quasi lætitia ad canendum excitantur: potuit accidisse alia quoq; lætitia, qua ad cantum mouerentur. Democritus quidem optimis verbis causam explicat: cur ante lucē galli canant. depulso enim de pectore, & in omne corpus diuiso, & mitificato cibo cantus edere, quiete satiatos: qui quidem silentio noctis, vt ait Ennius, fauent faucibus: rursus cātu, plausuq; premunt alas. cum igitur hoc animal tam sit canorum sua sponte: quid in mentē venit Callistheni,

dicere

dicere, deos gallis signum dedisse cantandi, cũ id vel natura, vel casus efficere potuisset? sanguinem pluisse Senatui nunciatum est: Atratũ fluuium fluxisse sanguine: deorum sudasse simulachra: nũ censes his nuncijs Thalem, aut Anaxagoram, aut quenquam physicum crediturum fuisse? nec enim sanguis, nec sudor nisi è corpore est. sed & decoloratio quædam ex aliqua contagione terrena maxime potest sanguini similis esse: et humor allapsus extrinsecus, vt in tectorijs videmus, austro sudorem imitari. Atq; hæc in bello plura, & maiora videntur timentibus: eadem non tam animaduertuntur in pace. accedit illud etiam: quod in metu, & periculo cum creduntur facilius: tum finguntur impunius. nos autem ita leues, atque inconsiderati sumus: vt, si mures corroserint aliquid: quorum est opus hoc vnum: monstrum putemus. Ante vero Marsicum bellum, quod clypeos Lanuuij, vt à te est dictũ, mures nocte rosissent, maximum id portentũ aruspices esse dixerunt. quasi vero quicquam interfit mures diem & noctẽ aliquid rodentes, scuta an cribra corroserint. nã si ista sequimur, quod Platonis politiã nuper apud me mures corroserũt: de Rep. debui pertimescere. aut, si Epicuri de voluptate liber corrosus esset: putarem annonam in macello cariorem fore. an vero illa nos terrent, si quãdo aliqua portentosa, aut ex pecude, aut ex homine nata dicuntur? quorum omnium (ne sim longior) vna ratio est. quicquid enim oritur, quale cunq; est: causam habeat à natura necesse est: vt etiam si præter consuetudinem extiterit: præter naturã tamen non possit existere. causam igitur inuestigato in re noua, atque admirabili

bili, si potes: si nullam reperies, illud tamen exploratum habeto: nihil fieri potuisse sine causa: eumq; errorem, quem tibi rei nouitas attulerit, naturæ ratione depellito. ita te nec terræ fremitus, nec cœli discessus, nec lapideus, aut sanguineus imber, nec traiectio stellæ, nec faces visæ terrebunt. quarum omnium causas, si à Chrysippo quæras: ipse ille diuinationis author, nunquam dicet facta illa fortuitò: naturalemq; rationem omnium reddet. nihil enim fieri sine causa potest: nec quicquam fit, quod fieri non potest: nec, si id factum est, quod fieri potuit, portentū debet videri. nulla igitur portenta sunt: nam si, quod rarò fit id portentum putandum est: sapientem esse, portentum est. sæpius enim mulam peperisse arbitror, quàm sapientem fuisse. illa igitur ratio concluditur: nec id, quod non potuerit fieri, factū vnquam esse: nec quod potuerit, id portentum esse. ita omnino nullum esse, portentum. quod etiam coniector quidam & interpres portentorum non inscite dicitur ei respondisse: qui cum ad eum retulisset, quasi ostentum, quod anguis domi vectem circumiectus fuisset: tum esset, inquit, ostentum, si anguem vectis circumplicasset. hoc ille responso satis aperte declarauit nihil habendum esse portentum, quod fieri posset. C. Gracchus ad M. Pomponium scripsit, duobus anguibus domi comprehensis, aruspices à patre conuocatos: quî magis anguibus, quã lacertis? quàm muribus? quia sunt hæc quotidiana, angues non item. quasi verò referat, quod fieri potest, quàm id sæpe fiat. ego tamen miror, si emissio fœminæ anguis, mortem afferebat Ti. Graccho: emissio autem maris anguis, erat mortifera Corneliæ, cur alter-

utram emiserit, nihil enim scribit respondisse aruspices, si neuter anguis emissus esset, quid esset futurum. At mors insecuta Gracchum est. causa quidē, credo, aliqua morbi grauioris, non emissione serpentis. neq; enim tanta est infelicitas aruspicū: vt ne casu quidem nunquam fiat, quod futurū illi esse dixerint. nam illud mirarer, si crederem, quod apud Homerum Calchantem dixisti ex passerum numero belli Troiani annos auguratum: de cuius coniectura sic apud Homerum, vt nos otiosi conuertimus, loquitur Agamemnon:

Ferte viri, & duros animo tolerate labores:
Auguris vt nostri Calchantis fata queamus
Scire, ratós ne habeant, an vanos pectoris orsus:
Namq; omnes memori portentum mente retentant:
Qui non funestis liquerunt lumina fatis.
Argolicis primum vt vestita est classibus Aulis:
Quæ Priamo cladem, & Troiæ pestemq; ferebant:
Nos circum latices gelidos fumantibus aris:
Aurigeris diuum placantes numina tauris:
Sub platano vmbrifera, fons vnde emanat aquai,
Vidimus immani specie, tortuq; draconem
Terribilem, Iouis vt pulsu penetrabat ab ara:
Qui platani in ramo foliorum tegmine septos
Corripuit pullos: quos cum consumeret octo,
Nona super tremulo genitrix clangore volabat.
Cui ferus immani laniauit viscera morsu.
Hunc, vbi tam teneros volucres, matremq; peremit:
Qui luci ediderat, genitor Saturnius idem
Abdidit, & duro firmauit tegmine saxi.
Nos autem timidi stantes, mirabile monstrum
Vidimus in medijs diuum versarier aris.

Tum

Tum Calchas hæc est fidenti voce locutus.
Quid nam torpentes subito obstupuistis Achiui?
Nobis hæc portenta deûm dedit ipse creator,
Tarda,& sera nimis: sed fama,ac laude perenni.
Nam quot aues tetro mactatas dente videtis:
Tot nos ad Troiam belli exant labimus annos.
Quæ decimo cadet,& pœna satiabit Achiuos.
Edidit hæc Calchas,quæ iam matura videtis.
Quæ tandem ista auguratio est ex passeribus,annorum potius,quam aut mensiũ,aut dierum? cur autẽ de passerculis coniecturam facit: in quibus nullũ erat monstrum,de dracone silet? qui,id quod fieri nõ potuit,lapideus dicitur factus. postremo quid simile habet passer annis? nam de angue illo qui Syllæ apparuit immolanti,vtrum q3 memini:& Syllam cũ in expeditionem ediecturus esset, immolauisse:& anguẽ ab ara extitisse: eoq3 dierem præclarè esse gestam non aruspicis consilio, sed imperatoris. Atq3 hæc ostentorũ genera mirabile nihil habent. quæ cũ facta sunt, tum ad coniecturam,aliqua interpretatione,reuocãtur: vt illa tritici grana in os pueri Midæ congesta: aut apes quas dixisti in labris Platonis pueri consedisse,non tã admirabilia sint,quã coniecta belle: quæ tamen vel ipsa falsa esse: vel illa,quæ prædicta sunt,fortuito accidisse potuerunt. de ipso Roscio potest illud quidem esse falsum, vt circumligatus fuerit angui: sed vt in cunis fuerit anguis: non tam mirum est, in Selonio præsertim: vbi apud focum angues nundinari solent. nam quod aruspices responderunt, nihil illo clarius, nihil nobilius fore: miror, deos immortales histrioni futuro claritatem ostendisse : nullam osten-

disse Aphricano. Atq; etiam à te Flaminiana ostenta collecta sunt: quod ipse, & equus eius repente conciderit: non sane hoc quidē mirabile: quo euelli primi hastati signū non potuerit: timide fortasse signifer euellebat, quod fidenter infixerat. Nam Dionysij equus, quid attulit admirationis, quod emersit ex flumine? quodq; habuit apes in iuba? Sed quia breui tēpore regnare cœpit, quod casu acciderat, vim habuit ostenti. At Lacedæmonijs in herculis fano arma sonuerunt: eiusdemq; dei Thebis valuæ clausæ subito se aperuerūt: eaq; scuta, quæ fuerant sublimè fixa, sunt humi inuenta. horū cū nihil fieri potuerit sine aliquo motu, quid est cur diuinitus ea potius, quā casu facta esse dicamus? At in Lysandri statuæ capite Delphis extitit corona ex asperis herbis, & quidem subita. itá ne censes, ante coronam extitisse, quam herbarū conceptum esse semen? herbam autem asperā, credo auium congestu, non humano satu. iam quicquid in capite est, id coronæ simile videri potest. nam quod eodem tempore stellas aureas Castoris et Pollucis, Delphis positas decidisse: neq; eas vsquam repertas esse dixisti: furū id magis factum, quam deorum videtur. Simiæ vero Dodoneæ improbitatē historijs Græcis mādatam esse demiror. quid minus mirū? quàm illam monstruosissimam bestiam vrnam euertisse? sortes dissipauisse? & negant historici Lacedæmonijs vllum ostentum hoc tristius accidisse. Nam illa prædicta Veientū, si lacus Albanus redundasset: isq; in mare fluxisset: Romam perituram: si repressus esset, Veios. ita aqua Albana deducta ad vtilitatē agri suburbani, non ad arcem, vrbemq; retinendam. At paulo post audita vox est

monentis,

monentis, vt prouiderent ne à Gallis Roma caperetur: ex eo Aio loquenti aram in noua via consecratã. quid ergo? Aius iste loquens, quando eum nemo norat, aiebat, & loquebatur? & ex eo nomen inuenit, posteaquã & sedem, & aram, & nomen inuenit, obmutuit? Quod idem dici de Moneta potest: à qua, præterquam de sue plena, quid vnquam moniti sumus? Satis multa de ostentis. Auspicia restant, & sortes hæ, quæ ducuntur, non illæ quæ vaticinatione funduntur, quæ oracula verius dicimus? de quibus tum dicemus, cum ad naturalem diuinationem venerimus. restat etiam de Chaldæis. sed primum auspicia videamus. Difficilis augurij locus ad contràdicendum. Marsò fortasse, sed Romano facillimus. non enim sumus ij nos augures: qui auium, reliquorúmue signorum obseruatione, futura dicamus. & tamen credo Romulum, qui vrbem auspicato condidit, habuisse opinionem: esse in prouidendis rebus augurandi scientiam. errabat enim multis in rebus antiquitas: quam vel vsu iam, vel doctrina, vel vetustate immutatam videmus. retinetur autem & ad opinionem vulgi, & ad magnas vtilitates Reip. mos, religio, disciplina, ius augurũ, collegij authoritas. nec vero non omni supplicio digni P. Claudius, L. Iunius cõsules, qui contra auspicia nauigarunt. parendũ enim fuit religioni: nec patrius mos tam contumaciter repudiandus. iure igitur alter populi iudicio damnatus est: alter mortẽ sibi ipse consciuit. Flaminius nõ paruit auspicijs, itaq; periit cũ exercitu, at anno post Paulus paruit, nec minus cecidit in Cannensi pugna cũ exercitu. etenim, vt sint auspicia, quæ nulla sunt: hæc certe quibus

vtimur siue tripudio, siue de cœlo, simulachra sunt auspiciorum: auspicia nullo, modo. Q. Fabi, te volo mihi in auspicio esse. volo, respondet. audiui hæc, apud maiores nostros adhibebatur peritus: nunc quilibet. peritũ autem esse necesse est eũ: qui, silentiũ quid sit, intelligat. id enim silentiũ dicimus in auspicijs, quod omni vitio caret. hoc intelligere, perfecti auguris est. illi autẽ, qui in auspicium adhibetur, cũ ita imperauit is, qui auspicatur, dicito. si silentiũ esse videtur: nec suspicit, nec circũspicit: statim respondet. silentiũ esse, videri. tũ ille, dicito, si pascuntur aues: pascuntur: quæ, aut vbi. attulit inquit in cauea pullos is, qui ex eo nominatur, pullarius. hæ sunt igitur aues internũciæ Iouis: quæ pascantur, nec ne, quid refert? nihil ad auspicia. sed quia cum pascuntur, necesse est aliquid ex ore cadere, et terrã pauire: terripauiũ primo, post terripudiũ dictum est: hoc quidem iam tripudium dicitur. cùm igitur offa iam cecidit ex ore pulli, tum auspicanti tripudium solistimum nunciant. ergo hoc auspicium diuini quicquam habere potest? quod tam sit coactũ & expressum? quo antiquissimos augures non esse vsos, argumento est, quod decretũ collegij vetus habemus? omnem auem tripudiũ facere posse. tũ igitur esset auspicium, si modo ei esset liberum se ostendisse: tum auis illa videri posset interpres, & satelles Iouis. nunc vero incluſa in caua, & fame enecta, si in offam pultis inuadit, & si aliquid ex ore cecidit: hoc tu auspicium, aut hoc modo Romulum auspicari solitum putas? Iam vero de cœlo seruare non ipsos censes solitos, qui auspicabantur? nunc imperant pullario: ille renunciat. fulmen sinistrum.

auspici-

auſpicium optimum habemus ad omnes res, præterquã ad comitia: quod quidem inſtitutum Reip. cauſa eſt: vt comitiorum vel in iudicijs populi, vel in iure legũ, vel in creandis magiſtratibus principes ciuitatis eſſent interpretes. At Ti. Gracchi literis Scipio, & Figulus, quod augures iudicaſſent eos vitio creatos eſſe, magiſtratu ſe abdicauerunt. Quis negat augurũ diſciplinam eſſe? diuinationem nego. At aruſpices diuini: quos cũ Ti. Gracchus propter mortem repentinam eius, qui in prærogatiua referenda ſubito concidiſſet, in ſenatũ intro duxiſſet: non iuſtum rogatorem comitiorũ fuiſſe dixerunt. primùm vide, ne in eum dixerint, qui rogator centuriæ fuiſſet. is enim erat mortuus. id autem ſine diuinatione, coniectura poterat dicere. deinde fortaſſe caſu: qui nullo modo eſt ex hoc genere tollendus. quid enim ſcire Etruſci aruſpices aut de tabernaculo rectè capto, aut de pomerij iure potuerunt? equidem aſſentior C. Marcello potius, quàm Appio Claudio: qui ambo mei Collegæ fuerunt: exiſtimoq́, ius augurũ, etſi diuinationis opinione principio conſtitutum ſit: tamen poſtea Reip. cauſa conſeruatum, ac retentum. Sed de hoc loco plura in alijs, nunc hactenus. Externa enim auguria, quæ ſunt non tam artificioſa, quàm ſuperſtitioſa, videamus. omnibus ferè auibus vtuntur: nos admodum paucis. alia illis ſiniſtra ſunt: alia noſtris. ſolebat ex me Deiotarus percontari noſtri augurij diſciplinam, & ego illius. dij immortales, quantum differebat: vt quædam eſſent etiam contraria. atque ille his ſemper vtebatur. Nos niſi, dũ à populo auſpicia accepta habemus: quàm multũ his vtimur? bellicã

rem administrari maiores nostri nisi auspicato voluerunt. quàm multi anni sunt, cũ bella à Prætoribus et Proconsulibus administrantur? qui auspicia non habent. Itaq; nec omnes transeunt auspicatò: nec tripudio auspicantur. nam ex acuminibus quidem, quod totũ auspicium militare est: iam M. Marcellus ille quinquies consul, totũ omisit: idem imperator, idem augur optimus. vbi est ergo auiũ diuinatio? quæ, quoniam ab his, qui auspicia nulla habent, bella administrantur? ab vrbanis retenta, videntur à bellicis esse sublata. & quidẽ ille dicebat: si quando rem agere vellet, ne impediretur auspicijs, lectica operta facere se iter solere. Huic simile est, quod nos augures præcipimus, ne iunge auspiciũ obueniat, vt iumenta iubeant disiungere. quid est aliud nolle monerì à Ioue? nisi efficere, vt aut ne fieri possit auspiciũ. aut, si fiat, videri? nam illud admodum ridiculum: quod negas Deiotarum auspiciorũ, quæ sibi ad Pompeium proficiscenti facta sunt, pœnitere: quod fidem secutus, amicitiamq; populi Romani. functus sit officio. antiquiorem enim sibi fuisse laudem & gloriam, quàm regnum, & possessiones suas. credo id quidem. sed hoc nihil ad auspicia. nec enim ei cornix canere poterat, recte eũ facere: quod populi Rom. libertatem defendere pararet. ipse hoc sentiebat, sicuti sensit. aues euentus significant aut aduersos, aut secundos. virtutis auspicys video esse vsum Deiotarum: quæ vetat spectare fortunam, dum præsteat fides. aues vero prosperos euentus ostenderunt. certe fefellerunt. fugit è prælio cum Pompeio. graue tempus. discessit ab eo. luctuosa res. Cæsarem eodem tempore

& hostem,

& hostem, & hospitem vidit. quid hoc tristius? Is cum ei Troginorum tetrarchiam eripuisset: & assecla suo Pergameno nescio cui dedisset: eidemq; detraxisset Armeniam à senatu datam. cumq; ab eo magnificentissimo hospitio acceptus esset, spoliatum reliquit & hospitem, & regem. sed labor longius. ad propositum reuertar. si euenta quærimus, quæ exquiruntur auibus: nullo modo prospera Deiotaro. sin officia, à virtute ipsius, non ab auspicys petita sunt. omitte igitur lituũ Romuli: quem in maximo incendio negas potuisse comburi: contemnecotem Actij Nauy: nihil debet esse in philosophia commentitys fabellis loci. illud erat philosophi: totius augurij primùm naturam ipsam videre: deinde inuentionem: deinde constantiam. quæ est igitur natura, quæ volucres huc, & illuc passim vagantes efficiat, vt significent aliquid: & tum vetent agere, tum iubeant, aut cantu, aut volatu? cur autem alys à dextra, alys à læua datum est auibus, vt ratum auspicium facere possint? quomodo autem hæc, aut quando, aut à quibus inuenta dicemus? Etrusci tamen habent exaratum puerum authorem disciplinæ suæ. nos quem? Accium ne Nauium? at aliquot annis antiquior Romulus, & Remus, ambo augures, vt accepimus. an Pysidarum, aut Cylicum, aut Phrygum ista inuenta dicemus? placet igitur humanitatis expertes, habere diuinitatis authores. At omnes reges, populi, nationes, vtuntur auspicys. quasi vero quicquam sit tam valde, quàm nihil sapere vulgare: aut quasi tibi ipsi in iudicando placeat multitudo. quotus quisq; est, qui voluptatẽ neget esse bonum? plerique etiam summum bonum dicunt. nunc

igitur eorum frequentia Stoici de sententia deterrentur? aut non plerisque in rebus sequitur eorum authoritatem multitudo? quid mirum igitur, si in omnibus auspicijs, & omni diuinatione imbecilli animi superstitiosa ista concipiant? verum dispicere non possint? Quæ autem est inter augures conueniens, & coniuncta constantia? ad nostri augurij consuetudinem dixit Ennius:

Cum tonuit leuum bene tempestate serena:

At Homericus Aiax apud Achillem querens de ferocitate Troianorum: nescio quid hoc modo nunciat.

Prospera Iupiter his dextris fulgoribus edit.

Ita nobis sinistra videntur, Grais & Barbaris dextra meliora. quanquã haud ignoro quæ bona sint. sinistra nos dicere: etiam si dextra sint. sed certe nostri sinistrum nominauerunt, externiq; dextrũ: quia plerunque melius id videbatur. hæc quanta dissensio est? quid, quod alijs auibus vtuntur? alijs signis? aliter obseruant? aliter respondent? non necesse est fateri, partim horum errore susceptum esse. partim superstitione multa fallendo. Atque his superstitionibus non dubitasti etiam omina adiungere: Æmilia Paulo, Persam periisse: quod pater omen accepit: Cæcilia sororis filia sedes suas tradere. iam illa, fauete linguis, & prærogatiuã, omen comitiorum, hoc est, ipsum esse contra se copiosum & disertum. quando enim ista obseruans, quieto, et libero animo esse poteris? vt ad rem gerendam non superstitionem habeas, sed rationem ducem? itane? si quis aliquid ex sua re, atque ex suo sermone dixerit: & eius verbum aliquod apte ceciderit ad id, quod ages, aut cogitabis:

gitabis: ea res tibi aut timorem afferet? aut alacritatem? cum M. Crassus exercitum Brunduſij imponeret: quidã in portu carycas Cauno aduectas vendens, Cauneas clamitabat. dicamus ſi placet monitum ab eo Craſſum, caueret ne iret: non fuiſſe periturum ſi omini paruiſſet. quæ ſi ſuſcipiamus, pedis offenſio nobis, & abruptio corrigiæ, & ſternutamenta erunt obſeruanda. Sortes reſtant, & Chaldæi: vt ad vates & ſomnia veniamus. Dicendum igitur putas de Sortibus. quid enim Sors eſt? idem propemodum quod micare: quod talos iacere: quod teſſeras. quibus in rebus temeritas, & caſus, non ratio, nec conſiliũ valet. tota res eſt inuenta fallacijs, aut ad quæſtum, aut ad ſuperſtitionem, aut ad errorem. atque vt in aruſpicina fecimus, ſic videamus clariſſimarum Sortium quæ tradatur inuentio. Numerium Suffucium Præneſtinorum monumenta declarant, honeſtũ hominem, & nobilem, ſomnys crebris, ad extremum etiam minantibus, cum iuberetur certo in loco ſilicem cædere: perterritum viſis, irridentibus ſuis ciuibus, id agere cœpiſſe: itaq; perfracto ſaxo ſortes erupiſſe, in robore inſculptas priſcarum literarum notas. is eſt hodie locus ſeptus religioſe, propter Iouis pueri: qui lactens cũ Iunone in gremio fortunæ ſedens, mammam appetens, caſtiſſime colitur à matribus. Eodem tempore illo loco vbi nunc fortunæ ſita ædes eſt, mel ex olea fluxiſſe dicunt: aruſpicesq; dixiſſe ſumma nobilitate illas ſortes futuras: eorumq; iuſſu ex illa olea arcam eſſe factam: edq; conditas ſortes: quæ hodie Fortunæ monitu tolluntur. quid igitur in his poteſt eſſe certi? quæ fortunæ monitu, pueri manu miſcentur: atq; ducuntur? quo modo

autem

autem istæ positæ in illo loco? quis robur illud cecidit? do lauit? inscripsit? Nihil est, inquiunt, quod deus efficere non possit. vtinam sapientes Stoicos effecisset: ne omnia cum superstitiosa solicitudine & miseria crederent. Sed hoc quidem genus diuinationis vitaiam communis exploſit. Fani pulchritudo, & vetustas, Prænestinarum etiam nunc sortium retinet nomen: atque id in vulgus. quis enim magistratus, aut quis vir illustrior vtitur sortibus? cæteris vero in locis sortes plane refrixerunt. quod Carneadē Clitomachus scribit dicere solitum: nusquā se fortunatiorem, quàm Prænestæ vidisse fortunam. ergo hoc diuinationis genus omittamus. Ad Chaldæorum monstra veniamus: de quibus Eudoxus, Platonis auditor, in astrologia iudicio doctissimorum hominum facile princeps, sic opinatur: id quod scriptum reliquit: Chaldæis, in prædictione, & in notatione cuiusq; vitæ ex natali die, minime esse credendum. nominat etiam Panætius, qui vnus è Stoicis astrologorum prædicta reiecit: Archelaum, & Cassandrum summos astrologos illius ætatis, qua erat ipse: cum in cæteris astrologiæ partibus excellerent: hoc prædictionis genere non vsos. Scylax Halicarnasseus, familiaris Panatij excellēs in astrologia, idemque in regenda sua ciuitate princeps, totum hoc Chaldaicum prædicendi genus repudiauit. sed vt ratione vtamur omissis testibus: sic isti disputant, qui hæc Chaldæorum natalitia prædicta defendunt: vim quandam esse aiunt signifero in orbe, qui Græce ζῳδιακὸς dicitur, talem, vt eius orbis vnaquæque partialia alio modo moueat, immutet q; cœlum: perinde vt quæque stellæ in his, finitimisq; partibus sint quoque

tempore:

tempore: eamq; vim variè moueri ab ijs syderibus, quæ vocantur errantia. cum autem in eam ipsam partem orbis venerint, in qua sit ortus eius qui nascitur: aut in eam, quæ coniunctum aliquid habeat, aut consentiens: ea triangula illi et quadrata nominant. etenim cũ tempore anni, tempestatumq;, cœli conuersiones, commutationesq; tantæ fiant accessu stellarum, et recessu: cúmque ea vi sõlis efficiantur, quæ videmus: non verisimile sõlum, sed etiam verum esse censent: perinde, vt cunque temperatus sit aër, ita pueros orientes animari, atq; formari: ex eoq; ingenia, mores, animum, corpus, actionem vitæ, casus cuiusq;, euentũsque fingi. ò deliratione nem incredibem. non enim omnis error stultitia est dicenda. quibus etiam Diogenes Stoicus concedit, aliquid vt prædicere possint, duntaxat quali quisque natura, & ad quam quisque maxime rem aptus futurus sit. cætera quæ profiteantur, negat vllo modo posse sciri. Etenim geminorum formas esse similes: vitam atq; fortunam plerunq; disparem. Proclus, & Euristhenes, Lacedæmoniorum reges gemini fratres fuerunt: at hi, nec totidẽ annos vixerunt. anno enim Procli vita breuior fuit: multumque is fratri rerum gestarum gloria præstitit. at ego id ipsum, quod vir optimus Diogenes Chaldæis, quasi quadã præuaricatione, concedit, nego posse intelligi. etenim cũ, vt ipsi dicunt ortus nascentium luna moderetur: eaq; animaduertant, & notent syderа natalitia Chaldæi, quæcunq; lunæ iuncta videãtur: oculorũ fallacissimo sensu iudicãt ea, quæ ratione atq; animo videre debebant. docet enim ratio mathematicorum, quam istis notam esse oportebat: quanta humilitate

luna

luna feratur, terram pene contingens: quantum absit à proxima Mercurij stella: multo autem longius à Veneris: deinde alio interuallo distet à sole: cuius lumine collustrari putatur. reliqua vero tria interualla infinita, & immensa, à sole ad Martis, inde ad Iouis, ab eo ad Saturni stellam, inde ad cœlum ipsum: quod extremũ atq; vltimũ mundi est. quæ potest igitur contagio exinfinito penè interuallo pertinere ad lunam? vel potius ad terram? quid? cum dicunt id, quod vis dicere necessum est: omneis omnium ortus, quicunq; gignantur in omni terra, quæ incolatur, eosdem esse: eademq; omnibus, qui eodem statu cœli & stellarum nati sunt, accidere necesse esse: non ne eiusmodi sunt? vt ne cœli quidem naturã interpretes istos cœli, nosse appareat? cum enim illi orbes, qui cœlum quasi medium diuidunt: & aspectum nostrum definiunt: qui à Græcis ὁριζοντες nominantur: à nobis finientes rectissimè nominari possunt, varietatẽ maximam habeant: aliq; que in alys locis sint: necesse est, ortus, occasusque syderum non fieri eodẽ tempore apud omnes. quod si eorum vi cœlum modo hoc, modo illo modo temperatur: qui potest eadem vis esse nascentiũ: cum cœli tanta sit dissimilitudo? In his locis, quæ nos incolimus, post solstitium canicula exoritur: & quidem aliquot diebus, apud Troglodytas, vt scribitur, ante solstitium: vt si iam concedamus aliquid vim cœlestẽ ad eos, qui in terra gignũtur, pertinere: consitendũ sit illis, eos, qui nascuntur eodem tempore, posse in dissimiles incidere naturas, propter cœli dissimilitudinem. quod minime illis placet. volunt enim illi, omnes eodem tempore ortos, qui vbiq; sint nati, eadem conditione nasci.

Sed

Sed quæ tanta dementia est? vt in maximis motibus, mutationibusq; cœli, nihil intersit, qui ventus, qui imber, quæ tempestas vbiq; sit. quarum rerum in proximis locis tantæ dissimilitudines sæpe sunt, vt alia Tusculi, alia Romæ eueniat sæpe tempestas. quod, qui nauigant, maxime animaduertunt: cum inflectendis promontorijs, ventorum mutationes maximas sæpe sentiãt. hæc igitur cum sit, tum serenitas, tum perturbatio cœli: est ne sanorum hominum, hoc ad nascentium ortus pertinere non dicere? quod non certè pertinet: illud nescio quid tenue, quod sentiri nullo modo, intelligi autem vix potest: quæ à luna cæterisq; syderibus cœli temperatio fiat, dicere ad puerorum ortus pertinere? quid? quòd non intelligunt, seminum vim, quæ ad gignendum, procreandumq; plurimum valeat, funditus tolli: mediocris erroris est? quis enim non videt & formas, et mores, & plerósque status, ac motus effingere à parentibus liberos? quod non contingeret: si hoc non vis, & natura gignentium efficeret: sed temperatio lunæ, cœliq; moderatio. quid? quod vno eodémque temporis puncto nati, dissimiles & naturas, & vitas, & casus habent: parum ne declarant nihil ad agendam vitam nascendi tẽpus pertinere? nisi forte putamus neminem eodem tempore ipso & conceptum, & natum, quo Africanum. nũquis igitur talis fuit? quid? illud ne dubium est? quin multi, cum ita nati essent: vt quædam contra naturam deprauata haberent, restituerentur, & corrigerentur ab natura: cum se ipsa reuocasset, aut arte, aut medicina. aut quorũ linguæ sic inhærent: vt loqui non possent: hæ scalpello resectæ liberarentur. multi etiam naturæ

vitium

vitium meditatione, atque exercitatione sustulerunt: vt Demosthenem scribit Phalereus, cum rho dicere nequiret, exercitatione feciſſe, vt planiſſime diceret. quod ſi hæc aſtro ingenerata et tradita eſſent: nulla res ea mutare poſſet. quid? diſſimilitudo locorũ, nonne diſſimiles hominum procreationes habet? quas quidem percurrere oratione facile eſt: quid inter Indos & Perſas, Æthiopas & Syros differat, corporibus, animis: vt incredibilis varietas diſſimilitudoq; ſit. ex quo intelligitur, plus terrarum ſitus, quam lunæ tractus ad naſcendũ valere. Nã quod aiunt quadringenta & ſeptuaginta millia annorum in periclitandis, experiundisq; pueris, quicunq; eſſent nati, Babylonios poſuiſſe, fallunt. ſi enim eſſet factitatum: non eſſet deſitum. neminẽ autem habemus authorem: qui aut fieri dicat: aut factũ ſciat. vides ne me nõ ea dicere quæ Carneades? ſed ea, quæ princeps Stoicorum Panætius dixerit? Ego autem etiam hoc requiro: omnésne, qui Cannenſi pugna cecíderunt, vno aſtro fuerint. exitus quidẽ omniũ vnus & idẽ fuit. quid? qui ingenio atq; animo ſingulares, num aſtro quoq; vno? quod enim tempus, quo non innumerabiles naſcantur? at certe nemo ſimilis Homeri. Et, ſi ad rem pertinet, quo modo cœlo affecto, cõpoſitiſq; ſideribus quodq; animal oriatur: valeat id neceſſe eſt non in hominibus ſolum, verũ etiam in beſtijs: quo quid dici poteſt abſurdius. L. quidẽ Tarutius Firmanus, familiaris noſter, in primis Chaldaicis literis eruditus: vrbis etiã noſtræ natalem diẽ repetebat ab ijs parilibus, quibus eã à Romulo conditam accepimus: Romamq; cũ eſſet in iugo luna, natã eſſe dicebat: nec eius fata canere dubitabat. O'uim maxi-

mam

mam erroris. Etiámne vrbis natalis dies ad vim stellarum & lunæ pertinebat? fac in puero referre, ex quæ affectione cœli primùm spiritũ duxerit: num hæc in latere, aut in cæmento, ex quibus vrbs effecta est, potuit valere? Sed quid plura? quotidie refelluntur. quam multa ego Pompeio, quam multa Crasso, quã multa huic ipsi Cæsari à Chaldæis dicta memini: neminem eorũ nisi senectute, nisi domi, nisi cum claritate esse moriturũ? vt mihi permirum videatur, quenquam extare, qui etiam nunc credat ijs, quorum prædicta quotidie videatur, & euentis refelli. Restant duo diuinandi genera: quæ habere dicimur à natura, nõ ab arte: vaticinandi, & somniandi. de quibus, Quinte, inquam, si placet, disseramus. Mihi vero, inquit, placet. his enim quæ ad huc disputasti prorsus assentior? &, vere vt loquar, quã quam tua me oratio confirmauit, tamen etiã mea spõte nimis superstitiosam de diuinatione Stoicorũ sententiam iudicabam: Hæc me Peripateticorum ratio magis mouebat, & veteris Dicæarchi, & eius, qui nũc floret, Cratippi: qui censent esse in mentibus hominum tanquam oraculum aliquod: ex quo futura præsentiant: si aut furore diuino incitatus animus, aut somno relaxatus, solute moueatur ac libere. his de generibus quid sentias, & quibus ea rationibus infirmes: audire sane velim. Quæ cum ille dixisset: tum ego rursus quasi ab alio principio sum exorsus dicere. Non ignoro, inquã, Quinte, te semper ita sensisse: vt de cæteris diuinandi generibus dubitares: ista duo furoris & somnij, quæ à libera mente fluere viderentur, probares. dicam igitur, de istis ipsis duobus generibus mihi quid videa-

tur: si prius, & Stoicorũ rationis conclusio, & Cratippi nostri quid valeat, videro. dixisti enim & Chrysippũ & Diogenem, & Antipatrũ concludere hoc modo. Si sunt dy, neq; ante declarãt hominibus, quæ futura sint: aut non diligunt homines: aut, quid euenturũ sit, ignorant: aut existimãt nihil interesse, hominem scire, quid sit futurũ: aut non censent esse suæ maiestatis præsignificare hominibus, quæ sint futura: aut ea ne ipsi quidem dy significare possunt. At neq; non diligunt nos (sunt enim benefici, generiq; hominum amici) neq; ignorant ea, quæ ab ipsis constituta & designata sunt: neq; nostra nihil interest scire ea, quæ futura sunt. (erimus enim cautiores, si scierimus) neq; hoc alienum ducunt maiestate sua (nihil est enim beneficentia præstantius) neq; nõ possunt futura prænoscere. non igitur dy sunt: nec significant nobis futura. sunt autem dy: significant ergo. Et, non, si significant futura: nullas dant nobis vias ad significationum scientiam. frustra enim significarent. neq; si dant vias, non est diuinatio: est igitur diuinatio. O acutos homines: quã paucis verbis negocium confectũ putant? ea sumunt ad concludendum, quorũ his nihil conceditur. conclusio autẽ rationis ea probanda est: in qua ex rebus non dubys, id quod dubitatur, efficitur. vidésne Epicurũ, (quem hebetem, & rudem dicere solent Stoici) quemadmodũ, quod in natura rerum omne esse dicimus: id infinitum esse concluserit? quod finitum est, inquit, habet extremum. quis hoc nõ dederit? quod habet extremum: id cernitur ex alio extrinsecus. Hoc quoq; est concedendũ. at, quod omne est, id non cernitur ex alio extrinsecus. Ne hoc quidem

dem negari potest. nihil igitur cum habeat extremum: infinitum sit necesse est. videsne vt ad rem dubiam concessis rebus peruenerit? hoc vos dialectici non facitis: nec solum ea non sumitis ad concludendum: quæ ab omnibus concedantur: sed ea sumitis: quibus concessis, nihilo magis efficiatis quod velitis. primùm enim hoc sumitis: si sunt dij: benefici in homines sunt. quis hoc vobis dabit? Epicurus ne? qui negat quicquam deos nec alieni curare, nec sui? an noster Ennius? qui magno applausu loquitur, assentiente populo.

Ego deûm genus esse semper dixi, & dicam cœlitum:
Sed eos non curare opinor quid, agat humanũ genus.

Et quidẽ cur sic opinetur, rationem subijcit. Sed nihil est necesse dicere quæ sequuntur. tantum sat est intelligi id sumere istos pro certo, quod dubiũ controuersumq; sit. sequitur porro, nihil deos ignorare: quòd omnia sint ab ijs constituta. hic vero quantã pugna est doctissimorum hominũ, negantium esse hæc à dijs immortalibus constituta? At nostra interest scire quæ euentura sint. magnus Dicæarchi liber est, nescire ea melius esse quàm scire, * negant id esse maiestatis deorũ: scilicet causas omnium introspicere: vt videant quid cuiq; conducat. Neq; non possunt futura prænoscere: negant posse hi, quibus non placet esse certum, quid futurum sit. videsne igitur quæ dubia sunt, ea sumi pro certis, atq; concessis? deinde contorquent: & ita concludunt.

Non igitur sunt dij: nec significant futura. Id enim iam perfectum arbitrantur. deinde assumunt: sunt autem dij: quod ipsum non ab omnibus conceditur. significant

ergo.ne id quidem sequitur:possunt enim non significare, & tamen esse dy.nec si significent, non dare vias aliquas ad scientiam significationis. at id quoq; potest:vt non dent homini: sed ipsi habeant.cur enim Tuscis potius,quàm Romanis darent. nec si dant vias,nulla est diuinatio.fac dare deos:quod absurdum est:quid refert si accipere non possumus?extremũ est, igitur diuinatio. sic extremum: effectum tamen non est. ex falsis enim, vt ab ipsis didicimus:verũ effici non potest. iacet igitur tota conclusio. Veniamus nunc ad optimum virum, familiarem nostrum,Cratippum:Si sine oculis, inquit, non potest extare officium,et munus oculorũ:possunt autem aliquando oculi non fungi suo munere: Qui vel semel ita est vsus oculis:vt vera cerneret : is habet sensum oculorum vera cernentium. item igitur, si sine diuinatione non potest officium,& munus diuinationis extare, potest autem cum quis diuinationem habeat,errare aliquando,nec vera cernere:Satis est ad confirmãdam diuinationem, semel aliquid ita esse diuinatũ:nihil vt fortuitò cecidisse videatur. sunt autem eius generis innumerabilia. esse igitur diuinationem confitendũ est. festiuè & breuiter : sed cum bis sumpsit quod voluit,etiam si faciles nos ad concedendũ habuerit:id tamen quod assumit concedi nullo modo potest.Si,inquit, aliquando oculi peccent:tamen,quia recte aliquando viderint: inest in his vis videndi. Item,si quis semel aliquid in diuinatione dixerit: is etiam tum peccet, tamen existimandus est habere vim diuinandi. vide quaeso,Cratippe noster: quàm sint ista similia. nam mihi quidem non videntur.oculi enim vera cernentes,

vtuntur

vtuntur natura, atq; sensu. animi si quando vel vaticinando, vel somniando vera viderunt: vt si sunt fortuna, atq; casu. nisi forte concessuros tibi existimas eos, qui somnia, pro somnijs habent: si quando aliquod somnium verum euaserit: non id fortuito accidisse. Sed demus tibi istas duas sumptiones, ea, quæ λήμματα appellant dialectici: sed nos Latine loqui malumus: præsumptio tamẽ, quam πρόληψιν idem vocant, non dabitur. Assumit autem Cratippus hoc modo. Sunt autem innumerabiles præsensiones non fortuitæ. at ego dico nullam. vide quanta sit controuersia. iam, assumptione non concessa, nulla conclusio est. At impudentes sumus: qui quod tam perspicuũ sit, non concedamus. quid est perspicuũ? multa vera, inquit, euadere. quid? quod multo plura falsa? nonne ipsa varietas, quæ est propria fortunæ: fortunam esse causam, non naturam esse docet? deinde, si tua ista conclusio Cratippe vera est (tecũ enim mihi res est) non ne intelligis eadem vti posse & aruspices, & fulguratores, & interpretes ostentorũ, & augures, & sortilegos, & Chaldæos? quorum genera nullum est: ex quo non aliquid, sicut prædictum sit, euaserit. ergo aut ea quoq; genera diuinandi sunt: quæ tu rectissime improbas: aut si ea non sunt: non intelligo cur hæc duo sint, quæ relinquis. qua ergo ratione hæc inducis: eadem illa possunt esse, quæ tollis.

Quid vero habet authoritatis furor iste: quem diuinum vocatis: vt quæ sapiens non videat, ea videat insanus: & is qui humanos sensus amiserit, diuinos assecutus sit? Sibyllæ versus obseruamus: quos illa furens fudisse dicitur. quorum interpres nuper falsa quædam ho-

minum fama dicturus in senatu putabatur: eũ quem re uera regem habebamus: appellandũ quoq; esse regem: si salui esse vellemus. hoc si est in libris: in quem hominẽ, & in quod tempus est? callidè enim, qui illa composuit, perfecit, vt, quodcũq; accidisset, prædictum videretur, hominum & temporum definitione sublata. adhibuit etiam latebram obscuritatis, vt iydem versus alias in aliam rem posse accommodari viderentur. non esse autem illud carmen furentis, cùm ipsum poëma declarat (est enim magis artis & diligentiæ, quã incitationis, & motus) tum vero ea, quæ ἀνυποστίξις dicitur: cum deinceps ex primis versus literis aliquid connectitur: vt in quibusdam Ennianis: quæ Ennius fecit: id certe magis est attenti animi, quàm furentis. Atq; in Sibyllinis ex primo versu cuiusq; sententiæ primis literis illius sententiæ carmen omne prætexitur. hoc scriptoris est, non furẽtis, adhibentis diligentiam, non insani. quamobrem Sibyllam quidem sepositam, & conditam habeamus: vt id quod proditum est à maioribus, iniussu senatus ne legantur quidem libri: valeant q; ad deponendas potius, quàm ad suscipiendas religiones. cum antistitibus agamus: vt quidnis potius ex illis libris, quàm regem proferant. quem Romæ posthac nec dy, nec homines esse patientur. At multi sæpe vera vaticinati: vt Cassandra,

Iamq; mari magno-

eadem paulo post:

Heu videte-

Num igitur me cogis etiam fabulis credere? quæ delectationis habeant quantum voles: verbis, sententijs, numeris, cantibus adiuuentur: authoritatem quidem

nullam

nullam debemus nec fidem cõmentitijs rebus adiungere. Eodemq; modo nec ego Publicio neſcio cui, nec Martijs vatibus, nec Appollinis opertis credendũ exiſtimo: quorum partim ficta aperte, partim effutita temere, nunquam ne mediocri quidem cuiquam, non modo prudẽti, probata ſunt. Quid, inquies, remex ille de claſſe Coponij, nõne ea prædixit, quæ facta ſunt? ille vero & ea quidẽ, quæ omnes eo tempore, ne acciderent, timebamus: caſtra enim in Theſſalia caſtris collata audiebamus: videbaturq; nobis exercitus Cæſaris & audaciæ plus habere, quippe qui patriæ bellum intuliſſet: & roboris, propter vetuſtatem. caſum autem prælij nemo noſtrum erat, quin timeret: ſed ita, vt conſtantibus hominibus par erat: nõ aperte. ille autem Græcus quid mirũ ſi magnitudine timoris, vt plerumq; fit, à cõſtantia, atque à mente, atq; à ſe ipſe diſceſſit? qua perturbatione animi, quæ ſanus cũ eſſet, timebat. ne euenirent: ea demens euentura eſſe dicebat. vtrum tandem per deos, atque homines, magis veriſimile eſt? veſanum remigem, an aliquem noſtrum, qui ibi tum eramus, M. Catonẽ, Varronem, Coponium ipſum, conſilia deorũ immortalium perſpicere potuiſſe? Sed iam ad te venio,

O ſancte Apollo: qui vmbilicum terrarum certum obſides:

Vnde ſuperſtitioſa primum ſaua euaſit vox fera:

tuis enim oraculis Chryſippus totum volumen implenit? partim falſis, vt ego opinor: partim caſu veris, vt fit in omni oratione ſæpiſſime: partim flexiloquis, & obſcuris, vt interpres egeat interprete: & ſors ipſa, referenda ſit ad ſortes: partim ambiguis, & quæ ad

dialecticam referenda sint. nam cùm sors illa edita est opulentissimo regi Asiæ,

Cræsus Halym penetrans magnã peruertet opũ vim:

Hostium vim sese peruersurũ putauit: peruertit autẽ suam. vtrũ igitur eorum accidisset, verũ oraculum fuisset. cur autem hoc credam vnquam editum Cræsõ? aut Herodotum cur veraciorem ducam Ennio? num minus ille potuit de Cræso: quàm de Pyrrho fingere Ennius? quis enim est qui credat Appollinis ex oraculo Pyrrho esse responsum.

Aio te Æacida Romanos vincere posse?

Primùm Latine Appollo nunquã locutus est. deinde ista sors inaudita Græcis est. præterea Pyrrhi temporibus iam Appollo versus facere desierat. postremo, quanquã semper fuit (vt apud Enniũ est) stolidũ genus Æacidarũ: bellipotentes sunt magis, quàm sapientipotentes: tamen hãc amphibologiã versus intelligere potuisset, vincere te Romanos, nihilo magis in se, quàm in Romanos valere. Nam illa amphibologia, quæ Cræsum decepit: vel Chrysippum potuisset fallere. hæc vero ne Epicurũ quidem. sed, quod caput est: cur isto modo iam oracula Delphis non eduntur, non modo nostra ætate, sed iamdiu, modò vt nihil possit esse contemptius? Hoc loco cum vrgentur: euanuisse aiunt vetustate vim loci eius: vnde anhelitus ille terræ fieret: quo Pythia mente incitata oracula ederet. De vino aut salsamento putes loqui: quæ euanescunt vetustate. de vi loci agitur: neq; solũ naturali, sed etiã diuina: quæ quo tandem modo euanuit? vetustate, inquies. quæ vetustas est: quæ vim diuinã conficere possit? quid tam diuinum, quàm afflatus

è terra

è terra mentem ita mouens, vt eam prouidam rerum futurarum efficiat? vt ea non modo cernat multo antè: sed etiam numero, versúq; pronunciet? quando autem ista vis euanuit? an postquam homines minus creduli esse cœperunt? Demosthenes quidem, qui abhinc annos prope trecentos fuit: iam tum φιλιππίζειν Pythiam dicebat, id est, quasi cum Philippo facere. Hoc autem eò spectabat: vt eam à Philippo corruptam diceret. quod licet existimare in alijs quoque oraculis Delphicis aliquid non sinceri fuisse. sed nescio quomodo isti philosophi superstitiosi, & penè fanatici, quiduis malle videntur, quàm se non ineptos. euanuisse maualtis, & extinctum esse id: quod si vnquam fuisset, certe æternum esset: quàm ea, quæ non sunt credenda, non credere. Similis est error in somnijs: quorum quidem defensio repetita quàm longe est. diuinos animos censent esse nostros: eosque esse tractos extrinsecus: animorúmque cõsentientium multitudine completum esse mundum. Hac igitur mentis & ipsius diuinitate, & coniunctione cum externis mentibus, cerni quæ sint futura. contrahi autem animum Zeno, & quasi labi putat, atque concidere: & ipsum esse dormire. iam Pythagoras & Plato locupletissimi authores, quo in somnis certiora videamus: præparatos quodam cultu atq; victu proficisci ad dormiendum iubent. Faba quidem Pythagorei vtiq; abstinuere: quasi verò eo cibo mens, non venter infletur. Sed nescio quo modo nihil tam absurde dici potest: quod non dicatur ab aliquo philosophorum. Vtrũ igitur censemus dormientiũ animos per semetipsos in somniando moueri? an, vt Democritus cẽset, externa, &

aduentitia visione pulsari? siue enim sic est: siue illo modo: videri possunt permulta somniantibus falsa pro veris. Nã et nauigantibus moueri videntur ea, quæ stant: & quodam obtutu oculorum, duo pro vno lucernæ lumina. quid dicam insanis, quid ebrijs, quàm multa falsa videantur? quod si eiusmodi visis credendum nõ est: cur somnijs credatur nescio. nam tam licet de his erroribus, si velis, quã de somnijs disputare: vt ea quæ stant si moueri videantur: terræmotum significare dicas: aut repentinam aliquam fugam. gemino autem lucernæ lumine declarari dissensionem, ac seditionem moueri. Iã ex insanorum aut ebriorum visis innumerabilia, coniectura trahi possunt, quæ futura videantur. quis est enim qui totum diem iaculans nõ aliquando collimet? totas noctes somniamus: neq; vlla fere est qua nõ dormiamus: et miramur aliquãdo id quod somniauimus, euadere? quid est tam incertum quàm talorum iactus? tamen nemo est, quin sæpe iactans, Venereum aliquando iaciat: nonnunquam etiam iterum, ac tertium. num igitur, vt inepti, Veneris id fieri impulsu malumus, quàm casu dicere? quod si cæteris temporibus falsis visis credendum non est: non video quid præcipui somnus habeat: in quo valeant falsa pro veris. quod si ita natura paratum esset: vt ea dormientes agerent, quæ somniarent: alligandi essent omnes, qui cubitum irent. maiores enim, quàm vlli insani, efficerent motus somniantes. quod si insanorum visis fides non est adhibenda: quod falsa sunt: cur credatur somniantium visis, quæ multo etiam perturbatiora sunt, non intelligo. An quod insani sua visa coniectori non narrant, narrant qui somnia-

somniauerunt? quæro etiam, si velim scribere quid, aut legere: aut canere vel voce, vel fidibus: aut geometricum quiddam, aut physicum, aut dialecticũ explicare: somnium ne expectandum sit, an ars adhibenda, sine qua nihil earum rerum nec fieri, nec expediri potest? Atqui, ne si nauigare quidem velim, ita gubernarem vt somniauerim: præsens enim pœna sit. quid igitur conuenit ægros à coniectore somniorum potius, quàm à medico petere medicinam? an Æsculapius, an Serapis potest præscribere per somnium curationem valetudinis, Neptunus gubernantibus non potest? & si sine medico medicinam dabit Minerua: musæ scribendi, legendi, cæterarumq; artium scientiam somniantibus non dabunt? At si curatio daretur valetudinis: hæc quoque quæ dixi darentur. quæ quoniam non dantur: medicina non dantur. qua sublata, tollitur omnis authoritas somniorum. sed hæc quoque in promptu: nunc interiora videamus. Aut enim diuina vis quædam consulens nobis somniorum significationes facit: aut coniectores ex quadam conuenientia, et coniunctione naturæ, quam vocant συμπάθειαν: quid cuique rei conueniat ex somnijs, & quid quanq; rem sequatur intelligunt: aut eorum neutrum est. Sed quædam obseruatio constans, atq; diuturna est: cum quid visum secundum quietem sit: quid euenire, aut quid sequi soleat. Primum igitur intelligendũ est: nullã vim esse diuinam effectricem somniorũ. atque illud quidem perspicuum est: nulla visa somniorũ proficisci a numine deorum. nostra enim causa dij id facerent: vt prouidere futura possemus. quotus igitur est quisque, qui somnijs pareat?

reat? qui intelligat? qui meminerit? quàm multi verò, qui contemnant, eamq; superstitionem imbecilli animi, atq; anilis putent? quid est igitur, cur his hominibus cõsulens deus, somnijs moneat eos: qui illa non modo non curant: sed ne memoria quidẽ digna ducant? nec enim ignorare deus potest qua mente quisq; sit: nec frustra, ac sine causa quid facere, dignum deo est: quod abhorret etiam ab hominis constantia. ita si pleráq; somnia aut ignorantur, aut negliguntur, aut nescit hoc deus, aut frustra somniorum significatione vtitur. sed horũ neutrũ in deum cadit. nihil igitur à deo somnijs significari fatendum est. illud etiam requiro: cur, si deus ista visa nobis prouidendi causa dat: non vigilantibus potius det, quàm dormientibus. siue enim externus, et aduentitius pulsus animos dormientium commouet: siue per se ipsi animi mouentur: siue quæ causa alia est: cur secundum quietem aliquid videre, audire, agere videamur: eadẽ causa vigilantibus esse poterat. id q; si nostra causa secundum quietem dij facerent: vigilantibus idem facerent. Præsertim vt Chrysippus Academicos refellens, permulto clariora, & certiora esse dicat, quæ vigilantibus videantur, quàm quæ somniantibus. fuit igitur diuina beneficentia dignius, cum consuleret nobis, clariora visa dare vigilantibus: quàm obscuriora per somnium, quod quoniam non fit: somnia diuina putanda non sunt. Iam vero quid opus est circuitione, & anfractu, vt sit vtendum interpretibus somniorũ potius, quàm directo? Deus si quidẽ nobis consulebat, hoc facito, hoc ne feceris diceret? id q; visum vigilanti potius, quã dormienti daret? iam vero quis dicere audeat, vera omnia esse somnia?

somnia? aliquot somnia vera, inquit Ennius: sed omnia non est necesse. Quæ est tandem ista distinctio quæ vera, quæ falsa habet? & si vera à deo mittuntur: falsa vnde nascuntur? nam si ea quoq; diuina: quid inconstantius deo? quid insciti⁹ aut̃ est? quàm mentes mortalium falsis, & mendacibus visis concitare? sin vera visa diuina sunt: falsa autem, & inania humana: quæ est ista designandi licentia: vt hoc deus, hoc natura fecerit potius, quàm aut omnia deus (quod negatis) aut omnia natura. quod quoniam illud negatis: hoc necessario confitendum est. naturam autem eam dico: qua nunquam animus insistens agitatione, & motu esse vacuus potest. Is cũ languore corporis, nec membris vti, nec sensibus potest: incidit in visa varia, & incerta ex reliquijs, vt ait Aristoteles, inhærentibus, earum rerum, quas vigilans gesserit: aut cogitarit. quarum perturbatione mirabiles interdum existunt species somniorum. quæ si alia vera, alia falsa: qua nota internoscantur scire sane velim. si nulla est: quid istos interpretes audiamus? sin quæpiam est: aueo audire quæ sit. sed hærebunt. venit enim iam in contentionem, vtrum sit probabilius: deós ne immortales rerum omnium præstantia excellentes, concursare omnium mortalium, qui vbiq; sunt, non modo lectos, verum etiam grabatos: & cum stertentes aliquos viderint: obijcere his visa quædam tortuosa, & obscura: quæ illi exterriti somnio ad coniectorem mane deferant? an natura fieri: vt mobiliter animus agitatus, quod vigilans viderit, dormiens videre videatur? vtrũ philosophia dignius, sagarum superstitione ista interpretari, an explicatione naturæ? vt, si iam fieri possit

con-

coniectura vera somniorum: tamen isti qui profitentur, eam facere non possunt: ex leuissimo enim, & indoctissimo genere constant. Stoici autem tui negant quenquā nisi sapientem diuinum esse posse. Chrysippus quidem diuinationem definit his verbis. vim cognoscentem, & videntem, & explicantem signa, quæ à dijs hominibus portendantur. Officium autem eius esse prænoscere deorga homines mente qua sint: quidque significent: quemadmodumq; ea procurentur, atque expientur. idemq; somniorum coniectionē definit hoc modo: esse vim cernentem, & explanantem quæ à dys hominibus significentur in somnis. Quid ergo? ad hæc mediocri opus est prudentia? an & ingenio præstanti? & eruditione perfecta? talem autem cognouimus neminem. vide igitur, ne etiam si diuinationem tibi esse concessero (quod nunquam faciam) neminem tamen diuinum reperire possimus. Qualis autem ista mens est deorum? si neque ea nobis significant in somnis: quæ ipsi per nos intelligamus? neque ea, quorum interpretes habere possimus? similes enim sunt dij: si ea nobis obyciunt: quorum neque scientiam, neq; explanationem habeamus: tanquā si Pœni, aut Hispani in senatu nostro sine interprete loquerentur. Iam vero quo pertinent obscuritates, & ænigmata somniorum? intelligi enim à nobis dij velle debebant ea: quæ nostra causa nos monerent. Quid? Poëta nemo, nemo Physicus obscurus? ille vero etiam nimis obscurus Euphorion. at non Homerus. vter igitur melior? valde Heraclitus obscurus: minime Democritus. num igitur cōferendi? mea causa me mones, quod nō intelligam. quid me igitur mones? vt si quis medicus

ægroto

ægroto imperet, vt sumat
Terrigenã, tardigradã, domi portam sanguine cassam,
potius quam hominũ more cochleam dicere. nam Pacuuianus Amphion,
Quadrupes tardigrada, agrestis, humilis, aspera,
Capite breui, ceruice anguina, aspectu truci,
Euiscerata, inanima, cum animali sono,
cum dixisset obscurius: tum Attici respondent: nõ intelligimus nisi aperte dixeris. at ille, vno verbo, testudo. nõ potueras hoc igitur à principio, cythariста, dicere? defert ad coniectorem quidam, somniasse se ouum pendere ex fascia lecti sui cubicularis (est hoc in Chrysippi libro somnium) respondit coniector, thesaurum defossum esse sub lecto: fodit: inuenit auri aliquantum, idq; circundatũ argento: misit coniectori quantulum visum est de argento. tum ille, nihil ne, inquit, de vitello? id enim ex ouo videbatur aurum declarasse: reliquum, argentum. nemo ne igitur vnquã alius ouum somniauit? cur ergo hic nescio quis thesaurum solus inuenit? quàm multi inopes digni præsidio deorum, nullo somnio ad thesaurum reperiendum admonentur? quam autẽ ob causam tã est obscure admonitus? vt ex ouo nasceretur thesauri similitudo potius, quã aperte thesaurũ quærere iuberetur: sicut aperte Simonides vetitus est nauigare? Ergo obscura somnia minime consentanea sunt maiestati deorũ. ad aperta & clara veniamus: quale est de illo interfecto à caupone Megaris: quale de Simonide: qui ab eo, quẽ humauerat, vetitus est nauigare: quale etiã de Alexãdro? quòd à te præteritum esse miror: qui, cum Ptolemæus familiaris eius in prælio, telo venenato ictus esset: eoque

vulnere

vulnere summo cum dolore moreretur: Alexander assidens, somno est consopitus. tum secundum quietem visus ei dicitur draco is, quem mater Olympias alebat radiculam in ore ferre: & simul dicere, quo illa loci nasceretur. neq; is longe aberat ab eo loco: eius autem esse vim tantam: vt Ptolemæum facile sanaret. cum Alexander experrectus narrasset amicis somnium: emisisse qui illā radiculā quærerent. qua inuenta, et Ptolemæum sanatus dicitur: & multi milites, qui erant eodem genere teli vulnerati. multa etiam sunt à te ex historijs prolata somnia, matris Phalaridis, Cyri superioris, matris Dionysij, Pœni Amilcaris, Annibalis, P. Decij, perunl gatum iam illud de præsultore, Gracchi etiam, & recens Cæciliæ, Balearici filiæ somnium. Sed hæc externa: ob eamque causam ingnota nobis sunt: nonnulla etiā ficta fortasse. quis enim author istorum? de nostris somnijs quid habemus dicere? tu de mersō me, & equo adripam? ego de Mario cum fascibus laureatis me in sūm deduci iubente monumentum? Omnium somniorum, Quinte, vna ratio est. quæ per deos immortales, videamus ne nostra superstitione, & deprauatione superetur. quem enim tu Marium visum à me putas? speciem credo eius, & imaginem: vt Democrito videtur. Vnde profectam imaginem? à corporibus enim solidis, & à certis figuris vult fluere imagines. quod igitur Marij corpus erat: ex eo, inquit, quod fuerat, plena sunt imaginum omnia ista. igitur me imago Marij in campū Atinatem persequebatur. nulla enim species cogitari potest: nisi pulsu imaginum. quid ergo? istæ imagines ita nobis dicto audientes sunt? vt simulatq; velimus, accurrant?

rant? etiam ne earum rerum, quæ nullæ sunt? quæ est enim forma tam inusitata, ãt nulla, quã non sibi ipse animus possit effingere? vt quæ nunquam vidimus: ea tamẽ formata habeamus: oppidorum situs, hominum figuras? num igitur, cùm aut muros Babylonis, aut Homeri faciem cogito: imago illorum me aliqua pellit? Omnia igitur, quæ volumus, nota nobis esse possunt. nihil est enim de quo cogitare nequeamus. nullæ ergo imagines obrepunt in animos dormientium extrinsecus: nec omnino fluunt illæ: nec cognoui quenquam, qui maiore authoritate nihil diceret. animorum est ea vis, atq; natura: vt vigeant vigilantes, nullo aduentitio pulsu: sed suo motu, incredibili quadam celeritate. hi cũ sustinentur membris, & corpore, & sensibus: omni certiora cernunt: cogitant, sentiunt. cum autem hæc subtracta sunt: desertusq; animus languore corporis: cum agitatur ipse per sese. itaq; in eo & formæ versantur, & actiones: & multa audiri, multa dici videntur. hæc scilicet imbecillo, remissoq; animo, multa omnibus modis cõfusa, & variata versantur: maximeq; reliquiæ earũ rerũ mouentur in animis, & agitantur: de quibus vigilantes, aut cogitauimus, aut egimus. vt mihi temporibus illis multum in animo Marius versabatur, recordanti, quàm ille grauem suũ casum magno animo, quàm cõstanti tulisset. Hanc credo causam de illo somniandi fuisse. tibi autem de me cũ sollicitudine cogitanti subito sum visus emersus ex flumine. inerant enim in vtriusq; nostrũ animis vigilantiũ cogitationũ vestigia. At quædã adiũcta sunt: vt mihi de monumẽto Marij: tibi quod equus, in quo ego vehebar, mecũ vna demersus rursus

s

apparuit. An tu censes vllam anum tam deliram futuram fuisse, vt somnys crederet, nisi ista casu nonnunquam, forte, temere concurrerent? Alexandro loqui draco visus est. potest omnino hoc esse falsum: potest verum. sed vtrum sit, non est mirabile. non enim audiuit ille draconem loquentem: sed est visus audire: & quidem, quo maius sit, cum radicem ore teneret, locutus est. sed nihil est magnum somnianti. Quæro autem: cur Alexandro tam illustre somnium, tam certum, nec huic eidem alias, nec multa cæteris. mihi quidē præter hoc Marianū nihil sane, quod meminerim. frustra igitur consumptæ tot noctes tam longa in ætate: nunc quidem propter intermissionem forensis operæ & lucubrationes detraxi: & meridiationes addidi: quibus vti antea non solebam: nec tam multū dormiens vllo somnio sum admonitus, tantis præsertim de rebus: nec mihi magis vsquam videor, quàm cum aut in foro magistratus, aut in curia senatū video. somniare. Etenim ex diuisione hoc secundum est, quæ est continuatio: coniunctionis naturæ: quā, vt dixi, vocāt συμπάθειαν eiusmodi, vt thesaurus ex ouo intelligi debeat. nam medici ex quibusdā rebus, & aduenientes & crescentes morbos intelligunt: nonnullæ etiam valetudinis significationes, vt hoc ipsum, pleni, enectiue simus, ex quodam genere somniorum intelligi posse dicunt. thesaurus vero, & hæreditas, & honos, & victoria, & multa generis eiusdem, quæ cum somnys naturali cognatione iunguntur? dicitur quidam, cum in somnys complexu Venerio iungeretur, calculos eiecisse. video sympathiam. visum est enim tale obiectū dormienti: vt id, quod euenit, naturæ vis,

non opi-

non opinio erroris effecerit. quæ igitur natura obtulit illam speciem Simonidi? à qua vetaretur nauigare? aut quid naturæ copulatum habuit Alcibiadis, quod scribitur, somnium? qui paulo ante interitum, visus est in somnis amicæ esse amictus amiculo? is cum esset proiectus inhumatus: ab omnibusq; desertus iaceret: amica corpus eius texit suo pallio. ergo hoc inerat in rebus futuris, et causas naturaleis habebat? an, & vt videretur, & vt eueniret casus effecit? quid ipsorum interpretum coniecturæ, non ne magis ingenia declarant eorũ, quam vim, consensumq; naturæ? Cursor ad Olympia proficisci cogitans, visus est in somnis curru quadrigarum vehi. mane ad coniectorem. at ille: Vinces inquit. id enim celeritas significat, & vis equorum. post idem ad Antiphontem. is autem, vincare, inquit, necesse est. an non intelligis quatuor ante te cucurrisse? Ecce alius cursor. atq; horum somniorum, & talium plenus est Chrysippi liber, plenus Antipatri. sed ad cursorem redeo. ad interpretem detulit, aquilam se in somnis visum esse factum. at ille vicisti. ista enim auis volat nulla vehementius. huic equidem Antipho, Baro inquit te victum esse non vides? ista enim auis insectans alias aueis & agitans, semper ipsa postrema est. Parere quadã matrona cupiens, dubitans esset ne prægnans, visa est in quiete obsignatam habere naturam. retulit. negauit eam, quoniam obsignata fuisset, concipere potuisse. at alter prægnantem esse dixit. nam inane obsignari nihil solere. quæ est ista ars cõiectoris, eludẽtis ingenio? an ea, quæ dixi, & innumerabilia, quæ collecta habent Stoici, quicquam significant, nisi acumen hominum ex

similitudine aliqua coniecturam modo huc, modo illuc ducentium? medici signa quædam habent ex venis, & ex spiritu ægroti: multisq; ex alijs futura præsentiũt. Gubernatores cum exultantes Lolligines viderint, aut Delphinos se in portũ conijcientes: tempestatẽ significari putant. hæc ratione explicari, & ad naturam facile reuocari possunt. ea vero, quæ paulo ante dixi, nullo modo. At enim obseruatio diuturna (hæc enim pars vnarestat) notandis rebus facit artem. an tandem somnia obseruari possunt? quonam modo? sunt enim innumerabiles varietates. nihil tam præpostere, tã incondite, tam monstruose cogitari potest: quod non possimus somniare. quomodo igitur hæc infinita, et semper noua, aut memoria cõplecti, aut obseruando notare possumus? Astrologi motus errantium stellarum notauerũt. inuentus est enim ordo, in ijs stellis, qui nõ putabatur. cedò tandẽ qui sit ordo, aut quæ concursatio somniorum? quo modo autem distingui possunt vera somnia à falsis: cum eadem, & alijs aliter euadant, & ijsdem non semper eodem modo. vt mihi mirum videatur, cũ mendaci homini, ne verum quidem dicenti credere soleamus: quo modo isti, si somnium verum euasit aliquod, non ex multis potius vni fidem derogant, quam ex vno innumerabilia confirmant? si igitur neq; deus est effector somniorum: neq; naturæ societas vlla cum somnys: neq; obseruatione inueniri potuit scientia: effectum est, vt nihil prorsus somnys tribuendũ sit. præsertim cum illi ipsi, qui ea vident, nihil diuinent: ij qui interpretantur, coniecturam adhibeant, nõ naturam: casus autẽ innumerabilibus pene sæculis in omnibus plura mirabilia, quàm in

somniorum

somniorum visis effecerit: neq; coniectura quæ in varias partes duci potest, nonnunquam etiã in cõtrarias, quicquam sit incertius: explodatur hæc quoq; somniorum diuinatio pariter cum cæteris. Nam, vt vere loquamur, superstitio fusa per gentes, oppressit omnium fere animos: atq; hominum imbecillitatẽ occupauit. quod & his libris dictum est, qui sunt de natura deorum: & hac disputatione id maximè egimus. multum enim & nobismetipsis, & nostris profuturi videbamur, si eam funditus sustulissemus. Nec vero (id enim diligenter intelligi volo) superstitione tollenda religio tollitur. nam & maiorum institutа tueri, sacris, cerimonijsq; retinendis sapientis est: & esse præstantem aliquam, æternamque naturam, & eam suspiciendã, admirandámq; hominum generi, pulchritudo mundi, ordoq; rerum cœlestium cogit confiteri. quamobrem vt religio propaganda etiam est, quæ est iuncta cum cognitione naturæ: sic superstitionis stirpes omnes eyciendæ sunt. instat enim & vrget: & quocunq; te verteris, persequitur, siue tu vatem, siue tu omen audieris: siue immolaris: siue auem aspexeris: si Chaldæũ, si aruspicem videris: si fulserit: si tonuerit: si tactum aliquid erit de cœlo: si ostenti simile natum, factúmue quippiam: (quorum necesse est plerumq; aliquid eueniat: vt nunquam liceat quieta mente cõsistere) perfugium videtur omnium laborum et sollicitudinum esse somnus. at ex eo ipso plurimæ curæ, metusq; nascuntur. qui quidem ipsi per se minus valerent: & magis contemnerentur: nisi somniorum patrocinium philosophi suscepissent. nec ij quidem contemptissimi, sed in primis acuti, &

tia & repugnantia videntes: qui prope iam absoluti, & perfecti putantur. quorum licentia nisi Carneades restitisset: haud scio, an soli iam philosophi iudicarentur. cũ quibus omnis fere nobis disceptatio, contentioq; est. non quod eos maximè contemnamus: sed quod videntur acutissime sententias suas prudentissimeq; defendere. cum autem proprium sit Academiæ, iudicium suum nullũ interponere: ea probare, quæ simillima veri videantur: conferre causas: & quid in quamq; sententiam dici possit expromere, nulla adhibita sua authoritate: iudicium audientium relinquere integrũ, ac liberum: tenebimus hanc cõsuetudinem à Socrate traditam: eaq; inter nos, si tibi Quinte frater placebit, quàm sæpissime vtemur. mihi vero, inquit ille, nihil potest esse iucundius. quæ cum essent dicta, surreximus.

M. T. CICERONIS DE FATO LIBER.

Deest principium.

Q *Via pertinet ad mores, quod ἦθος illi: nos eam partē philosophiæ de moribus appellare solemus. sed decet augentem linguā Latinā, nominare moralem. explicandaq3 vis est, ratioq3 enuntiationum: quæ Græci ἀξιώματα vocant: quæ de re futura cum aliquid dicunt, deq3 eo, quod possit fieri, aut nō possit: quam vim habeant, obscura quæstio est: quam περὶ δυνατῶν philosophi appellant: totaq3 est logice: quam rationem disserendi voco. Quod autem in alijs libris feci, qui sunt de natura deorum: itemq3 in his, quos de diuinatione edidi: vt in vtramq3 partē perpetua explicaretur oratio: quo facilius id à quoq3 probaretur, quod cuiq3 maximè probabile videretur: in hac disputatione de fato casus quidā, ne facerem, impediuit. nā cū essem in Puteolano, Hirciusq3 noster, cōsul designatus, ijsdem in locis, vir nobis amicissimus, & his studijs, in quibus nos à pueritia viximus, deditus: multū vnà eramus, maximè nos quidē exquirentes ea consilia, quæ ad pacem, & ad concordiam ciuium pertinerent. cum enim omnes post interitum Cæsaris nouarum perturbationum causæ quæri viderentur: hisq3 esse occurrendū putaremus: omnis ferè nostra in his deliberationibus cōsumebatur oratio. idq3 & sæpe aliàs, & quodam liberiore, quàm solebat, & magis vacuo ab interuentoribus die, cum*

ille ad me veniſſet: primo illa, quæ erant quotidiana, & quaſi legitima nobis, de pace, & de ocio. dicta ſunt. quibus actis, Quid ergo, inquit ille: quoniã oratorias exercitationes nõ tu quidẽ, vt ſpero, reliquiſti: ſed certè philoſophiã illis antepoſuiſti: poſsũne aliquid audire? Tu vero, inquã, vel audire: vel dicere. nec enim (quod rectè exiſtimas) oratoria illa ſtudia deſerui: quibus etiã te incendi, quãquã flagrantiſſimũ acceperã: nec ea quæ nũc tracto, minuunt: ſed augent potius illã facultatem. Nam cum hoc genere philoſophiæ. quod nos ſequimur: magnã habet orator ſocietatẽ. ſubtilitatẽ enim ab Academia mutuatur, & ei viciſſim reddit vbertatẽ orationis, & ornamenta dicendi. quamobrem, inquã, quoniam vtriuſq; ſtudij noſtra poſſeſſio eſt: hodie, vtro frui malis, optio ſit tua. Tum Hircius gratiſſimũ inquit: & tuorũ omnium ſimile. nihil enim vnquã abnuit voluntas tua meo ſtudio: ſed quoniam mihi Rhetorica veſtra ſãt nota: téq; in his & audiuimus ſæpe, et audiemus: atq; hãc' Academicorum cõtra propoſitum diſputandi conſuetudinem indicant te ſuſcepiſſe Tuſculanæ diſputationes: proponere aliquid, ad quod audiam, ſi tibi non eſt moleſtum, volo. An mihi, inquam, poteſt quicquam eſſe moleſtũ, quod tibi gratum futurum ſit? ſed ita audies: vt Romanum hominem: vt timidè ingredientem ad hoc genus diſputandi: vt longo interuallo hæc ſtudia repetentem. Ita, inquit, audiam te diſputantem: vt ea lego, quæ ſcripſiſti, proinde ordire.

Multa

Multa desunt.

Considerabamus hic: quorum in alijs: vt in Antipatro poëta: vt in brumali die natis: vt in simul ægrotantibus fratribus: vt in vrina: vt in vnguibus: vt in reliquis eiusmodi, naturæ contagio valeret: quam ego non tollo. vis est nulla fatalis. In alijs autem fortuita quædam esse possunt. vt in illo naufragio, vt in Icadio, vt in Daphita. quædam etiam Possidonius (pace magistri dixerim) comminisci videtur. sunt quidem absurda. quid enim, si Daphitæ fatum fuit de equo cadere, atque ita perire: ex hoc ne equo, qui cum equus non esset, nomen habebat alicnũ? aut Philippus hasce in capulo quadrigulas vitare monebatur? quasi verò capulo sit occisus. quid autẽ magnum, & naufragum illum sine nomine in riuo esse lapsum? quanquam huic quidem hic scribit prædictũ in aqua esse pereundum. ne hercule Icady quidem prædonis video fatũ vllũ. nihil enim scribit ei prædictum. quid mirum igitur ex spelunca saxum in crura eius incidisse? puto enim etiã si Icadius tũ in spelunca nõ fuisset: saxum tamẽ illud casurum fuisse. nam aut nihil est omnino fortuitum: aut hoc ipsum potuit euenire fortuna. Quæro igitur (atq; hoc late patebit) si fati omnino nullũ nomẽ, nulla natura, nulla vis esset: & forte, temere, casũ aut pleraq; fierẽt: aut omnia: num aliter, ac nũc eueniunt, euenirent? quid ergo attinet inculcare fatũ? cum sine fato, ratio omnium rerum ad naturam, fortu-

nam'ue referatur. sed Possidonium, sicut æquum est, cũ bona gratia dimittamus: ad Chrysippi laqueos reuertamur. cui primũ quidem de ipsa rerum contagione respondeamus: reliqua postea prosequemur. inter locorum naturas quantũ interſit, videmus: alios esse salubres: alios pestilẽtes: in alys esse pituitosos, & quasi redundantes: in alijs exiccatos, atq; aridos: multaq; sunt alia, quæ inter locum, et locum plurimum differunt. Athenis tenue cœlum: ex quo acutiores etiam putantur Attici. crassum Thebis, itaq; pingues Thebani, & valentes. tamen neq; illud tenue cœlũ efficiet, vt aut Zenonem quis, aut Arcesilã, aut Theophrastũ audiat: neq; Crassum, vt Nemea potius, quàm Isthmo victoriã petat: disiunge longius. quid enim loci natura afferre potest, vt in porticu Pompey potius, quàm in campo ambulemus? tecum, quàm cum alio? Idibus potius, quàm Calendis? vt igitur ad quasdam res natura loci pertinet aliquid: ad quasdam autem nihil: si affectio astrorum valeat, si vis, ad quasdam res: ad omnes certe non valebit. At enim quoniam in naturis hominum dissimilitudines sunt: vt alios dulcia, alios subamara delectent: alij libidinosi, alij iracundi, aut crudeles, aut superbi sint: alij talibus vicijs abhorreant: quoniam igitur inquit tantum natura, à natura distat: quid mirum est, has dissimilitudines ex differentibus causis esse factas? hæc disserens, qua de re agatur, & in qua causa consistat, non videt. non enim si aly ad alia propensiores sint propter causas naturales, & antecedentes: iccirco etiam nostrarum voluntatum, atque appetitionum sunt causæ naturales, & antecedentes. nam nihil esset in nostra

pote-

potestate: si res ita se haberet. nunc vero fatemur, acuti, hebetes ne, valentes, imbecilli ne simus, non esse id in nobis. qui autem ex eo cogi putat, ne vt sedeamus quidem, aut ambulemus, voluntatis esse: is non videt quæ quanque res consequatur. vt enim & ingenioſi, & tardi, ita nascantur antecedentibus causis: item q3 valentes, & imbecilli: non sequitur tamen, vt etiã sedere eos, & ambulare, & rem agere aliquam principalibus causis definitum, & constitutũ sit. Stylphonem Megareum philosophum, acutum sane hominem, & probatũ temporibus illis accepimus. hunc scribunt ipsius familiares, & ebrioſum, & mulieroſum fuisse: neq3 hæc scribunt vituperantes: sed potius ad laudem. vitioſam enim naturam ab eo ſic edomitam, & compreſſam esse doctrina: vt nemo vnquam vinolentum illũ, nemo in eo libidinis vestigium viderit. quid? Socratem nonne legimus quemadmodum notarit Zopyrus Phyſiognomon? qui ſe profitebatur hominum mores, naturas q3, ex corpore, oculis, vultu, fronte, pernoscere? ſtupidum esse Socratem dixit, & bardum: quod iugula concaua non haberet: obſtructas eas partes, & obturatas esse dicebat: addidit etiam mulieroſum. in quo Alcibiades cachinnum dicitur ſuſtuliſſe. ſed hæc ex naturalibus causis vitia naſci poſſunt: extirpari autem, & funditus tolli, vt is ipſe, qui ad ea propenſus fuerit, à tantis vitijs auocetur: non eſt id poſitum in naturalibus causis: ſed in voluntate, ſtudio, diſciplina. quæ tolluntur omnia: ſi vis & natura fati ex diuinationis ratione firmabitur. etenim ſi eſt diuinatio: qualibus nam à præceptis artis proſicisciſtur? præcepta appello quæ dicuntur Græce θεωρήματα.

non

non enim credo nullo præcepto aut cæteros artifices versari in suo munere: aut eos, qui diuinatione vt antur futura prædicere. Sunt igitur astrologorũ præcepta huiusmodi. Si quis, verbi causa, oriente Canicula natus est: is in mari non morietur. vigila Chrysippe: ne tuam causam, in qua tibi cum Diodoro, valente dialectico, magna luctatio est, deseras. Si enim verum est, quod ita connectitur: si quis oriente canicula natus est: in mari non morietur: illud quoque verum est: si Fabius oriente canicula natus est: Fabius in mari non morietur. pugnant igitur hæc inter se: Fabium oriente canicula natum esse: & in mari Fabium moriturum: & quoniam certũ in Fabio ponitur ortum esse eũ canicula oriente: hæc quoq; pugnant: & esse Fabiũ: & in mari moriturũ. ergo hæc quoq; cõiunctio est ex repugnãtibus: & est Fabius: & in mari Fabius nõ morietur. quod vt propositũ est, ne fieri quidẽ potest. ergo illud, morietur in mari Fabius, ex eo genere est, quod fieri non potest. omne igitur quod falsum dicitur in futuro, id fieri non potest. at hoc Chrysippe minime vis: maximeq; tibi de hoc ipso cum Diodoro certamen est. ille enim id solum fieri posse dicit, quod aut sit verum: aut futurum sit verum: & quicquid futurum sit: id dicit fieri necesse esse: &, quicquid non sit futurum: id negat fieri posse. tu & quæ non sunt futura, posse fieri dicis: vt frangi hanc gemmam: etiam si id nunquam futurum sit: neque necesse fuisse Cypselum regnare Corinthi: quanquam id millesimo antè anno Apollinis oraculo edictum esset. at si ista cõprobabis diuina prædicta: & quæ falsa in futuris dicentur, in his habemus, vt ea fieri non possint: vt, si dicatur, Africanum

canum Carthagine potiturum, & si vere dicatur de futuro, idq; ita futurum sit, dicas esse necessarium. quæ est tota Diodori vobis inimica sententia. etenim si illud vere cõnectitur: Si oriente Canicula natus es: in mari non morieris: primum q;, quod est in connexo. natus es oriente caniculæ, necessariũ est: (omnia enim vera in præteritis necessaria sunt: vt Chrysippo placet, dissentienti à magistro Cleanthe: quia sunt immutabilia: nec in falsum è vero præterita possunt conuerti.) si igitur quod primum in cõnexo est, necessarium est: fit etia quod consequitur, necessariũ. quanquã hoc Chrysippo non videtur valere in omnibus. sed tamen, si naturalis est causa, cur in mari Fabius non moriatur: in mari Fabius mori non potest. Hoc loco Chrysippus æstuans falli sperat Chaldæos, cæteros q; diuinos: neque eos vsuros esse coniunctionibus: vt ita sua præcepta pronuncient, Siquis natus est oriente canicula: is in mari nõ morietur: sed potius ita dicẽt: nõ & natus est quis oriente canicula: & is in mari morietur. O licentiã iocularem: ne ipse incidat in Diodorũ, docet Chaldæos, quo pacto eos exponere præcepta oporteat. quæro enim, si Chaldæi ita loquantur, vt negationes infinitarũ coniunctionũ potius, quã infinita cõnexa ponãt: cur idẽ medici, cur geometræ, cur reliqui facere nõ possint? Medicus inprimis, quod erit ei perspectũ in arte, non ita proponet: Si cui venæ sic mouentur: is habet febrem: sed potius illo modo: Non & ei venæ sic mouentur: & febrem is nõ habet. item q; geometres non ita dicet: si in sphæra maximi orbes sunt: medij inter se diuiduntur: sed potius illo modo: Non & sunt in sphæra maximi orbes: & hi non medij inter se diuiduntur. quid

est,

est, quod non possit isto modo ex connexo transferri ad coniunctionum negationem? & quidem alys modis eadem res efferre possumus. modo dixi, In sphæra maximi orbes sunt, medij inter se diuiduntur: possum dicere, In sphæra maximi orbes erunt. possum dicere, Quia in sphæra maximi orbes erunt. multa genera sunt enuntiandi: nec vllum distortius, quàm hoc, quo Chrysippus sperat Chaldæos contentos Stoicorum causa fore. illorum tamẽ nemo italo[illegible]uitur. maius est enim has cõtortiones orationis, quàm signorum ortus, obitusq; perdiscere. sed ad illã Diodori contentionem, quam περὶ δυνατῶν appellant, reuertamur. in qua quid valeat id, quod fieri possit, inquiritur. Placet igitur Diodoro, id sõlum fieri posse, quod aut verum sit: aut verum futurum sit. qui locus attingit hanc quæstionem: Nihil fieri, quod non necesse fuerit: & quicquid fieri possit, id aut esse iam: aut futurum esse: nec magis commutari ex veris in falsa ea posse, quæ futura sunt. quàm ea, quæ facta sunt. sed in factis immutabilitatem apparere: in futuris quibusdam quia non apparent, ne necesse quidem videri. vt in eo, qui mortifero morbo vrgeatur, verum sit. Hic morietur hoc morbo. at hoc idem si vere dicatur in eo, in quo vis morbi tanta non appareat: nihilominus futurum sit. ita fit, vt commutatio ex vero in falsum ne in futuro quidem vlla fieri possit. nam morietur Scipio, talem nim habet, vt quanquam de futuro dicetur: tamen id non possit conuerti in falsum. de homine enim dicitur: cui necesse est mori. sic si diceretur, morietur noctu in cubiculo suo Scipio, vi oppressus: vere dicere tur. id enim fore diceretur, quod esset futurũ. futurũ autem fuisse,

tem fuisse, ex eo, quia factum est, intelligi debet: nec magis erat verum, Morietur Scipio: quàm morietur illo modo: nec minus necesse est mori Scipioni: quàm illo modo mori: nec magis immutabile ex vero in falsum, necatus est Scipio: quàm necabitur Scipio. nec, cum hæc ita sint, est causa, cur Epicurus fatum extimescat: & ab atomis petat præsidiũ: easq; de via deducat: et vno tẽpore suscipiat res duas inenodabiles: vnam, vt sine causa fiat aliquid: ex quo existet, vt de nihilo quippiã fiat: quod nec ipsi, nec cuiquam physico placet: alterã, vt cum duo individua per inanitatem ferantur: alterum è regione moueatur: alterum declinet. licet enim Epicuro, concedenti omne enunciatum aut verum, aut falsum esse, nõ vereri, ne omnia fato fieri sit necesse. non enim æternis causis naturæ necessitate manantibus, verũ est id, quod ita enunciatur: Descendit in academiam Carneades: nec tamen sine causis: sed interest inter causas fortuito antegressas: & inter causas cohibentes in se efficientiam naturalem. ita & semper verum fuit, morietur Epicurus, cũ duo & septuaginta annos vixerit, Archonte Pytarato: neque tamen erant causæ fatales, cur ita accideret: sed quod ita cecidisset: certe casurũ sicut cecidit fuit. nec ij, qui dicunt immutabilia esse, quæ futura sint: nec posse verum futurum conuerti in falsum: fati necessitatem confirmant: sed verborum vim interpretantur. at qui introducunt causarum seriem sempiternam: hi mentem hominis voluntate libera spoliatã, necessitate fati deuinciunt. sed hæc hactenus. alia videamus. concludit enim Chrysippus hoc modo: Si est motus sine causa: nõ omnis enũciatio, quod ἀξίωμα dialectici appellant,

aut

aut vera, aut falsa erit. causas enim efficientes quod nẽ habebit: id nec verum, nec falsum erit. omnis autem enunciatio, aut vera, aut falsa est. motus ergo sine causa nullus est. quod si ita est: omnia, quæ fiunt, causis fiunt antegressis. id si ita est: omnia fato fiunt. efficitur igitur fato fieri quæcunq; fiant. Hic primum si mihi libeat assentiri Epicuro: & negare omnẽ enunciationem aut veram esse, aut falsam: eam plagam potius accipiã, quàm fato omnia fieri comprobem. illa enim sententia aliquid habet disputationis: hæc vero nõ est tolerabilis. itaque cõtendit omnes neruos Chrysippus: vt persuadeat omne axioma aut verũ esse, aut falsum. vt enim Epicurus vereretur, ne, si hoc concesserit, cõcedendum sit, fato fieri quæcunq; fiant (si enim alterutrum ex æternitate verũ sit: esse id etiam certum: &, si certum: etiam necessarium) ita & necessitatem, & fatũ confirmari putat. sic Chrysippus metuit, ne, si nõ obtinuerit omne quod enũcietur, aut verum esse, aut falsum: non teneat omnia fato fieri, & ex causis æternis rerum futurarum. sed Epicurus declinatione atomi vitari fati necessitatem putat. itaque tertius quidam motus oritur extra pondus, & plagam: cum declinat atomus interuallo minimo. id appellat, ἐλάχιστον. quam declinationem sine causa fieri, si minus verbis, re cogitur confiteri. Non enim Atomus, ab atomo pulsa declinat. nam qui potest pelli alia ab alia, si grauitate feruntur ad perpendiculũ corpora indiuidua, rectis lineis? vt Epicuro placet. sequitur enim, vt, si alia ab alia nunquã depellatur: ne contingat quidẽ alia aliam. ex quo efficitur, vt iam si sit Atomus: eaq; declinet: declinare sine causa. Hanc rationẽ Epicurus induxit

rus induxit ob eam rem: quòd veritus est, ne, si semper Atomus grauitate ferretur naturali, ac necessaria: nihil liberũ nobis esset: cũ ita moueretur animus, vt Atomorum motu cogeretur. Hinc Democritus author Atomorũ accipere maluit, necessitate omnia fieri: quã à corporibus indiuiduis naturales motus auellere. Acutius Carneades: qui docebat, posse Epicureos suã causam sine hac commentitia declinatione defendere. nam cũ doceret, esse posse quendam animi motũ volũtarium: id fuit defendi melius: quàm introducere declinationem: cuius præsertim causam reperire nõ possunt. quo defenso, facile Chrysippo possent resistere. cum enim concessissent motũ nullum esse sine causa: non concederent, omnia quæ fierẽt, fieri causis antecedentibus. voluntatis enim nostræ non esse causas externas, & antecedentes. communi igitur consuetudine sermonis abutimur: cum ita dicimus: velle aliquid quempiam, aut nolle sine causa. ita enim dicimus, sine causa: vt dicamus sine externa & antecedente causa: non sine aliqua. vt cum vas inane dicimus: non ita loquimur vt physici: quibus inane esse nihil placet: sed ita, vt (verbi causa), sine aqua, sine vino, sine oleo vas esse dicamus. sic, cum sine causa animũ moueri dicimus: sine antecedente & externa causa moueri, non omnino sine causa, dicimus. de ipsa Atomo dici potest, cum per inane moueatur grauitate, & pondere: sine causa moueri: quia nulla causa accedat extrinsecus. rursus autẽ, ne omnes à physicis irrideamur: si dicamus quicquam fieri sine causa: distinguendum est, & ita dicendum: ipsius indiuidui hanc esse naturam: vt pondere & grauitate moueatur: eamq; ipsam

esse causam cur ita feratur. similiter ad animorum motus voluntarios, non est requirenda externa causa. motus enim voluntarius eam naturam in se ipso continet: vt sit in nostra potestate: nobisq; pareat. nec id sine causa. eius enim rei causa, ipsa natura est. quod cum ita sit: quid est, cur nõ omnis pronunciatio aut vera, aut falsa sit? nisi concesserimus fato fieri quæcunq; fiant? quia futura inquit vera nõ possunt esse ea, quæ causas cur futura sint, nõ habent. habeant igitur causas necesse est: vt ea, quæ vera sunt, ita cũ euenerint, fato euenerint. cõfectum negocium, si quidem tibi concedendũ est, aut fato omnia fieri: aut quicquàm posse fieri sine causa. aliter hæc annunciatio vera esse nõ potest: capiet Numãtiam Scipio, nisi ex æternitate causa causam serens hoc erit effectura? an hoc falsum potuisset esse, si esset sexcentis sæculis antea dictum. & si tum nõ esset vera hæc enunciatio, capiet Numantiã Scipio: ne illa quidẽ vera est hæc enunciatio, capiet Numantiã Scipio. potest igitur quicquam factum esse: quod nõ verum fuerit futurum esse. nã vt præterita ea vera dicimus, quorum superiore tempore vera fuerint instantia: sic futura, quorũ consequenti tempore vera erunt instantia, ea vera dicemus. nec si omne enunciatum aut verum, aut falsum est: sequitur ilico esse causas immutabiles, easq; æternas: quæ prohibeant quicquã secus cadere, atq; casurũ sit: fortuitæ sunt causæ, quæ efficiant, vt vere dicantur, quæ ita dicentur: Veniet Cato in senatum: nõ inclusa in rerum natura, atq; mundo. & tamen tam est immutabile venturum, cum est verum: quàm venisse. nec ob eam causam fatũ, aut necessitas extimescenda est. Etenim erit

nim erit confiteri necesse. si hæc enunciatio, veniet in Tusculanum Hortensius, verũ nõ est: sequitur vt falsum sit. quorum isti neutrum volũt: quod fieri nõ potest, nec nos impediet illa ignaua ratio, quæ dicitur. appellatur enim quidam à philosophis ἀργὸς λόγος: cui si pareamus, nihil est omnino, quod agamus in vita. sic enim interrogant: Si fatum tibi est, ex hoc morbo conualescere: siue tu medicum adhibueris: siue non adhibueris, conualesces. item, si fatum tibi est, non conualescere: siue medicum adhibueris: siue non: nõ conualesces: & alterutrum fatũ est: medicũ ergo adhibere nihil attinet. recte genus hoc interrogationis, ignauum, atq; iners nominatum est, quod eadem ratione omnis è vita tollitur actio. licet etiam immutare: vt fati nomen nõ adiungas: & eandem tamen teneas sententiam: hoc modo. Si ex æternitate verum hoc fuit, Ex isto morbo conualesces: siue adhibueris medicum: siue non: conualesces. item q3, Si ex æternitate hoc falsum fuit, Ex isto morbo nõ conualesces: siue adhibueris medicum: siue nõ adhibueris: non conualesces. deinde cætera. hæc ratio à Chrysippo reprehenditur. quædam enim sunt, inquit, in rebus simplicia: quædam copulata. simplex est, morietur eo die Socrates. huic siue quid fecerit, siue non fecerit, finitus est moriendi dies. at si ita fatum sit, nascetur Oedipus Laio: non poterit dici siue fuerit Laius cum muliere, siue non fuerit. (copulata enim res est, & confatalis, sic enim appellat) quia ita fatum sit, & cõcubiturum cum vxore Laium: & ex ea Oedipum procreaturum, vt si esset dictum, Luctabitur Olympy, Milo: & referret aliquis: Ergo, siue habuerit aduer-

sarium, siue non habuerit, luctabitur: erraret. est enim copulatū, Luctabitur. quia sine aduersario nulla luctatio est. omnes igitur istius generis captiones eodem modo refelluntur. siue tu adhibueris medicum, siue nō adhibueris, conualesces: captiosum. tam enim est fatale medicum adhibere, quàm conualescere. hæc (vt dixi) confatalia ille appellat. Carneades hoc totum genus non probabat: & nimis inconsideratè concludi hanc rationem putabat. itaq; premebat alio modo: nec vllam adhibebat calumniam. cuius erat hæc conclusio. Si omnia antecedentibus causis fiunt: omnia naturali colligatione consertè, contextéq; fiunt. quod si ita est: omnia necessitas efficit. id si verum est: nihil est in nostra potestate. est autem aliquid in nostra potestate. ac, si omnia fato fiunt, omnia causis antecedentibus fiunt. non igitur fato fiunt, quæcunq; fiunt. hæc arctius astringi ratio non potest. nam si quis velit idem referre: atq; ita dicere: si omne futurum, ex æternitate verum est: vt ita certe eueniat, quem admodum sit futurum: omnia necesse est colligatione naturali conserte, contexteq; fieri: nihil dicat. multum enim differt vtrum causa naturalis, ex æternitate futura vera efficiat: an etiam sine æternitate naturali futura quæ sint, ea vera esse, possint intelligi. itaq; dicebat Carneades, ne Apollinem quidem futura posse dicere: nisi ea, quorum causas naturaita contineret: vt ea fieri necesse esset. quid enim spectans deus ipse diceret, Marcellum eum, qui ter consul fuit, in mari esse periturū? erat quidem hoc verum ex æternitate: sed causas id efficientes nō habebat. ita ne præterita quidem ea, quorum nulla signa, tanquam vestigia extarent,

extarent, Apollini notæ esse censebat. quo minus futura. causis enim efficientibus quanq; rẽ cognitis, posse deniq; sciri quid futurum esset, ergo nec de Oedipo potuisse Apollinem prædicere, nullis in rerum natura causis præpositis, cur ab eo patrem interfici necesse esset: nec quicquam huiusmodi. Quocirca si Stoicis, qui omnia fato fieri dicunt, cõsentaneum est huiusmodi oracula, cæteraq; quæ ad diuinationem pertinent, comprobare: his autem, qui, quæ futura sunt, ea vera esse ex æternitate dicunt, nõ idem dicendum est. vide, ne nõ eadem sit illorum causa, & Stoicorum. hi enim vrgentur angustius: illorum ratio soluta, ac libera est. Quod si concedatur nihil posse euenire, nisi causa antecedẽte: quid proficiatur, si ea causa, non ex æternis causis apta dicatur? causa autem ea est, quæ id efficit, cuius est causa: vt vulnus mortis, cruditas morbi, ignis ardoris. ita q; nõ sic causa intelligi debet: vt, quod cuiq; antecedat, id ei causa sit: sed quod cuiq; efficienter antecedat. nec, quod in campum descẽderim, id fuisse causæ, cur pila luderẽ. nec Hecubam, causam interitus fuisse Troianis, quod Alexandrũ genuerit: nec Tyndareum Agamemnoni, quod Clytemnestram. hoc enim modo viator quoq; bene vestitus causa grassatori fuisse diceretur: cur ab eo spoliaretur. ex hoc genere illud est Enny.

Vtinam ne in nemore Pelio securibus
Cæsa, cecidisset abiegna ad terram trabes.

licuit vel altius: vtinam ne in Pelio nata vlla vnquam esset arbor: etiam supra: vtinam ne esset mons vllus Pelius? similiterq; superiora repetentem regredi in infinitum licet.

Ne've inde nauis inchoandæ exordium
Cepisset.
quorsum hæc præterita? quia sequitur illud,
Nam nunquã hera errans mea, domo efferret pedem,
Medea, animo ægro, amore sæuo saucia.
Nõ vt hæ res causam afferrent amoris. interesse autem
aiunt, vtrum eiusmodi quid sit, sine quo aliquid effi-
ci nõ possit: an eiusmodi, quo aliquid effici necesse sit. nul
la igitur earum causa est, quoniam nullam rem sua vi
efficit, cuius dicitur causa. nec id, sine quo quippiam nõ
fit, causa est: sed id quod cum accessit, id, cuius causa est,
efficit necessario. Nondum enim vlcerato serpentis mor-
su Philocteta, quæ causa in rerũ natura continebatur,
fore, vt is in insula Lemno linqueretur? post autem cau-
sa fuit propior, & cum exitu iunctior ratio igitur euen-
tus aperit causam: sed ex æternitate vera fuit hæc enun-
ciatio: relinquetur in insula Philocteles: nec hoc ex ve-
ro in falsum poterat cõuerti: necesse est enim in rebus cõ
trarys duabus, contraria autem hoc loco ea dico, quo-
rum alterum aut quid: alterum negat, ex his igitur
necesse est inuito Epicuro, alterum verũ esse, alterum
falsum. vt, Sauciabitur Philocteles, omnibus ante sæcu
lis verum fuit: nõ sauciabitur, falsum. nisi forte volumus
Epicureorum opinionem sequi: qui tales enunciationes
nec veras, nec falsas esse dicunt, aut, cum id pudet: illud
tamen dicunt, quod est impudentius, veras esse ex con-
trarys disiunctiones. sed quæ in his enunciata essent, eo-
rum neutrum esse verum. O admirabilẽ licentiam, &
miserabilem inscitiã disserendi. si enim aliquid in elo-
quendo, nec verum, nec falsum est: certe id verum non
est. quod

est. quod autem verum non est: qui potest non falsum esse? aut quod falsum non est: qui potest nõ verum esse? tenebitur id, quod à Chrysippo defenditur. omnem enũciationem aut veram, aut falsam esse: ratio ipsa coget: & ex aeternitate quædam vera esse: & ea nõ esse nexa causis aeternis: & à fati necessitate esse libera. ac mihi quidẽ videtur, cum duæ sententiæ fuissent veterum philosophorum: vna eorum, qui censerent omnia ita fato fieri: vt id fatum vim necessitatis afferret: in qua sententia Democritus, Heraclitus, Empedocles, Aristoteles fuit. altera eorum, quibus viderentur sine vllo fato esse animorum motus voluntary: Chrysippus tanquã arbiter honorarius mediũ se ferre voluisse: sed applicat se ad eos potius: qui necessitate motus animos liberatos voluntadum autem verbis vtitur suis: delabitur in eas difficultates: vt necessitatem fati confirmet inuitus. atq; hoc, si placet, quale sit videamus, in assensionibus, quas primæ oratione tractaui. eas enim veteres illi, quibus omnia fato fieri videbantur, vi effici & necessitate dicebant. qui autẽ ab his dissentiebant, fato assensiones liberabant: negabantq; fato assensionibus adhibito, necessitatem ab his posse remoueri: yq; ita disserebant. Si omnia fato fiunt: omnia fiunt antecedente causa: & si appetitus: illa etiam quæ appetitũ sequũtur. ergo etiã assensiones. At, si causã appetitus non est sita in nobis: ne ipse quidem appetitus est in nostra potestate. quod si ita est: ne illa quidem, quæ appetitu efficiuntur sita in nobis sunt. non sunt igitur neq; assensiones, neq; actiones in nostra potestate. Ex quo efficitur, vt neq; laudationes iustæ sint: nec vituperationes: nec honores: nec supplicia.

quod cũ vitiosum sit: probabiliter concludi putant, non omnia fato fieri, quæcunq; fiant. Chrysippus autem cum & necessitatem improbaret: & nihil vellet sine præpositis causis euenire: causarum genera distinguit: vt & necessitatem effugiat: & retineat fatum. causarum enim, inquit, aliæ sunt perfectæ, & principales: aliæ adiuuantes & proximæ. quamobrem cum dicimus, omnia fato fieri causis antecedentibus: non hoc intelligi volumus, causis perfectis & principalibus: sed causis antecedentibus, adiuuantibus, & proximis. itaq; illi rationi quam paulo ante concluſi, sic occurrit: si omnia fato fiant, sequi illud quidem, vt omnia causis fiant antepositis: verum non principalibus causis, & perfectis, sed adiuuãtibus, & proximis. quæ si ipsæ non sint in nostra potestate: non sequitur, vt ne appetitus quidem sit in nostra potestate. at hoc sequeretur: si omnia perfectis, & principalibus causis fieri diceremus: vt cum hæ causæ non essent in nostra potestate: ne ille quidem esset in nostra potestate. quamobrem qui ita fatum introducunt: vt necessitatem adiungant: in eos valebit illa cõclusio. qui autem causas antecedentes non dicent perfectas, neq; principales, in eos nihil valebit. quod enim dicantur assensiones fieri causis antepositis: id quale sit, facile à se explicari putãt. nam quanquam assensio non possit fieri nisi commota viso: tamen cum id visum proximam causam habeat, nõ principalem: hanc habet rationem (vt Chrysippus vult) quam dudum diximus: non vt illa quidem fieri possit nulla vi extrinsecus excitata. (necesse est enim assensionem viso commoueri) sed reuertitur ad cylindrum, & turbinem suum,

quæ

quæ moueri incipere, nisi pulsa, non possunt. id autem cũ accidit: suapte natura quod supereſt, & cylindrum volui, & versari turbinem putant. vt igitur, inquit, qui protrusit cylindrum, dedit ei principium motionis: volubilitatẽ autẽ non dedit. sic visum obiectum imprimet illud quidem, & quasi signabit in animo suam speciem: sed assensio nostra erit in potestate: eaq́ue, quemadmodum in cylindro dictum est, extrinsecus pulsa, quod reliquum est, suapte vi, & natura mouebitur. quod si aliqua res efficeretur sine causa antecedente: falsum esset, omnia fato fieri. sin omnibus, quæcunque fiunt, verisimile est causam antecedere: afferri potest, cur nõ omnia fato fieri fatendum sit, modo intelligatur quæ sit causarum distinctio, ac dissimilitudo. hæc cum ita sint à Chrysippo explicata: si illi, qui negant assensiones fato fieri: fateantur tamen eas sine viso antecedente fieri: alia ratio est. sed si concedunt anteire visa: nec tamen fato fieri assensiones: quod proxima illa, & continens causa non moueat assensionem: vide ne idem dicant. neque enim Chrysippus concedens assensionis proximam, et continentem causam esse in viso positam: neque eã causam ad assentiendum, necessariam esse: concedet, vt, si omnia fato fiant, omnia fiant causis antecedentibus, & necessarys: itemq́; illi qui ab hoc dissentiunt, confitentes non fieri assensiones sine præcursione visorum, dicent, si omnia fato fierent eiusmodi: vt nihil fieret, nisi prægressione causæ: confitendum esse fato fieri omnia. ex quo facile intellectu est, cum vtrique patefacta, atque explicata sententia sua, ad eundem exitum veniant: verbis eos non re dissidere. omninoq́;

cum hæc sit distinctio, vt quibusdam in rebus vere dici possit: cum hæ causæ antegressæ sint: non esse in nostra potestate: quin illa eueniant: quorum causæ fuerint: quibusdam autem in rebus, causis antegressis, in nostra tamen esse potestate: vt illud aliter eueniat: hanc distinctionem vtriq; approbant. sed alteri censent, quibus in rebus, cum causæ antecesserint, non sit in nostra potestate, vt aliter illa eueniant: illas fato fieri: quæ autem in nostra potestate sint, ab his fatum abesse. hoc modo hanc causam disceptari oportet: non ab Atomis errantibus, & de via declinantibus præsidium petere. declinat, inquit, Atomus. primum cur? aliam enim quandam vim motus habebunt à Democrito impulsionis, (quam plagam ille appellat) à te Epicure grauitatis & ponderis. quæ ergo noua causa in natura est: quæ declinet Atomum? aut num sortiuntur inter se, quæ declinent? quæ non? aut cur minimo declinent interuallo, maiore non? aut cur declinent vno minimo, non declinent duobus, aut tribus? optare hoc quidem est, nõ disputare. nam neq; extrinsecus impulsam Atomum loco moueri, & declinari dicis: neque in illo inani, per quod feratur Atomus, quicquam fuisse causæ: cur ea non è regione ferretur: nec in ipsa Atomo mutationis aliquid factum est: quamobrem naturalem sui ponderis motum non teneret. ita cum attulisset nullam causam, quæ istam declinationem efficeret: tamen aliquid sibi dicere videtur: cum id dicat, quod omnium mentes aspernentur, & respuant. Nec vero quisquam magis confirmare mihi videtur non modo fatum, verum etiam necessitatem, & vim omniũ rerum: sustulisseq; motus animi

nimi voluntarios: quàm hic, qui aliter obsistere fato fatetur se non potuisse: nisi ad has commentitias declinationes confugisset. nam, vt essent Atomi, quas quidem esse, mihi probari nullo modo potest: tamen declinationes istæ, nunquam explicarentur. nam si Atomis, vt gravitate ferantur, tributum est necessitate naturæ: quod omne pondus nulla re impediente moueatur, & feratur necesse est: illud quoq; necesse est declinare quibusdam Atomis, vel, si volunt, omnibus naturaliter.

Multa desunt.



M. T. CICERONIS, SCIPIONIS SOMNIVM, EX LIBRO DE REP. SEXTO.

CVM in Africã veniſſem, Anitio Manilio COSS. ad quartam legionem tribunus (vt ſcitis) militum: nihil mihi potius fuit, quàm vt Maſaniſſam conuenirem: regem familiæ noſtræ iuſtis de cauſis amiciſſimum. ad quem vt veni: complexus me ſenex collachrymauit: aliquantoq; poſt ſuſpexit in cœlum: Et grates inquit tibi ago ſumme Sol, vobiſq; reliquis cœlites: quod antequam ex hac vita migro, conſpicio in meo regno, & his tectis P. Cornelium Scipionem: cuius ego nomine ipſe recreor. itaq; nunquam ex animo meo diſcedit illius optimi atq; inuictiſſimi viri memoria. Deinde ego illum de ſuo regno, ille me de noſtra Repub. percontatus eſt: multisq; verbis vltrò citroq; habitis, ille nobis conſumptus eſt dies. Poſt autem, regio apparatu accepti, ſermonem in multam noctem produximus: cũ ſenex nihil niſi de Africano loqueretur: omniaque eius, non ſolũ facta, ſed etiam dicta meminiſſet. deinde vt cubitum diſceſſimus: me & feſſum de via, & qui ad multã noctẽ vigilaſſem, arctior, quã ſolebat, ſomnus cõplexus eſt. Hic mihi (credo equidẽ, ex hoc quod eramus locuti. fit enim fere, vt cogitationes, ſermonesq; noſtri pariant aliquid in ſomnio tale, quale de Homero ſcribit Ennius, de quo videlicet ſæpiſſime vigilans ſolebat cogitare & loqui) Africanus ſe oſtendit ea forma, quæ

mihi

mihi ex imagine eius, quàm ex ipso erat notior. Quem, ut agnoui, equidem cohorrui. Sed ille, ades, inquit, animo & omitte timorem Scipio: & quæ dicam trade memoriæ. Vides ne illam vrbem, quæ parere populo Romano coacta per me, renouat pristina bella: nec potest quiescere? (ostendebat autem Carthaginem de excelso & pleno stellarum, illustri, & claro quodam loco) ad quam tu oppugnandam nunc venis penè miles. hanc hoc biennio consul euertes: eritq; cognomen id tibi per te partum, quod habes ex nobis adhuc hæreditarium. (cũ autem Carthaginem deleueris: triumphum tgeris: censorq; fueris: & obieris legatus Ægyptum, Syriam, Asiam, Græciam: delegere iterum absens consul: bellumq; maximum conficies, Numantiam excindes. sed cum eris curru capitolium inuectus: offendes Remp. perturbatã cõsilys neporis mei. Hic tu Africane ostendas oportebit patriæ lumen animi, ingenij, consiliq; tui. Sed eius temporis ancipitem video quasi fatorum viam. nam cum ætas tua septenos octies solis anfractus, reditusq; conuerterit: duoq; hi numeri, quorum vterq; plenus, alter altera de causa habetur: circuitu naturali summam tibi fatalem confecerint: in te vnum atq; in tuum nomen se tota conuertet ciuitas. te senatus, te omnes boni, te socij, te Latini intuebuntur. tu eris vnus, in quo nitatur ciuitatis salus. Ac ne multa, dictator Remp. constituas oportet: si impias propinquorum manus effugeris. Hic cum exclamasset Lælius: ingemuissentq; cæteri vehementius: leniter arridens Scipio, quæso, inquit, ne me è somno excitetis: & pax sit rebus. audite cætera. Sed quo sis Africane alacrior ad tutandam Remp. sic habeto:

beto: omnibus qui patriam conseruauerint, adiuuerint, auxerint, certum esse in cœlo ac definitum locum, vbi beati æuo sempiterno fruantur. nihil est enim illi principi Deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius, quàm concilia, cœtusq; hominũ iure sociati, quæ ciuitates appellantur. harum rectores, & conseruatores hinc profecti, huc reuertentur. Hic ego, & si eram perterritus, non tam metu mortis, quàm insidiarum à meis: quæsiui tamen viueret ne ipse & pater Paulus, & alij, quos nos extinctos arbitremur. Immo vero, inquit, hi viuunt, qui ex corporum vinculis, tanquam è carcere, euolauerunt. Vestra vero, quæ dicitur vita, mors est. Quin tu aspicias ad te venientẽ Paulum patrem. quem (vt vidi) equidem vim lachrymarum profudi. Ille autem me amplexus atq; osculans flere prohibebat. Atque ego, vt primum fletu represso loqui posse cœpi: quæsõ inquam pater sanctissime, atq; optime, quoniam hæc est vita (vt Africanum audio dicere) quid moror in terris? quin huc ad vos venire propero? Non est ita inquit ille. nisi enim cum Deus is, cuius hoc templum est omne quod conspicis, istis te corporis custodijs liberauerit: huc tibi aditus patere non potest. homines enim sunt hac lege generati, qui tuerentur illum globum, quem in hoc templo medium vides, quæ dicitur terra. husq; animus datus est ex illis sempiternis ignibus, quæ sydera et stellas vocatis: quæ globosæ et rotũdæ diuinis animatæ mẽtibus circulos suos, orbesq; conficiũt celeritate mirabili. quare & tibi Publi, et pys omnibus retinendus est animus in custodia corporis: nec iniussu eius, à quo ille est nobis datus, ex hominum vita

migran-

migrandum est: ne munus humanũ assignatum à Deo, defugisse videamini. sed sic Scipio, vt auus hic tuus, vt ego, qui te genui, iustitiam cole, & pietatem: qua cum sit magna in parentibus, & propinquis: tũ in patria maxima est. ea vita via est in cœlum, & in hunc cœtũ eorum, qui iam vixerunt, & corpore laxati illum incolunt locum, quem vides. erat autem is, splendissimo candore, inter flammas circulus elucens: quem vos (vt à Graijs accepistis) orbem lacteũ nũcupatis. ex quo omnia mihi contemplanti, præclara cætera, & mirabilia videbantur. erant autem eæ stellæ, quas nunquam ex hoc loco vidimus, & eæ magnitudines omnium: quas esse nunquam suspicati sumus. ex quibus erat illa minima, quæ vltima à cœlo, citima terris luce lucebat aliena. stellarum autem globi terræ magnitudinem facile vincebant. Iam vero ipsa terra ita mihi parua visa est: vt me imperij nostri, quo, quasi eius punctum attingimus, pœniteret. Quam cum magis intuerer: quæso, inquit, Africanus, quousque humi defixa tua mens erit? num ne aspicis quæ in templa veneris? nouem tibi orbibus vel potius globis connexa sunt omnia: quorum vnus est cœlestis extimus: qui reliquos omnes complectitur, summus ipse deus, arcens, & continens cæteros: in quo infixi sunt illi, qui voluuntur stellarum cursus sempiterni. cui subiecti sunt septem, qui versantur retro, contrario motu, atque cœlum ex quibus vnum globum possidet illa, quam in terris Saturniam nominant. deinde est hominum generi prosper & salutaris ille fulgor, qui dicitur Iouis. tum rutilus, horribilisque terris, quem Martem dicitis. deinde subter-

mediam

mediam ferè regionem Sol obtinet, dux, & princeps, & moderator luminum reliquorum, mens mundi, & temperatio, tanta magnitudine, vt cuncta sua luce lustret, & compleat. hunc, vt comites sequuntur, alter Veneris, alter Mercurij cursus. in infimoq; orbe luna radijs solis accensa, conuertitur. infra autem iam nihil est nisi mortale, & caducum, præter animos, generi hominum, munere deorum, datos. supra lunam sunt omnia æterna. nam ea, quæ est media & nona tellus, neq; mouetur: & infima est: & in ea feruntur omnia suo motu pondera. Quæ cum intuerer stupens, vt me recepi, quis hic inquam, quis est, qui complet aures meas tantus, & tam dulcis sonus? Hic est, inquit ille, qui interuallis coniunctus imparibus, sed tamen pro rata portione distinctus, impulsu & motu ipsorum orbium, efficitur: qui acuta cum grauibus temperans, æquabiliter concentus efficit. nec enim silentio tanti motus incitari possunt: & natura fert, vt extrema ex altera parte grauiter, ex altera autem acute sonent. quam ob causam summus ille cœli stelliferi cursus, cuius conuersio est concitatior, acuto & excitato mouetur sono: grauissimo autem hic lunaris, atq; infimus. nam terra nona immobilis manens, ima sede semper hæret, complexa medium mundi locum. Illi autem octo cursus, in quibus eadem vis est duorum, septem efficiunt distinctos interuallis sonos: qui numerus rerum omnium ferè nodus est. quod docti homines neruis imitati, atq; cantibus, aperuere sibi reditum ad hunc locum. sicut alij, qui præstantibus ingenijs in vita humana, diuina studia coluerunt. hoc sonitu completa

aures obsurduerunt. nec est vllus hebetior sensus in vobis. sicut, vbi Nilus ad illa, quæ cata dupa nominantur, præcipitat, ex altissimis montibus: ea gens quæ illum locum accolit, propter magnitudinem sonitus, sensu audiendi caret. hic vero tantus est totius mundi incitatissima conuersione sonitus: vt eum aures hominum capere non possint: sicut intueri solem nequitis aduersum: eius q3 radijs acies vestra, sensus q3 vincitur. Hæc ego admirans, referebam tamen oculos ad terram identidem. Tum Africanus, inquit. sentio te sedem etiam nunc hominum contemplari, ac domum. quæ si tibi parua (vt est) ita videtur: hæc cœlestia semper spectato: illa humana contemnito: tu enim quam celebritatem sermonis hominum, aut quam expetendam gloriam consequi potes? vides habitari in terra raris & angustis in locis: & in ipsis quasi maculis, vbi habitatur, vastas solitudines interiectas. hos q3 qui incolunt terram: non modo interruptos ita esse, vt nihil inter ipsos ab alijs ad alios manare possit: sed partim obliquos, partim versos, partim etiam aduersos stare vobis: à quibus spectare gloriam certe nullam potestis. cernis autem terram eandem, quasi quibusdam redimitam & circundatã cingulis, è quibus duos maximè inter se diuersos, & cœlis verticibus ipsis ex vtra q3 parte subnixos, obriguisse pruina vides. medium autem illum & maximum solis ardore torreri. duo sunt habitabiles: quorum australis ille, in quo, qui insistunt, aduersa vobis vrgent vestigia, nihil ad vestrum genus. hic autem alter, subiectus aquiloni, quem incolitis, certe quàm vos tenui parte cõtingat. omnis enim terra quæ colitur vobis, angustata

verticibus,

verticibus, lateribus latior, parua quædã insula est circunfusa illo mari, quod Atlanticum, quod magnũ, quod oceanum appellatis in terris, quitamen tanto nomine, quàm sit paruus, vides. ex his ipsis cultis, notisq; terris, num aut tuum, aut cuius q; nostrũ nomen vel Caucasum hunc, quem cernis, transcendere potuit? vel illum Gangem transnare? quis in reliquis orientis, aut obeuntis solis vltimis aut aquilonis, austriue partibus tuum nomen audiet? quibus amputatis, cernis profecto quantis in angustijs vestra gloria se dilatari velit. ipsi aũt qui de vobis loquuntur, quàm diu loquentur? quin etiam si cupiat proles illa futurorum hominum deinceps laudes vnius cuiusq; nostrũ à patribus acceptas posteris prodere: tamen propter eluuiones, exustionesq; terrarum, quas accidere tempore certo necesse est: non modo non aternam, sed ne diuturnam quidem gloriã assequi possumus. quid autem interest ab his, qui postea nascẽtur, sermonem fore de te, cum ab his nullus fuerit, qui ante te nati sint? qui nec pauciores, & certe meliores fuerunt viri: cum præsertim apud eos ipsos, à quibus nomen nostrum potest audiri, nemo vnius anni memoriam consequi possit. homines enim populariter annum tantummodo solis, id est, vnius astri reditũ metiuntur: cum autem ad idem, vnde semel profecta sunt, cuncta astra redierint: eandemq; totius cœli descriptionem longis interuallis retulerint: tum ille vere vertens annus appellari potest. in quo vix dicere audeo, quàm multa secula hominum teneantur. namq; vt olim deficere sol hominibus, extinguiq; visus est: cum Romuli animus hæc ipsa templa penetrauit: quandoq; eadẽ parte sol, eodemq;

tempore iterum defecerit: tum signis omnibus ad idem principium stellisq; reuocatis, expletum annum habeto. huius quidē anni nondum vigesimam partem scito esse conuersam. Quocirca, si reditum in hunc locum desperaueris, in quo omnia sunt magnis & præstantibus viris: quanti tandem est ista hominum gloria, quæ pertinere vix ad vnius anni partē exiguam potest? igitur alte spectare si voles: atq; ad hanc sedem, & æternam domum contueri: neq; sermonibus vulgi dederis te: nec in præmijs humanis spem posueris rerum tuarum. sui te illecebris oportet ipsa virtus trahat, ad verum decus. quid de te alij loquantur, ipsi videant. sed loquentur tamen, sermo autem omnis ille, & angustijs cingitur, his regionum, quas vides: nec vnquam de vllo perennis fuit: & obruitur hominum interitu: & oblivione posteritatis extinguitur. Quæ cum dixisset: Ego vero inquā ò Africane (si quidem benemeritis de patria quasi limes ad cœli aditum patet) quanquam à pueritia vestigijs ingressus patrijs, & tuis, decori vestro non defui: nunc tamen tanto præmio proposito, enitar multo vigilantius. Et ille. Tu vero enitere: & sic habeto, te non esse
" mortalem, sed corpus hoc. nec enim is es, quē forma ista
" declarat: sed mens cuiusq; is est quisq;, nō ea figura, quæ
" digito demonstrari potest. deum te igitur scito esse. si quidem deus est qui viget: qui sentit: qui meminit: qui prævidet: qui tam regit, & moderatur, & mouet id corpus,
" cui præpositus est: quā hunc mundū princeps ille Deus.
" & vt ipse mundum ex quadam parte mortalem ipse
" Deus æternus, sic fragile corpus animus sempiternus mo
" uet. nam quod semper mouetur, æternum est. quod autē

motum

motum affert alicui: quod ipsum agitatur aliunde: quã do finem habet motus, viuendi finem habeat necesse est. Solum igitur quod sese mouet, quia nunquam deseritur à se, nunquam ne moueri quidẽ desinit: quin etiam cæteris, quæ mouentur, hic fons, hoc principium est mouendi. principio autem nulla est origo. nã ex principio oriuntur omnia: ipsum autẽ nulla ex re nasci potest. nec enim esset hoc principium, quod gigneretur aliunde. quod si nunquam oritur, ne occidit quidem vnquã. nam principiũ extinctum, nec ipsum ab alio renascetur: nec ex se aliud creabit. siquidem necesse est à principio omnia oriri. ita fit, vt motus principium, ex eo sit, quod ipsum à se mouetur. id autem nec nasci potest, nec mori. vel concidat omne cœlũ, omnisq; natura consistat necesse est: ne vim vllam nanciscatur, quæ à primo impulsu moueatur. Cum pateat igitur æternum id esse, quod à seipso moueatur: quis est qui hanc naturam animis esse tributam neget? inanimatũ est enim omne, quod impulsu agitatur externo. quod autẽ animal est: id motu cietur interiore & suo, nam hæc est natura propria animæ, atq; vis. quæ si est vna, ex omnibus quæ sese mouent: neq; nata est certe: & æterna est. Hanc tu exerce in optimis rebus. sunt autem optimæ curæ de salute patriæ: quibus agitatus & exercitatus animus velocius in hanc sedem & domum suam peruolabat. idq; ocius faciet, si iam, tũ cum erit inclusus, in corpore, eminebit foras: & ea, quæ extra erunt, contemplans, quam maximè se à corpore abstrahet. namq; eorũ animi, qui se corporis voluptatibus dediderunt: earumq; quasi se ministros præbuerunt: impulsuq; libi-

dinum voluptatibus obedientium, deorum, & hominum iura violauerunt: corporibus elapsi, circum terram ipsam volutantur: nec in hunc locum, nisi multis exagitati seculis, reuertuntur. Ille discessit. Ego somno statim solutus sum.

FINIS.

M. T. CICERONIS, DE LEGIBVS, LIBER PRIMVS.

ATTICVS.

Desit fortasse quippiam.

L

VCVS Quidem ille, & hæc Arpinatium quercus agnoscitur, sæpe à me lectus in Mario. si manet illa quercus, hæc est profecto: etenim est sanè vetus.

QVINTVS. Manet vero, Attice noster, & semper manebit: sata est enim ingenio. nullius autem agricolæ cultu stirps, tã diuturna, quàm poëtæ versu seminari potest. Atti. Quo tandem modo Quinte? aut quale est istuc, quod poëtæ serunt? mihi enim videris fratrem laudando suffragari tibi. Q. Sit ita sanè. verum tamẽ dũ Latinæ loquentur literæ: quercus huic loco non deerit, quæ Mariana dicatur: eaq́; (vt ait Scæuola) de fratris mei Mario canescet sæculis innumerabilibus. nisi forte Athenæ tuæ sempiternam in arce oleam tenere potuerũt: aut quod Homericus Vlyxes, Deli se proceram & teneram palmam vidisse dixit: hodie monstrant eandem: multaq́; alia multis locis diutius commemoratione manent, quàm natura stare potuerunt. quare glandifera illa quercus, ex qua olim euolauit,

Nuncia fulua Iouis miranda visa figura,

Nunc sit hæc, sed cum eam tempestas, vetustasue consumpserit, tamen erit his in locis quercus, quã Marianam quercũ vocent. Atti. Non dubito id quidẽ: sed hæc

iam non ex te Quinte quæro, verũ ex ipſo poëta, tuinę verſus hanc quercum ſeuerint: an ita factum de Mario, vt ſcribis, acceperis. MARCVS. Reſpondebo Attice tibi equidem: ſed nõ antequã tu ipſe mihi reſponderis, certe nõ longe à tuis ædibus inambulans poſt exceſſum ſuum Romulus Proculo Iulio dixerit, ſe deũ eſſe: & Quirinũ vocari: templumq; ſibi dedicari in eo loco iuſſerit: & verũ ne ſit Athenis non longe item à tua illa antiqua domo Orithyam Aquilo ſuſtulerit, ſic enim eſt traditũ. Atti. Quorſum tandẽ aut cur iſta quæris? M. Nihil ſanè: niſi ne nimis diligenter inquiras in ea, quæ iſto modo memoriæ ſint prodita. Atti. Atqui multa quærũtur in Mario, fictáne an vera ſint: & à nõnullis, quod & in recenti memoria, & in Arpinati homine, ſed veritas à te poſtulatur. M. Et me hercule ego me cupio non mendacẽ putari: ſed tamen nõnulli iſti, Tite, noſter faciũt imperite: qui in iſto opuſculo nõ vt à poëta, ſed vt à teſte veritatem exigant: nec dubito quin ij dem, & cũ Ægeria collocutũ Numã, & ab aquila Tarquinio apicem impoſitũ putent. Q. Intelligo te frater, alias in hiſtoria leges obſeruãdas putare: alias in poëmate. M. Quippe cũ in illa ad veritatẽ Quinte referantur, in hac ad delectationẽ pleraq;. quanquam & apud Herodotũ patrẽ hiſtoriæ, & apud Theopompũ ſunt innumerabiles fabulæ. Atti. Teneo quam optabam occaſionem, neq; omittã. M. Quam tandem Tite? Atti. Poſtulatur à te iandiu, vel flagitatur potius hiſtoria: ſic enim putant. te illã tractante efficì poſſe, vt in hoc etiam genere Græciæ nihil cedamus. atque vt audias quid ego ipſe ſentiam, non ſolum mihi videris eorum ſtudijs, qui literis

teris delectantur, sed etiam patriæ debere hoc munus: vt ea, quæ salua per te est, per te eundem sit ornata. abest enim historia literis nostris: vt & ipse intelligo: & ex te persæpe audio. potes autem tu profecto satisfacere in ea: quippe cum sit opus, vt tibi quidem videri solet, vnum hoc oratorium maxime. Quamobrem aggredere quæsumus: & sume ad hanc rẽ tempus: quæ est à nostris hominibus adhuc aut ignorata, aut relicta. nam post annales pontificum maximorum, quibus nihil potest esse nudius: si aut ad Fabium, aut ad eum qui tibi semper in ore est, Catonem, aut ad Pisonem, aut ad Fannium, aut ad Vennonium venias: quanquam ex his alius alio plus habet virium: tamen quid tam exile quàm isti omnes? Fannij autem ætate coniunctus Antipater paulo inflauit vehementius: habuitq; vires agrestes ille quidem, atque horridas, sine nitore, ac palæstra, sed tamen admonere reliquos potuit, vt accuratius scriberent. Ecce autem successere huic bello Clodius, Asilo: nihil ad Cælium: sed potius ad antiquorum languorem, atq; inscitiam. nam quid Acciũ memorem: cuius loquacitas habet aliquid argutiarũ: nec id tamen ex illa erudita Græcorum copia, sed ex librariolis Latinis. In orationibus autem multus & ineptus, ad summam impudentiam. Sisenna eius amicus omnes adhuc nostros scriptores, nisi qui forte nondum ediderunt, de quibus existimare non possumus, facile superauit. Is tamen neque orator in numero vestro vnquam est habitus: & in historia puerile quiddam consectatur: vt vnum Clitarchum, neq; præterea quenquam de Græcis legisse videatur: eum tamen velle duntaxat imitari: quem si

assequi posset: aliquantũ ab optimo tamen abesset. quare tuum est munus: hoc à te expectatur: nisi quid Quinto videtur secus. Q. Mihi vero nihil: & sæpe de isto collocuti sumus: sed est quædam inter nos parua dissensio. At. Quæ tandem? Q. A quibus temporibus scribendi capiatur exordium. ego enim ab vltimis censeo: quoniam illa sic scripta sunt: vt ne legantur quidem: ipse autem æqualem ætatis suæ memoriam deposcit: vt ea complectatur, quibus ipse interfuit. Att. Ego vero huic potius assentior. sunt enim maximæ res in hac memoria atq; ætate nostra: tum autem hominis amicissimi Cn. Pompeij laudes illustrabit. incurret etiam in illum memorabilem annum suum: quem ab isto malo prædicari, quàm, vt aiunt, de Remo, & Romulo. M. Intelligo equidem à me istum laborem iamdiu postulari Attice: quem non recusarem: si mihi vllum tribueretur vacuum tempus & liberum. neque enim occupata opera, neque impedito animo, res tanta suscipi potest. vtrunque opus est, & cura vacare, & negotio. Att. Quid? ad cætera, quæ scripsisti plura, quàm quisquam è nostris: quod tibi tandem tempus vacuum fuit concessum? M. Succisiua quædam tempora incurrunt: quæ ego perire non patior: vt si qui dies ad rusticandum dati sint, ad eorum numerum accommodentur, quæ scribimus. historia vero nec instituti potest, nisi præparato ocio: nec exiguo tempore absolui: & ego animi pendere soleo cum semel quid orsus, si traducor alio: neque tam facile interrupta contexo: quàm absoluo instituta. Att. Legationem aliquam nimirum historia postulat, aut eiusmodi quampiam cessationem libe-

ram.

ram, atq; otiosam. M. Ego vero ætatis potius vacationi confidebam: cum præsertim non recusarem, quo minus more patrio sedens in solio consulentibus responderem: senectutisq; non inertis grato atq; honesto fungerer munere. sic enim mihi liceret et isti rei, quam desideras, & multis vberioribus atque maioribus, operæ, quantū vellem dare. Atti. Atqui vereor ne istam causam nemo noscat: tibiq; semper dicendum sit: & eo magis, quod te ipse mutasti: & aliud dicendi genus instituisti: » vt quem admodum Roscius familiaris tuus in senectu» te numeros in cantu cecinerat: ipsas q; tardiores fecerat » tibias: sic tu à contentionibus, quibus summis vti soleb» as, quotidie relaxes aliquid: vt iam oratio tua nō mul» tum à philosophorum lenitate absit. quod sustinere cum » vel summa senectus posse videatur: nullam tibi à » causis vacationem video dari. Q. At mehercule ego arbitrabar posse id populo nostro probari: si te ad im» respondendum dedisses. Quamobrem, cum placebit, tibi experiendum censeo. M. Id, si quidem, « Quinte, nullum esset in experiendo periculum. sed ve« reor ne dum minuere velim laborem, augeam: atque « ad illam causarum operam, ad quam ego nunquam, « nisi paratus, & meditatus accedo: adiungatur hæc iu« ris interpretatio: quæ non tam mihi molesta sit propter « laborem: quàm quod dicendi cogitationem auferat: si« ne qua ad nullam maiorem vnquam causam sum au« sus accedere. Atti. Quin igitur ista ipsa explicas no« bis his succisiuis, vt ais, temporibus: & conscribis de iure ciuili subtilius quàm cæteri? nam à primo tempore ætatis iuri studere te memini: cum ipse etiam ad Scæuolam

venti-

ventitarem: neq; vnquam mihi visus es ita te ad dicendum dedisse: vt ius ciuile contemneres. M. In longum sermonẽ me euocas Attice. quem tamen, nisi Quintus aliud quid nos agere mauult, suscipiam: & quoniam vacui sumus, dicam. Q. Ego vero libenter audierim. quid enim agam potius? aut in quo melius hunc consumam diem? M. Quin igitur ad illa spacia nostra, sedesq; pergimus, vbi satis erit deambulatũ, requiescemus: nec profecto nobis delectatio deerit, aliud ex alio quærentibus? Atti. Nos vero, & hac quidem adire, si placet perripam & vmbram. sed iam ordire explicare quæso de iure ciuili quid sentias. M. Ego memini summos fuisse in ciuitate nostra viros: qui id interpretari populo, & respondere soliti sint. sed eos magna professos in paruis esse versatos. quid enim est tantum, quantum ius ciuitatis? quid autem tam exiguum, quàm est munus hoc eorum, qui consulantur? Q. Atqui est populo necessarium: nec vero eos, qui ei muneri præfuerunt, vniuersi iuris expertes fuisse existimo: sed hoc ciuile quod vocant, eatenus exercuerunt: quoad populo præstare voluerunt. id autem incognitum est, minusq; in vsu necessarium. quamobrem quo me vocas? aut quid hortaris? vt libellos conficiam de stillicidiorum, ac de parietum iure? aut vt stipulationum, & iudiciorum formulas componam? quæ & conscripta sunt à multis diligenter: & sunt humiliora, quam illa quæ à vobis expectari puto. Atti. Atqui si quæres ego quid expectem: quoniam scriptum est à te satis de optimo Reip. statu: consequens esse videtur, vt scribas tuidem de legibus. sic enim feciſſe video Platonem illum tuum:

quem

quem tu admiraris: quem omnibus anteponis: quem maxime diligis. M. Vis ne igitur, vt ille Cretæ cū Clinia, & cum Lacedæmonio Megillo, æstiuo, quemadmodum describit, die, in Cupressetis Gnosiorum, & spacijs syluestribus, crebro insistens, interdum acquiescens, de institutis rerum publicarū, ac de optimis legibus disputat: sic nos inter has procerissimas populos, in viridi opacaq; ripa inambulantes, tum autem residentes, quæramus ijsdem de rebus aliquid vberius, quàm forensis vsus desiderat? Att. Ego vero ista audire cupio? M. Quid ait Quintus? Q. Nulla de re magis. M. Et recte quidem. nam sic habetote: nullo in genere disputā di honeste patefieri: quid sit homini natura tributum: quantam vim rerum optimarum mens humana contineat: cuius muneris colendi, efficiendiq; causa nati, & in lucem editi sumus: quæ sit coniunctio hominum, quæ naturalis societas inter ipsos. his enim explicatis, fons legum, & iuris inueniri potest. non ergo à prætoris edicto, vt plærique nunc, neq; XII tabulis, vt superiores, sed penitus ex intima philosophia hauriendam iuris disciplinam putas? M. Non enim id quæris hoc sermone Pomponi, quemadmodum caueamus in iure: aut quid de quaque consultatione respondeamus. sit ista res magna: sicut est: quæ quondam à multis claris viris, nunc ab vno summa authoritate, & scientia sustinetur. sed noris ista. complectenda in hac disputatione tota causa vniuersi iuris est ac legum: vt hoc, ciuile quod dicimus, in paruum quendam, & angustum locum concludatur naturæ. natura enim iuris nobis explicanda est: eaq; ab hominis repetenda natura:

consi-

considerandæ leges: quibus ciuitates regi debeant: tum hæc tractanda, quæ composita sunt, & descripta, iura, & iussa populorum: in quibus ne nostri quidem populi latebunt, quæ vocantur iura ciuilia. Q. Alte vero, &, vt oportet, à capite frater repetis quod quærimus: & qui aliter ius ciuile tradunt, non tam iustitiæ, quàm litigandi tradunt vias. M. Non est ita Quinte: ac potius ignoratio iuris litigiosa est, quàm scientia. sed hæc posterius. nunc iuris principia videamus. Igitur doctissimis viris proficisci placuit à lege: haud scio an recte: si modo, vt iidem definiunt, Lex est ratio summa insita in natura: quæ iubet ea quæ facienda sunt: prohibetq; contraria. eadem ratio cum est in hominis mente confirmata, & confecta: lex est. itaque arbitrantur prudentiam esse legem: cuius ea vis sit: vt recte facere iubeat: vetet delinquere: eamq; rem illi Græco putant nomine suum cuique tribuendo appellatam: ego nostro à legendo. nam vt illi æquitatis, sic nos delectus vim in lege ponimus: & proprium tamen vtrunque legis est. quod si ita recte dicitur (vt mihi quidem plerunq; videri solet) à lege ducendum est iuris exordium. Ea est enim naturæ vis: ea mens, ratioq; prudentis: ea iuris atque iniuriæ regula. sed quoniam in populari ratione omnis nostra versatur oratio: populariter interdum loqui necesse erit: & appellare eam legem, quæ scripto sancit quod vult, aut iubendo, aut vetando, vt vulgus appellat. constituendi vero iuris ab illa summa lege capiamus exordium: quæ seculis omnibus ante nata est, quàm scripta lex vlla, aut quàm omnino ciuitas constituta. Q. Commodius vero, & ad rationem instituti

tuti sermonis aptius. M. Vis ne ergo ipsius iuris ortum à fonte repetamus, quo inuento non erit dubium, quò sint hæc referenda quæ quærimus? Q. Ego vero ita faciendum esse censeo. Atti. Me quoq; adscribe fratris sententiæ. M. Quoniam igitur eius Reip. quam optimam esse docuit in illis sex libris Scipio: tenendus est nobis, & seruandus status: omnesq; leges accommodandæ ad illud ciuitatis genus: serendi etiam mores: nec scriptis omnia sancienda: repetam stirpem iuris à natura: qua duce est nobis omnis disputatio explicanda. Atti. Rectissime: & quidem ista duce errari nullo pacto potest. M. Das ne igitur hoc nobis Pomponi, (nam Quinti noui sententiam: de deorum immortalium vi, natura, ratione, potestate, mente, numine, siue quod est aliud verbum, quo planius significem quod volo) naturam omnem diuinam regi? nam si hoc non probas: à deo nobis causa ordienda est potissimum. Atti. Do sanè si postulas: etenim propter hunc concentum auium, strepitumq; fluminum, non vereor condiscipulorum ne quis exaudiat. M. Atqui cauendum est. Solent enim (id quod virorum bonorum est) admodum irasci, nec vero ferent si audierint te primum caput libri optimi prodidisse: in quo scripsit: Nihil curare deum, nec sui nec alieni. Atti. Perge quæso: nam id quod tibi concessi, quorsum pertineat expecto. M. Non faciam longius: huc enim pertinet: animal hoc prouidum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis, & consilij, quē vocamus hominē, præclara quadam conditione generatū esse à summo deo. Solum est enim ex tot animantium generibus, atq; naturis, particeps rationis & cogitationis,

nis, cum cætera sint omnia experti̊a. quid est autem, nõ dicam in homine, sed in omni cœlo, atq; terra, ratione diuinius? quæ cum adoleuit, atq; perfecta est: nominatur rite sapientia. est igitur, quoniã nihil est ratione melius: eaq; & in homine & in deo: prima homini cum deo rationis societas. inter quos autem ratio, inter eosdem
infra. lib. 6. etiam recta ratio cõmunis est. quæ cum sit lex: lege quoque consociati homines cum dijs putandi sumus. inter quos porro est communio legis: inter eos communio iuris est. quibus autem hæc sunt inter eos communia: & ciuitatis eiusdem habendi sunt. si vero ijsdem imperijs & potestatibus parent: multo etiam magis parent huic cœlesti descriptioni, mẽtiq; diuinæ, & præpotenti deo. vt iam vniuersus hic mundus, vna ciuitas communis deorum atque hominum existimanda: & quod in ciuitatibus ratione quadam, de qua dicetur idoneo loco, agnationibus familiarum distinguuntur status: id in rerum natura tanto est magnificentius, tantoq; præclarius: vt homines deorum agnatione & gente teneantur. nam cum de natura hominis quæritur, disputari solent nimirum ista: perpetuis cursibus, conuersionibus cœlestibus extitisse quandam materiã serendi generis humani: quod sparsum in terras, atque satum, diuino auctum sit animorum munere: quanquã alia quibus cohærent, homines è mortali genere sumpserunt, quæ fragilia essent & caduca: animum esse ingeneratum à deo: ex quo verè vel agnatio nobis cum cœlestibus, vel genus, vel stirps appellari potest. itaq; ex tot generibus nullum est animal præter hominem, quod habeat notitiã aliquam dei: ipsisq; in hominibus nulla gens est, neque tam im-

mansueta,

mansueta, neq; tam fera: quæ non, etiam si ignoret qualem habere deum deceat: tamen habendum sciat. ex quo efficitur illud, vt is agnoscat deum, qui vnde ortus sit, quasi recordetur ac agnoscat. iam vero virtus eadē in homine ac deo est: neq; vllo alio ingenio præterea. est autem virtus nihil aliud quàm in se perfecta, & ad summum perducta natura. est igitur homini cum deo similitudo. quod cum ita sit, quæ tandem potest esse proprior certiorue cognatio? itaq; ad hominum commoditates, & vsus tantam rerum vbertatem natura largita est: vt ea quæ gignuntur donata consulto nobis, non fortuito nata videantur: nec solū ea quæ frugibus atq; baccis terræ fœtu profunduntur: sed etiam pecudes: quod perspicuum sit, partim esse ad vsum hominum, partim ad fructum, partim ad vescendum procreatas. artes vero innumerabiles repertæ sunt, docente natura. quam imitata ratio res ad vitam necessarias solerter consecuta est. ipsum autem hominem eadem natura non solum celeritate mentis ornauit: sed etiam sensus, tanquam satellites attribuit ac nuncios: & rerum plurimarum obscuras & necessarias intelligentias enudauit, quasi fundamenta quædam scientiæ: figuramq; corporis habilem, & aptam ingenio humano dedit. nam cum cæteras animantes abiecisset ad pastum: solum hominem erexit: ad cœliq; quasi cognationis domicilij q; pristini conspectum excitauit: tum speciem ita formauit oris: vt in ea penitus reconditos mores effingeret. nam & oculi nimis arguti, quemadmodum animo affecti simus, loquuntur: & is qui appellatur vultus, qui nullo in animante esse præter hominem potest, indicat mores:

2. de Nat. d. 5: tota hæc fabricatio.

cuius vim Græci norunt: nomen non habent. omitto opportunitates, habilitatesq; reliqui corporis: moderationem vocis: orationis vim: quæ conciliatrix est humanæ maximè societatis. neq; enim omnia sunt huius disputationis, ac temporis: & hunc locum satis, vt mihi videtur, in his libris, quos legistis, expressit Scipio. Nūc quoniam hominem, quod principiū reliquarum rerū esse voluit, genera uit & ornauit deus: perspicuum sit illud (ne omnia differantur) ipsam per se naturam longius progredi: quæ etiā nullo docente profecta ab ijs, quorum, ex prima, & inchoata intelligentia genera cognouit, confirmat ipsa per se rationem & perficit. Att. Dij immortales quam tu longe iuris principia repetis: atq; ita vt ego non modo ad illa non properem, quæ expectabam à te de iure ciuili: sed facile patiar te hunc diem vel totum in isto sermone consumere. sunt enim hæc maiora, quæ aliorum causa fortasse complecteris: quàm ipsa illa, quorum hæc causa præparantur. M. Sunt hæc quidem magna, quæ nunc breuiter attinguntur: sed omniū, quæ in hominum doctorum disputatione versantur, nihil est profecto præstabilius: quā planè intelligi nos ad iustitiam esse natos: neq; opinione, sed natura constitutum esse ius. id iam patebit, si hominum inter ipsos societatem, coniunctionemq; perspexeris. nihil est enim vnū vni tam simile, tam par, quàm omnes inter nosmetipsos sumus. quod si depranatio consuetudinum, si opinionu vanitas, non imbecillitatem animorum torqueret, & flecteret quocunq; cœpisset: sui nemo ipsi tā similis esset: qua omnes sunt omniū. itaq; quæcunq; est hominis definitio, vna in omnes valet. quod argumenti satis est, nullam

est, nullam dissimilitudinem esse in genere. quæ si esset: non vna omnes definitio contineret. etenim ratio, qua vna præstamus beluis: per quam coniectura valemus, argumentamur, refellimus, disserimus, conficimus aliquid, cõcludimus, certè est cõmunis, doctrina differens, discendi quidem facultate par. nam & sensibus eadem omnia comprehenduntur: & ea quæ mouent sensus, itidem mouent sensus omniũ: quæq; in animis imprimuntur, de quibus antè dixi, inchoatæ intelligentiæ, similiter in omnibus imprimuntur: interpresq; est mentis oratio, verbis discrepans, sententijs congruens. nec est quisquam gentis vllius, qui ducem naturam nactus, ad virtutem peruenire non possit. nec solũ in rectis, sed etiam in prauis actibus insignis est humani generis similitudo: nam & voluptate capiuntur omnes: quæ etsi est illecebra turpitudinis, tamen habet quiddam naturalis boni. lenitate enim, & suauitate delectans. sic ab errore mentis tanquam salutare aliquid asciscitur. similiq; inscitia mors fugitur, quasi dissolutio naturæ: vitæ expetitur: quia nos, in quo nati sumus, continet: dolor in maximis malis ducitur, cum sua asperitate, tum quòd naturæ interitus videtur sequi. propter honestatis, & gloriæ similitudinem, beati, qui honorati sunt, videntur: miseri autem, qui sunt inglorij. molestiæ, latitiæ, cupiditates, timores, similiter omnium mentes peruagantur: nec si opiniones aliæ sunt apud alios: iccirco qui canem & felem vt deos colunt, non eadem superstitione, qua cæteræ gentes confluctantur: quæ autem natio non comitatem, non benignitatem, nõ gratum animum, & beneficij memorem diligit? quæ

superbos, quæ maleficos, quæ crudeles, quæ ingratos non aspernatur? non odit? quibus ex rebus cum omne genus hominum sociatũ inter se esse intelligatur: illud extremum est, quòd rectè viuendi ratio meliores efficit. quæ si approbatis: pergam ad reliqua: sin quid requiritis: id explicemus prius. Atti. Nos vero nihil, vt pro vtroq; respondeam. M. Sequitur igitur ad participandũ aliũ ab alio, communicandumq; inter omnes, iustos natura esse factos. atq; hoc in omni hac disputatione sic intelligi volo, quod dicam naturam esse. tantam autem esse corruptelam malæ consuetudinis: vt ab ea tanquã igniculi extinguantur à natura dati: exoriantur q; & cõfirmentur vitia cõtraria. quod si, quomodo est natura, sic iudicio homines, humani (vt ait poëta) nihil à se alienum putarent: coleretur ius æque ab omnibus. quibus enim ratio natura data est: iisdem etiam recta ratio data est. ergo & lex: quæ est recta ratio in iubendo, & vetando. si lex: ius quoq;. at omnibus ratio. ius igitur datum est omnibus, rectèq; Socrates execrari eũ solebat, qui primus vtilitatem à natura seiunxisset. id enim que rebatur caput esse exitiorum omnium. vnde enim illa Pythagorea vox τὰ τῶν φίλων κοινὰ, καὶ φιλίαν ἰσότητα. ex quo perspicitur cum hanc beneuolentiam tam late longeq; diffusam. vir sapiens in aliquem pari virtute præditum contulerit: tum illud effici, quod quibusdam incredibile videatur: sit autem necessarium: vt nihilo sese plusquam alterum diligat. quid enim est quod differat? cum sint cuncta paria? quod si interesse quippiam tantulum modo potuerit: iam amicitiæ nomen occiderit. cuius est ea vis: vt simulatq; sibi aliquid, quã

Supra 160. b.

alteri

alteri maluerit: nulla sit. quæ præmuniuntur omnia, reliquo sermoni, disputationiq; nostræ: quo facilius ius in natura esse positũ intelligi possit. de quo cũ perpauca dixero: tũ ad ius ciuile veniam: ex quo hæc omnis nata est oratio. Q. Tu vero iam perpauca scilicet ex ijs enim quæ dixisti Attico. * videtur mihi quidem ex natura ortum esse ius. Atti. An mihi aliter videri possit, cum hæc iam perfecta sint? primũ quasi muneribus deorum nos esse instructos, & ornatos: secundo autem loco vnam esse hominum inter ipsos viuendi parẽ, communemq; rationem: deinde omnes inter se naturali quadam indulgentia, & beneuolentia, tũ etiam societate iuris contineri. quæ cum vera esse, recte, vt arbitror, concesserimus: qui iam licet nobis, à natura leges & iura seiungere? M. Recte dicis: & res sic se habet. verum philosophorũ more, non veterum quidem illorum, sed eorũ qui quasi officinas instruxerunt sapientiæ, quæ fuse olim disputabantur, ac libere: ea nunc articulatim de secta dicuntur. nec enim satisfieri censent huic loco, qui nunc est in manibus: nisi separatim hoc ipsum, naturæ esse ius disputarint. Atti. Et scilicet tua libertas disserendi amissa est, aut tu is es, qui in disputando non tuum iudicium sequare, sed authoritati aliorum pareas? M. Non semper Tite. sed iter huius sermonis, quod sit vides. ad Reipub. formandas, & stabiliendas vires, sanandos populos, omnis nostra pergit oratio quocirca vereor committere: vt non bene promisa, & diligenter explorata principia ponantur. nec tamen vt omnibus probentur: (nam id fieri non potest) sed vt his, qui omnia recta, atq; ho-

nesta per se expetenda duxerunt: et aut nihil omnino in bonis numerandum: nisi quod per seipsum laudabile esset: aut certè nullū habendum magnum bonum: nisi quod vere laudari sua sponte posset. his omnibus (siue in Academia vetere cū Speusippo, Xenocrate, Polemone manserūt: siue Aristotelem, & Theophrastū, cūillis re congruentes, genere docendi paulū differētes, secuti sunt: siue, vt Zenoni visum est, rebus non cōmutatis immutauerunt vocabula: siue etiā Aristonis difficilē, atq; arduam, sed iam tamen fractam, & conuictā sectam secuti sunt: vt, virtutibus exceptis, atq; vicijs, cætera in summa æqualitate ponerent) his omnibus hæc, quæ dixi probātur. sibi autē indulgētes, & corpori deseruientes, atq; omnia quæ sequantur in vita, quæq; fugiant, voluptatibus, & doloribus ponderantes, etiam si vera dicūt (nihil enim opus est hoc loco litibus) in hortulis suis iubeamus dicere: atq; etiam ab omni societate Reipub. cuius partem nec norūt vllā: nec vnquā nosse voluerunt: paulisper facessant rogemus. perturbatricem autem harū omnium rerū Academiam hanc ab Arcesila, & Carneade recentē exoremus, vt sileat. nam si inuaserit in hæc, quæ satis scite nobis instructa & composita videntur: miras edet ruinas: quam quidem ego placare cupio, submouere non audeo.

Multa desunt.

uam etiā sine illius suffimentis expiati sumus. At vero scelerum in homines atq; impietatū nulla expiatio est. itaq; pœnas luunt nō tam iudicijs quæ quondā nusquā erant: hodie multifariam nulla sunt: vt sint tamē: persæpe falsa sunt: vt eos agitent, insectenturq; furiæ, non ardentibus

dentibus tædis, sicut in fabulis, sed angore conscientæ, fraudisq; cruciatu. quod si homines ab iniuria pœna, nõ natura arcere deberet: quæ nam sollicitudo vexaret impios, sublato supplicior ũ metu? quorũ tamen nemo tam audax vnquam fuit: quin aut à se commissum esse ob iniuriam facinus: aut iusti sui doloris causam aliquam fingeret: defensionemq; facinoris à natura iure aliquo quæreret. quæ si appellare audent impij: quo tandem studio colentur à bonis? quod si pœna, si metus supplicij, non ipsa turpitudo, terret ab iniuriosa facinorosaq; vita: nemo est iniustus: at incauti potius habendi sunt improbi. tum autem qui non ipsõ honesto mouemur, vt boni viri simus, sed vtilitate aliqua atq; fructu, callidi sumus, non boni. nam quid faciet is homo in tenebris, qui nihil timet nisi testem, vel iudicem? quid in deserto loco, nactus quem multo auro spoliare possit, imbecillum, atq; solum? noster quidem hic natura iustus vir ac bonus, etiam colloquetur: iuuabit: in viã deducet. is vero qui nihil alterius causa facit: & metitur suis commodis omnia: videtis credo quid sit acturus. quod si negabit se illi vitã erepturũ: & aurum ablaturũ: nunquã ob eam causam negabit, quod id natura turpe iudicet: sed quod metuat ne emanet: id est, ne malũ habeat. Orem dignam, in qua non modo docti, verũ etiam agrestes erubescant. Iam verò stultissimũ illud, existimare omnia iusta esse, quæ scita sint in populorũ institutis, aut legibus. etiam ne si quæ sint tyrannorũ leges? si triginta illi Athenis leges imponere voluissent, aut si omnes Atheniẽses delectarẽtur tyrannicis legibus: nũ ic circo hæ leges, iustæ haberẽtur? nihilo, credo, magis illa,

quam interrex noſter tulit: vt dictator quem vellet ciuium, indicta cauſa impune poſſet occidere: eſt enim vnum ius: quo deuincta eſt hominũ ſocietas: & quod lex conſtituit vna. quæ lex eſt recta ratio imperandi, atq; prohibendi: quam qui ignorat, is eſt iniuſtus. ſiue eſt illa ſcripta vſpiam: ſiue nuſquam. quod ſi iuſticia eſt obtemperatio ſcriptis legibus, inſtitutisq; populorũ: et ſi (vt ydem dicunt) vtilitate omnia metienda ſunt: negliget leges, easq; perrumpet ſi poterit us, qui ſibi eam rem fructuoſam putabit fore. ita fit vt nulla ſit omnino iuſtitia: ſi neq; natura eſt: & ea, quæ propter vtilitatem cõſtituitur, vtilitate alia conuellitur, atq; ſi natura confirmatum ius non erit: virtutes omnes tollantur. vbi enim liberalitas? vbi patriæ charitas? vbi pietas? vbi autem benè merendi de altero, aut referendæ gratiæ voluntas, poterit exiſtere? nam hæc naſcuntur ex eo, quod fundamentum iuris eſt, neq; ſolum in homines obſequia, ſed etiam in Deos cærimoniæ, religionesq; tolluntur: quas non metu, ſed ea coniunctione, quæ eſt homini cũ deo conſeruandas puto. Quod ſi populorum iuſſis, ſi principum decretis, ſi ſententijs iudicũ, iura conſtituerentur: ius eſſet latrocinari: ius adulterare: ius teſtamẽta falſa ſupponere: ſi hæc ſuffragijs, aut ſcitis multitudinis probarentur. quæ ſi tanta poteſtas eſt ſtultorum ſententijs, atq; iuſſis: vt eorum ſuffragijs rerum natura vertatur: cur non ſanciunt, vt, quæ mala, perniciosaq; ſunt, habeantur pro bonis, ac ſalutaribus? aut cur cũ ius ex iniuria lex facere poſſit: bonum eadem facere non poſſit ex malo? atqui nos legem bonam à

mala

mala nulla alia nisi naturali norma diuidere possumus. nec solũ ius & iniuria à natura diiudicatur: sed omnino omnia honesta ac turpia. nam & communis intelligẽtia nobis res notas efficit: easq; in animis nostris inchoauit: vt honesta in virtute ponantur, in vitys turpia. ea autem in opinione existimare, non in natura ponere, de mentis est. nã nec arboris, nec equi virtus, quæ dicitur, (in quo abutimur nomine) in opinione sita est, sed in natura. quod si ita est: honesta quoq; & turpia natura diiudicanda sunt. nam si opinione vniuersa virtus: eadem eius etiam partes probarentur. quis igitur prudentem, (vt ita dicam) catum, nõ ex ipsius habitu, sed ex aliqua re externa iudicet? est enim virtus perfecta ratio. quod certe in natura est. igitur omnis honestas eodem modo. nam vt vera & falsa, vt consequentia, & contraria, sua sponte, non aliena iudicantur: sic constans, & perpetua ratio vitæ, quæ est virtus, itemq; inconstantia, quod est vitium, sua natura probatur. nos ingenia inuenum non ratione ab ingenita naturæ virtute, sed vitia quæ existunt ab ingenijs iudicamus. An ea non aliter quàm honesta & turpia non ad naturam referri necesse erit? quod laudabile bonum est, in se habeat, quod laudetur necesse est. ipsum enim bonum non est in opinionibus sed in natura. nam ni ita esset, beatiquoque opinione essent. quo quid dici potest stultius? Quare cum & bonum & malum natura iudicetur: & ea sint principia naturæ: certe honesta quoq; & turpia simili ratione diiudicanda, & ad naturam referenda sunt. Sed perturbat nos opinionum varietas, hominumque dissensio. & quia non idem contingit in

sensibus: hos natura certos putamus : illa, quæ alijs sic, alijs secus , nec ijsdem semper vno modo videntur, ficta esse dicimus. quod est longe aliter. nam sensus nostros nō parens, non nutrix, non magister, non poëta, non scena deprauat : non multitudinis consensus abducit , at vero animis omnes tenduntur insidiæ, vel ab his quos modo enumerauí, qui teneros, & rudes cum acceperūt, inficiunt, & flectunt, vt volunt: vel ab ea, quæ penitus in omni sensu implicata insidet, imitatrix boni, voluptas, malorum autem mater omnium: cuius blanditijs corrupta , quæ natura bona sunt, quia dulcedine hac & scabie carent: non cernimus satis. Sequitur (vt concluſa mihi iam hæc sit omnis oratio) id quod ante oculos ex ijs est, quæ dicta sunt : & ius & omne honestum sua sponte esse expetendum. etenim omnes viri boni ipsam æquitatem & ius ipsum amant: nec est viri boni errare, & diligere , quod per se non sit diligendum. per se igitur ius est expetendum & colendum. quod si ius est, etiam iustitia: sic & reliquæ quoq; virtutes per se colendæ sunt. quid liberalitas? gratuita ne est, an mercenaria? Si sine præmio benigna est : gratuita. si cum mercede, conducta: nec est dubium quin is, qui liberalis, benignus'ue dicitur, officium non fructum sequatur. ergo eadem iustitia nihil expetit præmy, nihil præcij. per se igitur expetitur. eademq; omnium virtutum causa, atque sententia est. atq; etiam si emolumentis non suapte natura virtus expetitur: una erit virtus : quæ malitia rectissime dicetur. vt enim quisque maxime ad suum commodum refert quæcunq; agit : ita minime est vir bonus : vt qui virtutem præmio metiuntur , nullam

virtutem

virtutem nisi malitiam putent. vbi enim beneficus, si nemo alterius causa benigne facit? vbi gratus, si non eũ ipsum, cui referunt gratiã ipsi cernunt grati? vbi illa sancta amicitia, si non ipse amicus per se amatur toto pectore, vt dicitur? qui etiam deserendus & abiciendus est, desperatis emolumentis & fructibus. Quo quid potest dici immanius? quod si amicitia per se colenda est: societas quoque hominum, & æqualitas, & iustitia per se expetenda. quod ni ita est: omnino iustitia nulla est. id enim iniustissimum ipsum est, iustitiæ mercedem quærere. quid vero de modestia, quid de temperantia, quid de continentia, quid de verecundia, pudore, pudicitiaq; dicemus? infamiæne metu nõ esse petulantes, an legum & iudiciorum? innocentes ergo & verecundi sunt, vt bene audiant, & vt rumorem bonum colligant, erubescunt: & pudet impudica loqui. ac me nimirum istorum philosophorum pudet: qui nullũ vitium vitare, nisi iudicio ipso notatum putant. quid enim? possumus eos, qui stupro arcentur infamiæ metu, pudicos dicere? cũ ipsa infamia propter rei turpitudinẽ consequatur? nam quid aut laudari rite, aut vituperari potest? si ab eius natura recesseris, quod aut laudandũ, aut vituperandũ putes? an corporis prauitates, si erunt perinsignes, habebũt aliquid offensionis, animi deformitas non habebit? cuius turpitudo ex ipsis vitijs facillime perspici potest. quid enim fœdius auaritia? quid immanius libidine? quid contemptius timiditate? quid abiectius tarditate & stultitia dici potest? quid ergo? eos, qui singulis vitijs excellunt, aut etiam pluribus, propter damna, aut detrimenta, aut cruciatus aliquos

miseros

miseros dicimus, an propter vim turpitudinem q3 vitiorum? quod item ad contrariam laudem in virtute dici potest. Nam si propter alias res virtus expetitur : melius esse aliquid quam virtutem necesse est. pecuniam ne igitur? an honores? an formam? an valetudinem? quæ & cum adsunt, perparua sunt. & quamdiu affutura sint, certum sciri nullo modo potest. an (quod turpissimum dictu est) voluptatem? at in ea quidem spernenda & repudianda virtus vel maxime cernitur. Sed videtis ne, quanta series rerum, sententiarum q3 sit? atque vt ex alio alia nectantur? quin labebar longius, nisi me retinuissem. Q. Quo tandem? libenter enim frater ad istam orationem tecum prolaberer. M. Ad finem bonorum: quo referuntur, & cuius causa sunt facienda omnia : controuersam rem, & plenam dissensionis inter doctissimos, sed aliquando tamen iudicandam. A. Qui istuc fieri potest, L. Gellio mortuo? Q. Quid tandem id ad rem? Atti. Quia me Athenis audire ex Phædro meo memini Gelliũ familiarem tuũ, cum proconsul ex prætura in Græciã venisset : Athenis philosophos qui tum erant, in locum vnum conuocasse: ipsis q3 magnopere authorem fuisse: vt aliquando controuersiarum aliquem facerent modum. quod si essent eo animo: vt nollent ætatem in litibus conterere: posse rem conuenire, & simul operam suam illis esse pollicitum, si posset inter eos aliquid conuenire. M. Ioculare istud quidem Pomponi, & à multis sæpe derisum. sed ego plane vellem me arbitrum inter antiquam academiam & Zenonem datum. Atti. Quo tandem istuc modo? M. Quia de re vna solum dissident: de

cæteris

cæteris mirifice congruunt. Atti. Ain tandem, vna de re est sõlum dissensio? M. Quæ quidem ad rem pertineat, vna. quippe cum antiqui omnes quod secundum naturam esset, quo iuuaremur in vita, bonum esse decreuerint: hic nisi quod honestum esset, putauerit bonum. Atti. Perparuam vero controuersiam dicis, ac nõ eam quæ dirimat omnia. M. Probe quidem sentis, si re ac nõ verbis dissiderent. Atti. Ergo assentiris Antiocho familiari meo, magistro enim non audeo dicere: quo cum vixi: & qui me ex nostris pene conuellit hortulis: deduxitq; in academiam perpauculis passibus. M. Vir iste fuit ille quidem prudens & acutus, & in suo genere perfectus: mihiq; fuit (vt scis) familiaris. cui tamen ego assentiar in omnibus, nec ne, mox videro. hoc dico, controuersiam totam istam posse sedari. Atti. Qui istuc tandem vides? M. Quia si, vt Chius Aristo dixit, sõlum bonum esse diceret quod honestum esset: malumque quod turpe: cæteras res omnes planè pares, ac ne minimum quidem vtrum adessent, an abessent interesse: valde à Xenocrate, & Aristotele, & ab illa Platonis familia discreparet: essetq; inter eos de re maxima, & de omni viuendi ratione dissensio. nunc vero cum decus, quod antiqui summum bonum esse dixerunt, hic sõlum bonũ dicat: item dedecus, quod illi summum malũ, hic sõlum: diuitias, valetudinem, pulchritudinem, commodas res appellet, non bonas: paupertatem, debilitatem, dolorem, incommodas non malas: sentit idem quòd Xenocrates, quod Aristoteles: loquitur alio modo. Ex hac autem non rerum, sed verborum discordia, controuersia nata est de finibus: in

qua

qua quoniam vsucapionem XII tabulæ, inter quinq; pedes esse voluerunt: depasci veterē possessionem Academiæ ab hoc acuto homine nō sinemus nec Manilia lege singuli, sed ex his tres arbitri fineis regemus. Q. Quā nam igitur sententiam dicimus? M. Requiri platere terminos, quos Socrates pepigerit: ijsq; parere. Q. Preclare frater iam nunc à te verba vsurpantur ciuilis iuris & legum: quo de genere expecto disputationem tuā. nam ista quidem magna dijudicatio est: vt ex te ipso sæpe cognoui. M. Sed certe res ita se habent, vt ex natura viuere summum bonum sit: id est, vita modica, & apta virtute perfrui: aut naturam sequi: & eius quasi lege viuere: id est, nihil, quantū in ipso sit prætermittere: quo minus ea, quæ natura postulet, consequatur: quod inter hæc velut virtute, tanquam lege viuere. qua propter hoc dijudicari, nescio an vnquam, sed hoc sermone certe nō potest. si quidem id, quod suscepimus, perfecturi sumus. Atti. At ego huc declinabam non inuitus. Q. Licebit aliàs: nunc id agamus quod cœpimus: cū præsertim ad id nihil pertineat, hæc de summo malo, bonoq; dissensio. M. Prudentissime, Quinte, dicis. nam quæ à me adhuc dicta sunt. Nonnulla desunt. Q. Nec Lycurgi leges, nec Solonis, nec Charondæ, neq; Seleuci, nec nostras XII tabulas, nec plebiscita desidero. sed te existimo, cum populis, tum etiam singulis hodierno sermone leges viuendi, & disciplinam daturum. M. Est huius vere disputationis, Quinte, propriū, id quod expectas: atque vtinam esset etiam facultatis meæ. sed profecto ita se res habet: vt, quoniam vitiorum emendatricem legem esse oportet, commendatricemq;

tricem q3 virtutum: ab ea viuendi doctrina ducatur: ita fit, mater omniũ bonarum rerũ sapientia sit, à cuius amore Græco verbo philosophia nomẽ inuenit: qua nihil à dijs immortalibus vberius, nihil florentius, nihil præstabilius hominum vitæ datum est. hæc enim vna nos, cum cæteras res omnes, tum quod est difficillimum, docuit, vt nosmetipsos nosceremus: cuius præcepti tanta vis, tanta sententia est: vt ea non homini cuipiam, sed Delphico deo tribueretur. nam qui se ipse norit: primũ aliquid sentiet se habere diuinum: ingeniumq3 in se suum, sicut simulacrum aliquod dedicatum putabit: tantoq3 munere deorum semper dignum aliquid & faciet: & sentiet: & cum se ipse perspexerit: totum q3 tentarit: intelliget quemadmodum à natura subornatus in vitam venerit: quanta q3 instrumenta habeat ad obtinendam, adipiscendam q3 sapientiam: quoniam principio, rerum omnium quasi adumbratas intelligentias animo ac mente conceperit: quibus illustratus, sapientiæ duce, bonum virum, & ob eam ipsam causam cernat se beatum fore. nam cum animus cognitis perceptisq3 virtutibus à corporis obsequio, indulgentiáque discesserit: voluptatem q3 sicut labem aliquã dedecoris oppresserit: omnem q3 mortis doloris q3 timorem effugerit: societatem q3 coniecerit charitatis tum suis, omnesque natura coniunctos, suos duxerit: cultum q3 deorũ, & puram religionem susceperit: & exacuerit illam, vt oculorum, sic ingeny aciem ad bona deligenda, & reycienda contraria: quæ virtus ex prouidendo est appellata prudentia: quid eo dici, aut excogitari poterit beatius? idem q3 cum cœlum, terras, maria, omnium q3

rerum

rerum naturam perspexerit: eaq; vnde generata, quore currant, quando, quomodo obitura, quid in ys mortale, & caducum, quid diuinum, æternumq; sit, viderit: ipsumq; ea moderantẽ & regentem penè prehenderit: scscq; non vnis circundatum mœnibus popularem alicuius loci, sed ciuem totius mundi, quasi vnius vrbis agnouerit: in hac ille magnificentia rerum, atq; in hoc conspectu, & cognitione naturæ, dij immortales quàm ipsc se noscet: quod Apollo præcepit Pythius? quàm contemnet? quàm despiciet? quã pro nihilo putabit ea, quæ vulgo dicuntur amplissima? atque hæc omnia, quasi sepimento aliquo vallabit, differendi ratione, veri, & falsi iudicio, scientia, & arte quadam intelligendi quid quanque rem sequatur, & quid sit cuiq; contrarium. cumq; se ad ciuilem societatem natum senserit, non solũ illa subtili disputatione sibi vtendum putabit: sed etiam fusa latius perpetua oratione: qua regat populos: qua stabiliat leges: qua castiget improbos: qua tueatur bonos: qua laudet claros viros: qua præcepta salutis, & laudis, apte ad persuadendum edat suis ciuibus: qua hortari ad decus, reuocare à flagitio, consolari possit afflictos: factaq; & consulta fortium & sapientum, cum improborum ignominia sempiternis monumentis prodere. Quæ cum tot res tantæque sint, quæ ineſſe in homine perspiciantur ab his, qui se ipsi velint noscere: earum parens est educatrixq; sapientia. Atti. Laudata quidem à te grauiter & vere, sed quorsus hæc pertinent? M. Primum ad ea Pomponi, de quibus acturi iam sumus: quæ tanta esse volumus. non enim erunt: nisi ea fuerint, vnde illa manant, amplissima.

deinde

deinde facio & libenter, & vt spero, recte: quod eã cuius studio teneor, quaq; me eum, quicunq; sum, effecit, non possum silentio præterire. Atti. Vere facis, & merito, & ipse: fuitq; id (vt dicis) in hoc sermone faciendum.

M. T. CICERONIS DE LEGIBVS, LIBER SECVNDVS.

ATTICVS.

SED vis ne, quoniam & satis iam deambulatũ est: & tibi aliud dicendi initiũ sumendũ est: locũ mutemus? & in insula, quæ est in Fibreno, (nã opinor illi alteri flumini nomen esse) sermoni reliquo demus operã, sedentes? M. Sanè quidẽ. nam illo loco libentissime soleo vti: siue quid mecũ ipse cogito, siue aliquid scribo, aut lego. Atti. Equidem, qui nunc primũ huc venerim, satiari non queo: magnificasq; villas, & pauimenta marmorea, & laqueata tecta contemno. ductus vero aquarũ quos isti Tubos & Euripos vocãt: quis non cum hæc videat, irriserit? itaq;, vt tu pauloante de lege & iure disserens ad naturã referebas omnia: sic in his ipsis rebus, quæ ad quietem animi, delectationemq; quæruntur: natura dominatur. quare antea mirabar, (nihil enim his in locis nisi saxa, & montes cogitabam: idq; vt facerem, & orationibus inducebar tuis, & versibus) sed mirabar, vt dixi, te tam valde hoc loco delectari. nunc contra miror, te, cũ Roma absis: vsquã

potius esse. M. Ego vero cũ licet plureis dies abesse, præsertim hoc tẽpore anni, & amœnitatem & salubritatem hanc sequor, raro autem licet. sed nimirũ me alia quoq; causa delectat: quæ te nõ attingit ita. Atti. Quæ tandẽ ista causa est? M. Quia, si verũ dicimus, hæc est mea, & huius fratris mei, germana patria. hic enim orti stirpe antiquissima sumus: hic sacra: hic genus: hic maiorum multa vestigia. quid plura? hãc vides villã, vt nunc quidem est, lautius ædificatam patris nostri studio. qui cum esset infirma valetudine: hic ferè ætatem egit in literis: sed hoc ipso in loco cũ auus viueret: & antiquo more parua esset villa: vt illa Curiana in Sabinis: me scito esse natum. quare inest nescio quid: vt latet in animo ac sensu meo, quo me plus hic locus fortasse delectet: siquidem etiam ille sapientissimus vir, Ithacã vt videret, immortalitatem scribitur repudiasse. Atti. Ego vero tibi istam iustam causam puto. cur huc libentius venias: atq; hũc locum diligas. quin ipse: verè dicã: sum ipsi villæ amicior modo factus, atq; huic omni solo: in quo tu ortus, & procreatus es. mouemur enim nescio quo pacto locis ipsis: in quibus eorum quos diligimus, aut admiramur: adsunt vestigia. me quidem ipsæ illæ nostræ Athenæ non tã operibus magnificis, exquisitisq; anti quorum artibus delectant: quam recordatione summorũ virorum: vbi quisque habitare, vbi sedere, vbi disputare sit solitus: studioseq; eorũ etiã sepulchra contemplor. quare istum, vbi tues natus, plus amabo posthac locũ. M. Gaudeo igitur, me incunabula pene mea tibi ostendisse. Atti. Equidem me cognosse admodum gaudeo. sed illud tamen quale est, quod paulo ante dixisti, hunc locũ (idem ego te accipio

cipio dicere Arpinũ) germanã patriam esse vestram? nunquid vos duas habetis patrias? an est illa vna patria cõmunis? nisi forte sapienti illi Catoni fuit patria nõ Roma, sed Tusculum. M. Ego me hercule & illi, & omnibus municipibus duas esse censeo patrias: vnam naturæ: alteram ciuitatis. vt ille Cato, cum esset Tusculi natus, in populi Rom. ciuitatem susceptus est. itaq; cũ ortu Tusculanus esset: ciuitate Romanus: habuit alteram loci patriam: alterã iuris. vt vestri Attici, priusquam Theseus eodẽ migrare ex agris, & in astu, quod appellatur, omneis se cõferre iussit: et Sanny erant ydem & Attici: sic nos & eam patriam dicimus vbi nati: & illam qua excepti sumus. sed necesse est charitatem eam præstare, qua Reipub. nomen vniuersæ ciuitatis est: proqua mori, & cui nos totos dedere, & in qua nostra omnia ponere, & quasi consecrare debemus. dulcis autem non multo secus est ea, quæ genuit: quàm illa, quæ excepit. itaq; ego esse hanc meam patriã prorsus nunquam negabo: dum illa sit maior: & hæc in ea continetur. Atti. Recte igitur Magnus ille noster me audiente posuit in iudicio: cum pro Auidio tecum simul diceret: Remp. nostram iustissimas huic municipio gratias, agere posse: quod ex eo, duo sui conseruatores extitissent: vt iam videar, adduci hanc quoq; quæ te procreauit, esse patriam tuam. Sed ventum in insulam est. hac vero nihil est amœnius. vt enim hoc quasi rostro finditur Fibrenus: & diuisus æqualiter in duas partes latera hæc alluit: rapideq; dilapsus citò in vnum confluit: & tantum complectitur, quod satis sit modicæ palestræ loci. quo effecto, tanquam id habuerit ope-

ris,ac muneris: vt hanc nobis efficeret sedē ad disputandum:statim præcipitat in Lirem: & quasi in familiam patritiam venerit,amittit nomen obscurius: Lirémque multo gelidiorem facit.nec enim vllum hoc frigidius flumen attigi:cum ad multa accesserim:vt vix pede tenta re id possim: quod in Phædro Platonis facit Socrates. M. Est vero ita. sed tamen huic amœnitati, quam ex Quinto sæpe audio,Thebanus Epirotes tuus ille nihil opinor concesserit. Q. Est ita vt dicis. caue enim putes Attici nostri Emathio, platanisq; illis,quicquā esse præclarius.sed si videtur,consideamus hic in vmbra: atque ad eam partem sermonis , ex qua egressi sumus,reuertamur. M. Præclare exigis Quinte. at ego effugisse arbitrabar: & tibi nihil eorum deberi potest. Q. Ordire igitur, nam hunc tibi totum dicamus diem. M. à Ioue musarum primordia, sicut in Arati carmine orsi sumus. A. Quorsum istuc? Q. Quia nunc itidem ab eodem,& cæteris dijs immortalibus sunt nobis agendi capienda primordia. M. Optime vero frater: & fieri sic decet. Videamus igitur rursus , priusquam aggrediamur ad leges singulas:vim naturamq; legis.ne cum referenda sint ad eam nobis omnia : labamur interdum errore sermonis : ignoremusq; vim sermonis eius, quo iura nobis definienda sint. Q. Sanè quidem,hercule.est ista recta docendi via. M. Hanc igitur video sapientissimorum fuisse sententiam: legem neque hominum ingenijs excogitatam: neq; scitū aliquod esse populorum:sed æternum quiddam : quod vniuersum mundum regeret imperandi, prohibendiq; sapientia.ita principem legem illam,& vltimam,mentem esse

dicebant

dicebant omnia ratione aut cogentis, aut vetantis dei. ex qua illa lex, quam dij humano generi dederunt, recte est laudata. est enim ratio, mensque sapientis, ad iubendum, & ad deterrendum idonea. Q. Aliquoties iam iste locus à te tactus est. sed antè quam ad populares leges venias: vim istius cœlestis legis explana, si placet: ne æstus nos consuetudinis absorbeat: & ad sermonis morem vsitati trahat. M. A paruis enim Quinte didicimus: si inius vocat, atque eat, eiusmodi leges alias nominare. sed vero intelligi sic oportet: & hæc, & alia iussa, ac vetita populorum, vim habere ad recte facta vocandi: & à peccatis auocandi: quæ vis non modo senior est quàm ætas populorum, & ciuitatum: sed æqualis illius, cœlum, atque terras tuentis, & regentis dei. neque enim esse mens diuina sine ratione potest: nec ratio diuina non hanc vim in rectis, prauisque sanciendis habere. nec, quia nusquam erat scriptum, vt contra omnes hostium copias in ponte vnus assisteret: à tergóque pontem interscindi iuberet: iccirco minus Coclitem illum rem gessisse tantam, fortitudinis lege, atque imperio putabimus: nec si regnante Tarquinio nulla erat Romæ scripta lex de stupris: iccirco non contra illam legem sempiternam Sextus Tarquinius vim Lucretiæ Tricipitini filiæ attulit: erat enim ratio profecta à rerum natura, & ad recte faciendum impellens, & à delicto auocans. quæ non tum denique incipit lex esse, cum scripta est: sed tum, cum orta est. orta autem simul est cum mente diuina. quamobrem lex vera, atq; princeps, apta ad iubendum, & ad vetandum, ratio est recta summi Iouis. Q.

Assentior, frater, vt quod est rectũ, verum quoq; sit: neque cum literis, quibus scita scribũtur, aut oriatur, aut occidat. M. Ergo vt illa diuina mens summa lex est: item cum in homine est perfecta: est in mente sapientis. quæ sunt autem variæ, & ad tempus scriptæ, populi fauore magis, quàm re, leges nomen tenent. omnẽ enim legem, quæ quidem recte lex appellari possit, esse laudabilem, quibusdam talibus argumentis docent. Constat profecto ad salutem ciuium, ciuitatumq; incolumitatem, vitamq; omnium quietam, & beatam, conditas esse leges eosq; qui primum eiusmodi scita sanxerunt, populis ostendisse, ea se scripturos, atq; laturos: quibus illi ascriptis, susceptisq;, honeste beateq; viuerent. quæq; ita composita, sanctaq; essent, eas leges videlicet nominarũt. Ex quo intelligi par est. eos qui pernicioſa, & iniusta populis iussa descripserint. cũ contra fecerint, quã polliciti, professiq; sint: quiduis potius tulisse, quàm leges: vt perspicuum esse possit in ipso nomine legis interpretando, ineſſe vim, & sententiam iusti, & iuris colendi. quæro igitur Quinte à te (sicut illi solent) quo si ciuitas careat, ob eam ipsam causam, quod eo careat, pro nihilo habenda sit: id est, ne numerandum in bonis? Q. Ac maximis quidem. M. Lege autem carens ciuitas, an ne ob ipsum habenda nullo loco? Q. Dici aliter non potest. M. Necesse est igitur legem haberi in rebus optimis. Q. Prorsus assentior. M. Quid quod multa pernicioſe, multa pestifere sciscuntur in populis? quæ non magis legis nomẽ attingunt: quã si latores aliquas concessu suo sanxerint. nam neq; medicorum præcepta dici vere possent: si quæ inscy, imperitiq; pro salutaribus

mortifera

mortifera cõscripserint: neq; in populo lex, cui cuimodi fuerit illa: etiam si perniciosum aliquid populus acceperit. ergo est lex iustorum, iniustorũq; distinctio, ad illam antiquissimam, & rerũ omnium principẽ expressa naturam: ad quam leges hominum diriguntur: quæ supplicio improbos afficiunt: defendunt, ac tuentur bonos. Q. Præclarè intelligo nec vero iam aliam esse vllam legem puto non modo habendam: sed ne appellandam quidem. M. Igitur Tutias & Apuleias leges nullas putas? Q. Ego vero ne Liuias quidem. M. Et recte, quæ præsertim vno versiculo senatus, puncto tẽporis sublatæ sint. lex autem illa, cuius vim explicaui, neq; tolli, neq; abrogari potest. Q. Eas tu igitur leges rogabis videlicet, quæ nunquam abrogentur? M. Certe, si modo acceptæ à vobis duobus erunt. sed vt vir doctissimus fecit Plato, atq; idẽ grauissimus philosophorum, qui omniũ princeps, de Rep. conscripsit: idem q; separatim de legibus: id mihi credo esse faciendum: vt priusquam ipsam legem recitem: de eius legis laude dicam. quod idẽ & Zaleucum, & Charondam feciſſe video: cum quidẽ illi non studij, & delectationis, sed Reip. causa leges ciuitatibus suis scripserũt. quos imitatus Plato, videlicet hoc quoq; legis putauit esse, persuadere aliquid: non omnia vi ac minis cogere. Q. Quid? quod Zaleucum istum negat vllum fuisse Timæus? M. At Theophrastus author, haud deterior, mea quidem sententia: meliorem multi nominant: cõmemorant vero ipsius ciues, nostri clientes, Locri: sed siue fuit: siue non fuit: nihil ad rem. loquimur quod traditũ est. Sit igitur hoc iam à principio persuasum ciuibus, dominos esse omnium

rerum, ac moderatores deos: eáque, quæ gerantur, eorũ geri iudicio, ac numine: eosdemq; optime de genere hominum mereri: & qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat, qua mente, qua pietate religiones colat, intueri: piorumq; & impiorum habere rationem. his enim rebus imbutæ mentes, haud sanè abhorrebunt ab vtili, & à vera sententia. quid est enim verius, quàm neminem esse oportere tam stultè arrogantẽ, vt in se mentem & rationem putet inesse, in cœlo mundóque non putet? aut ea quæ vix summa ingenij ratione comprehendat, nulla ratione moueri putet? quem vero astrorum ordines, quem dierum, noctiumq; vicissitudines, quem mensiũ temperatio, quemq; ea, quæ gignuntur nobis ad fruendum, non gratum esse cogant: hunc hominem omnino numerare neque decet. cumque omnia, quæ rationem habent, præstent his, quæ sint rationis expertia: nefasque sit dicere vllam rem præstare naturæ omnium rerum, rationem inesse in ea, confitendum est. Vtiles esse autem opiniones has quis neget? cum intelligat quã multa firmentur iureiurando: quantæ salutis sint fœderũ religiones: quã multos diuini supplicij metus à scelere reuocarit: quamq; sancta sit societas ciuiũ, inter, ipsos dijs immortalibus interpositis tum iudicibus, tum testibus. habes legis proœmium. sic enim hoc appellat Plato. Q. Habeo vero, frater: & in hoc admodum delector: quod in alijs rebus, alijsque sententijs versaris, atque ille. nihil enim tam dissimile est: quàm vel ea, quæ ante dixisti: vel hoc ipsum legis exordiũ. vnũ illud mihi videris imitari, orationis genus. M. Vellem fortasse. quis enim id potest, aut vnquam poterit imitari? nam

sententias

sententias interpretari perfacile est. quod quidem ego facerem: nisi plane esse vellem meus. quid enim negocij est, eadem, propè verbis ijsdem conuersa dicere?

Q. Prorsus assentior. verum, vt modo tute dixisti, te esse malo tuum. sed iam exprome, si placet, istas leges de religione. M. Expromam equidem vt potero. & quoniam & locus, & sermo familiaris est: legum leges voce proponam. Q. Quidnam id est? M. Sunt certa legum verba Quinte, neque ita prisca, vt in veteribus his, sacratisq; legibus: & tamen, quo plus authoritatis habeant, paulo antiquiora, quam hic sermo est. eum morem igitur cum breuitate (si potero) consequar. leges autem à me edentur non perfectæ. nam esset infinitum. sed ipsæ summæ rerum, ac sententiæ. Q. Ita vero necesse est: quare audiamus.

M. Ad diuos adeunto caste: pietatẽ adhibẽto: opes amouento. qui secus faxit, deus ipse vindex erit. Separatim nemo habessit deos: neue nouos, sed ne aduenas, nisi publice adscitos, priuatim colunto. constructa à patribus delubra in vrbibus habento. lucos in agris habento: & larum sedes, ritus familiæ, patrumq; seruanto. Diuos, & eos, qui cœlestes semper habiti, colunto: & ollos, quos in cœlũ merita vocauerint: Herculem, Liberum, Æsculapium, Castorem, Pollucem, Quirinum. astolla, propter quæ datur homini ascensus in cœlum: mentẽ, virtutẽ, pietatem, fidem: earumq; laudum delubra sunto. nec vlla vitiorum sacra solemnia obeunto. feriis iurgia amouento: easq; in famulis, operibus patratis habeto. Itaq;, vt ita cadat in annuis anfractibus, descriptum esto. certasq; fruges, certasq; baccas sacerdotes publice libanto:

hoc certis sacrificijs ac diebus. Itemq; alios addes. vbertatem lactis, fœturæq; seruanto. idq; ne cõmitti possit: ad eam rationem cursus annuos sacerdotes finiunto. quæq; cuiq; diuo decoræ, gratæ sint hostiæ prouidento: diuisque alijs sacerdotes, omnibus pontifices, singulis flamines sunto. virgines Vestales in vrbe custodiunto ignem fóci publici sempiternum. quoq; & priuatim, & publice modo, rituq; fiat, discunto ignari à publicis sacerdotibus. eorum autem genera sunto duo: vnum, quod præsit cerimonijs, & sacris: alterũ quod interpretetur fatidicorũ & vatum effata incognita: cum senatus populusq; asciuerit. interpretes autem Iouis Optimi Maximi publici augures signis, & auspicijs postea vidento. disciplinam tenento. sacerdotes vineta, virgetaq; & salutẽ populi auguranto. quiq; agent rem duelli, quiq; populare auspicium, præmonento: olliq; obtemperanto: diuorumque iras prouidento: ollisq; parento: cœlique fulgura regionibus ratis temperanto: vrbemq; & agros, & templa liberata, & effata habento. quæque augur iniusta, nefasta, vitiosa, dira desixerit, irrita, infectaq; sunto. quique non paruerit, capitale esto. fœderum, pacis, belli, inducarum oratores, feciales iudices ne sunto. bella, disceptatio, prodigia, portẽta, ad Hethruscos & aruspices, si senatus iusserit, deferunto. Hethruriæq; principes disciplinam docento. quibus diuis, creuerint procuranto. Iidemque fulgura atq; obstita pianto. nocturna mulierũ sacrificia ne sunto: præter olla, quæ pro populo rite fient. neue quẽ initianto, nisi vt assolet Cereri, Græco sacro. sacrũ commissum quod neq; expiari poterit impie cõmissum est. quod expiari poterit, publici sacerdotes expianto.

Ludis

Ludis publicis, quod sine curriculo & sine certatione corporum fiat, popularem lætitiam in cantu, & fidibus, & tibijs moderanto: eamq; cum diuûm honore iungunto. Ex patrijs ritibus optima colûto. præter Ideæ matris famulos, eosq; iustis diebus, ne quis stipẽ cogito. Sacrũ, sacróue commendatum qui clepserit, rapserit que parricida esto. Periury pœna diuina, exitium: humana dedecus. incestum pontifices supremo supplicio sanciunto. Impius ne audeto placare donis iram deorum. Sancte vota reddunto. pœna violati iuris esto. quocirca ne quis agrum consecrato. auri, argenti, eboris sacrandi modus esto. sacra priuata, perpetua manento. deorum manium iura, sancta sunto. Hos leto datos, diuos habento. sumptum in ollos luctumq; minuunto.

Atti. Conclusa est quidem à te tam magna lex, sanè quàm breuiter: &, vt mihi quidem videtur, nõ multũ discrepat ista constitutio religionũ à legibus Numæ, nostrisq; moribus. M. An censes, cum in illis de Rep. libris persuadere videatur Africanus, omniũ rerum publicarum nostram veterẽ illam fuisse optimam: nõ necesse esse optimæ Reip. leges dare consentaneas? Atti. Immo prorsus ita censeo. M. Ergo adeo expectatæ leges, quæ genus illud optimum Reip. cõtineant. &, si quæ forte à me hodie rogabuntur: quæ nõ sint in nostra Repub. neq; fuerint: tamen erant ferè in more maiorũ: qui tum, vt lex, valebat. Atti. Suade igitur si placet istam ipsam legem: vt ego, vt & tu rogas, possim edicere. M. Ain tandem Attice, non es edicturus aliter? Atti. Prorsus maiorem quidem rem nullam sciscam aliter. in minoribus, si voles, e mittam hoc tibi. M. Atq; mea quidem sententia est.

at ne

at ne longum fiat, videte. Atti. Vtinam quidem: quid enim agere malumus? M. Caste iubet lex adire ad deos: animo videlicet, in quo sunt omnia: nec tollit castimoniam corporis. sed hoc oportet intelligi: cum multũ animus corpori præstet: obseruetur q3 vt casto corpore adeatur: multo esse in animis id seruandum magis. nam incestum vel aspersione aquæ, vel dierum numero tollitur: animi labes nec diuturnitate vanescere: nec manibus vllis elui potest. Quod autem pietatẽ adhiberi, opes amoueri iubet: significat probitatẽ gratam esse deo: sumptum esse remouendũ. Quid est enim, cũ paupertatẽ diuitijs, etiã inter homines esse æqualẽ velimus: cur eam sumptu ad sacra adhibito deorũ aditu arceamus? præsertim cũ ipsi deo nihil minus gratum futurũ sit: quàm non omnibus patere ad se placandum, & colendum viam. Quod autem non iudex, sed deus ipse, vindex constituitur: præsentis pœnæ metu religio confirmari videtur. Suos q3 deos, aut nouos, aut alienigenas coli, cõfusionem habet religionum: & ignotas ceremonias esse sacerdotibus. nam à patribus acceptos deos ita placet coli: si huic legi paruerint ipsi. Patrum delubra esse in vrbibus censeo: nec sequor magos Persarum: quibus authoribus Xerxes inflammasse templa Græciæ dicitur: quod parietibus includerent deos: quibus omnia deberent esse patentia, ac libera: quorum q3 hic mundus omnis templũ esset, & domus. melius Græci, atque nostri: qui vt augerent pietatem in deos: easdem illos, quas nos, vrbes incolere voluerunt. affert enim hæc opinio religionem vtilem ciuitatibus. siquidem & illud bene dictum est à Pythagora, doctissimo viro: tum maxime & pietatem

& re-

& religionem versari in animis: cũ rebus diuinis operã daremus: & quod Thales: qui sapientissimus inter septẽ fuit: Homines existimare oportere deos omnia cernere: deorũ omnia esse plena. fore enim omnes castiores: veluti quo infans esset maxime religiosus. est enim quadam opinione species deorum in oculis, non solũ in mentibus. Eandemq; rationẽ luci habent in agris. neq; ea, quæ à maioribus prodita est, cũ dominis, tum famulis, posita in fundi, villæq; conspectu, religio patrũ, repudiãda est. Iam ritus familiæ, patrumq; seruari, id est, quoniã anti quitas proxime accedit ad deos: à diys quasi traditã religionẽ tueri. Quod autem ex hominum genere consecratos, sicut Herculem, & cæteros coli lex iubet: indicat omniũ quidem animos immortales esse: sed fortium, bonorumq; diuinos. Bene vero: quod mens, pietas, virtus, fides, consecratur manu: quarũ omnium Romæ dedicata publice templa sunt: vt illa qui habeant (habent autem omnes boni) deos ipsos in animis suis collocatos putent.

Multa desunt.

Nam illud vitiosum Athenis: quod Cylonio scelere expiato, Epimenide Crete suadente, fecerunt Contumeliæ fanũ, & Impudentiæ. virtutes enim, nõ vitia consecrare decet. araq; vetus stat in Palatio Febris: & altera Esquilijs, malæ Fortunæ, detestataq;. quæ omnia eiusmodi repudianda sunt. Quod si fingenda nomina vice Poëtæ, & potius vincendi, atq; potiundi, statasſandiq; cognomina statoris, & inuicti Iouis, rerumq; expetendarũ nomina, salutis, honoris, opis, victoriæ: quoniam quidẽ expectatione rerum bonarum erigitur animus. Recte etiam à Colatino Spes consecrata est. Fortuna, que sit

vel

vel huius diei. nā valet in omnes dies: vel respiciens ad opem ferendam: vel forum: in quo incerti casus significantur magis: vel primigeniam à gignendo: comes feriarum festorumque dierum ratio in liberis requietem habet litium, & iurgiorum: in seruis, operum, & laborum. quas cōpositio anni conferre debet & perfectionem operum rusticorum. Quod tempus, vt sacrificiorum libamenta seruentur, fœtusque pecorum, quæ dicta in lege sunt: diligenter habenda ratio intercalandi est. quod institutum perite à Numa, posteriorum pontificū negligentia dissolutum est. Iam illud ex institutis pontificū & aruspicum non mutandum est: quibus hostys immolandum cuiq; deo: cui maioribus, cui lactentibus, cui maribus, cui fœminis. Plures autem deorum omnium, singuli singulorū sacerdotes, & respondendi iuris et confitendarum religionum facultatem afferunt. cumque Vesta quasi focus vrbis, vt Græco nomine est appellata: quod nos propè idem Græcum interpretatiū nomen tenemus: conspecta sit: ei colendæ virgines præsint: vt aduigiletur facilius ad custodiam ignis: & sentiant mulieres in natura fœminarum omnium deum castitatem pati.

Quod sequitur vero, non solum ad religionem pertinet: sed etiam ad ciuitatis statum: vt sine his, qui sacris publice præsunt, religioni priuatæ satisfacere non possint. continet enim Reip. consilio & authoritate optimatum semper populum indigere. descriptioq; sacerdotum nullum iustæ religionis genus prætermittit. nam sunt ad placandos deos aly constituti: qui sacris præsint solemnibus: ad interpretanda aly prædicta vatum: neque multorum, ne esset infinitum: neq; vt eaip-

sa, quæ

sa, quæ susceptæ publice essent, quisquam extra collegiũ nosset. Maximum autem & præstantissimũ in Republica ius est augurum: cum est authoritate coniunctum. neq; vero hoc, quia sum ipse augur, ita sentio: sed quia sic existimari nos est necesse. quid enim maius est, si de iure quærimus: quàm posse à summis imperys, & summis potestatibus comitia tollere? concilia vel instituta dimittere? vel habita rescindere? quid grauius, quam rem susceptam dirimi: si vnus augur aliter dixerit? quid magnificentius? quàm posse decernere vt magistratu se abdicent consules? quid religiosius, quàm cum populo, cum plebe agendi ius, aut dare, aut non dare? quid? legem, si non iure rogata est, tollere? vt etiam decreto collegy, vt Liuias consilio Philippi, consules, & augures: nihil domi, nihil foris per magistratus gestum, sine eorum authoritate posse cuiquam probari? Atti. Age iam ista video: fateorq; esse magna. sed est in collegio vestro inter Marcellum, & Appium optimos augures, magna dissensio. nam eorum ego in libros incidi: cum alteri placeat auspicia ista ad vtilitatem esse Reip. composita: alteri disciplina vestra quasi diuinare videatur prorsus posse. hac tu de re quæro quid sentias? M. Ego ne? diuinationẽ, quam Græci μαντικὴν appellant, esse censeo: & huius hanc ipsam partem, quæ est in auibus, cæterisq; signis disciplinæ nostræ. quod, cum summos deos esse concedamus: eorumq; mente mundũ regi & eorundem benignitatem hominũ consulere generi: et posse nobis signa rerum futurarum ostendere: non video cur diuinationem esse negem. sunt autem ea quæ posui, ex quibus id, quod volumus, efficitur, & cogitur.

Iam

Iam vero permultorum exemplorum et nostra plena est Respublica, & omnia regna, omnesq; populi, cunctæque gentes, augurũ prædictis multa incredibiliter vera cecidisse: neq; enim Poletis, neq; Melampodis, neq; Mopsi, neque Amphiarai, neq; Calchantis, neque Heleni, tantum nomen fuisset: neque tot nationes id ad hoc tempus retinuissent, Arabum, Phrygum, Lycaonum, Cilicum, maximeq; Pysidarum: nisi vetustas ea certa esse docuisset. nec vero Romulus noster auspicato vrbem condidisset: neq; Accij Nauij nomen memoria floreret tam diu: nisi hi omnes multa ad veritatem, admirabilia dixissent. sed dubium non est, quin hæc disciplina & ars augurum euanuerit iam, & vetustate, & negligentia. itaque neque illi assentior: qui hanc scientiam negat vnquam in nostro collegio fuisse: neq; illi: qui esse etiam nũc putat. Quæ mihi videtur apud maiores fuisse duplex: vt ad Reipub. tempus nonnunquam, ad agendi consilium sæpissime pertineret. Atti. Credo, Hercle, ita esse: istiq; rationi potissimum assentior. sed redde cætera. M. Reddam vero, & si potero, breui. Sequitur enim de iure belli: in quo & suscipiendo, & gerendo, & deponendo, ius vt plurimum valet, & fides: horum q; vt publici interpretes essent, lege sancimus. Iam de aruspicum religione, de expiationibus, & procurationibus satis, superque in ipsa lege dictum puto. Atti. Assentior: quoniam omnis hæc in religione versatur oratio: M. At vero, quod sequitur, quomodo aut tu assentiare: aut ego reprehendam, sane quæro Tite. Atti. Quid tandem id est? M. De nocturnis sacrificijs mulierũ. Atti. Ego vero assentior: excepto præsertim in ipsa

lege

lege, solemni sacrificio, ac publico. M. Quid ergo aget Iacchus, Eumolpidæq; vestri, et augusta illa mysteria, siquidem sacra nocturna tollimus? non enim populo Ro. sed omnibus bonis, firmisq; populis leges damus. Atti. Excipis credo illa: quibus ipsi initiati sumus. M. Ego vero excipiã. nam mihi cũ multa eximia, diuinaq; videntur Athenæ tuæ peperisse: atq; in vita hominum attulisse: tum nihil melius illis mysteriis, quibus ex agresti, immaniq; vita exculti ad humanitatem, & mitigati sumus: initiaq; vt appellantur: ita reuera principia vitæ cognouimus. neq; solum cum lætitia viuendi rationẽ accepimus: sed etiam cum spe meliore moriendi. quid autem mihi displiceat, in nocturnis, poëtæ indicant Cõmici. qua licentia Romæ data, quidnam egisset ille, qui in sacrificium cogitatã libidinem intulit: quo ne impudentiã quidem oculorum adyci fas fuit? Atti. Tu vero istam Romæ legem rogato: nobis nostras ne ademeris. M. Ad nostra igitur reuertor: quibus profecto diligentissime sanciendum est: vt mulierum famam multorum oculis lux clara custodiat: initienturq; eo ritu Cereri, quo Romæ initiantur. Quo in genere seueritatẽ maiorũ, Senatus vetus authoritas de Bacchanalibus, & consulũ exercitu adhibito quæstio, animaduersioq; declarat. Atq; omnia nocturna (ne nos duriores forte videamur) in media Græcia Diagondas Thebanus lege perpetua sustulit. nouos vero deos, & in his colendis nocturnas peruigilationes sic Aristophanes, facetissimus poëta veteris comœdiæ, vexat: vt apud eũ Sabatius, & quidam alij dij, peregrini iudicati, è ciuitate eiciantur. Publicus autem sacerdos imprudentiam cõsilio

expiatam metu liberet: audaciam in admittendis religionibus fœdis damnet: atq; impiam iudicet. Iam ludi publici, cũ sint cauea, circoq; diuisi, sint corporũ certationes, cursu, & pugillatione, luctatione, curriculisq; equorum, vsq; ad certam victoriam circo constitutis: cauea, cantu, voce, ac fidibus, & tibijs: dummodò eamoderata sint: vt lege præscribitur. assentior enim Platoni: nihil tam facile in animos teneros, atq; molles influere, quàm varios canendi sonos. quorũ dici vix potest quãta sit vis in vtramq; partem. namq; & incitat languẽtes: & languefacit excitatos: & tum remittit animos: tum contrahit. ciuitatumq; hoc multarũ in Græcia interfuit, antiquum vocũ seruare modũ: quarum mores lapsi ad mollitiem pariter sunt immutati cũ cantibus: aut hac dulcedine corruptelaq; deprauati, vt quidam putant: aut, cum seueritas eorum ob alia vitia cecidisset: tum fuit in auribus animisq; mutatis, etiam huic mutationi locus. quamobrem ille quidem sapientissimus Græciæ vir, longeq; doctissimus valde hanc labem veretur. negat enim mutari posse musicas leges, sine mutatione legum publicarum. ego nec tam valde id timendũ, nec planè contemnendũ puto. Illa quidem, quæ solebant quondã complecti seueritate iucunda Liuianis, & Næuianis modis: nunc vt eadem exultent: ceruices, oculosq; pariter cũ modorum flexionibus torqueant grauiter olim ista vindicabat vetus illa Græcia, lõge prouidens, quàm sensim pernicies illapsa ciuiũ animos malis studijs, malisq; doctrinis repente totas ciuitates euerteret. siquidẽ illa seuera Lacedæmon neruos iussit, quod plures quàm septem haberet, in Timothei fidibus inde demi.

demi. deinceps in lege est: vt de ritibus patrijs, colantur optimi: de quo cum consulerent Athenienses Apollinẽ Pythium, quas potissimum religiones tenerent: oraculum editum est: Eas, quæ essent in more maiorum. quo cum iterum venissent: maiorumq; morem dixissent sæpe esse mutatum: quæsiuissentq; quem morem potissimũ sequerentur è varijs: respondit, Optimũ, & profecto ita est: vt id habendum sit antiquissimum, & deo proximum: quod sit optimum.

Stipem sustulimus: nisi eã quã apud paucos dies propriam Ideæ matris excepimus. Implet enim superstitione animos: & exhaurit domos. Sacrilego pœna est: neq; ei soli, qui sacrum abstulerit: sed etiam ei, qui sacro commendatũ. quod & nunc multis fit infinis. Alexander in Cilicia depositum esse apud Solem, in delubro pecuniam dicitur: & Athenienses Clysthenes Iunoni Samiæ, ciuis egregius, cũ rebus timeret suis, filiarum dotes credidit. Sed iam de periurijs, de incestis nihil sane hoc quidem loco disputandum est. Donis impy, ne placare audeant deos, Platonẽ audiant: qui vetat dubitare, qua sit mente futurus deus: cũ vir nemo bonus ab improbo se donari velit. Diligentia votorum satis in lege dicta est: ac voti sponsio, qua obligamur deo. Pœna vero violatæ religionis iustam recusationẽ non habet. quid ego hic scelerato rum vtar exemplis? quorũ sunt plenæ tragœdiæ? quæ ante oculos sunt, ea potius attingantur. & si hæc commemoratio vereor ne supra hominis fortunam esse videatur: tamen quoniam mihi sermo est apud deos, nihil reticebo: velimq; hoc quod loquar dijs immortalibus gratum potius videri, quam graue. Omnia autem tum

perditorum ciuium scelere, discessu meo, religionum iura polluta sunt: vexati nostri Lares familiares: in eorũ sedibus exædificatum templum Licentiæ: pulsus à delubris is, qui illa seruarat. circumspicite hæc celeriter animo (nihil enim attinet quenquã nominari) qui sint rerũ exitus cõsecuti. nos, qui illã custodem vrbis, omnibus ereptis nostris rebus, ac perditis, violari ab impys passi nõ sumus: eamq; ex nostra domo in ipsius patris domũ detulimus: iudicia senatus, Italiæ, gentiũ deniq; omnũ, conseruatæ patriæ cõsecuti sumus. quo quid accidere potuit homini præclarius? quorũ scelere religiones prostratæ, afflictæq; sunt: partim ex illis distracti ac dissipatiacent: qui vero ex his & omnium scelerũ principes fuerunt: & præter cæteros in omni religione impy: non sõlum vita cruciati, atq; dedecore, verum etiam sepultura, ac iustis exequys caruerunt. Q. Equidem ista agnosco frater: & meritas dijs gratias ago. sed nimis sæpe secus aliquando videmus euadere. M. Non enim, Quinte, rectè existimamus, quæ pœna diuina sit: & opinionibus vulgi rapimur in errorẽ: nec vera cernimus. morte, aut dolore corporis, aut luctu animi, aut offensione iudicij, hominum miserias ponderamus: quæ fateor humana esse: & multis bonis viris accidisse. sceleris est pœna tristis: & præter eos euentus, qui sequuntur, per se ipsa maxima est. Vidimus eos, qui nisi odissent patriã, nunquam inimici nobis fuissent, ardentes tum cupiditate, tum metu, tum conscientia, quid agerent modo timentes, vicissim contemnentes religiones: iudicia perrupta ab ysdem, corrupta hominum, non deorũ. reprimam iam me, nec insequar longius: eoq; minus, quo

plus

plus pœnarum habeo, quàm petiui: tantum pœna merui, duplicem pœnam esse diuinam: quod constaret & ex vexandis viuorũ animis: & ex fama mortuorũ: vt eorum exitium & iudicio viuorum, & gaudio compro betur. Agri autem ne consecrentur, Platoni prorsus assentior: qui (si modo interpretari potuero) his ferè verbis vtitur. Terra igitur, vt focus, domiciliũ sacrum omnium deorum est. quocirca ne quis iterũ idem consecrato. aurum autem, & argentũ, in vrbibus & priuatim, & in fanis inuidiosa res est. tum ebur ex inani corpore extractum, haud satis castum donum deo. Iam æs, atq; ferrum, duelli instrumenta, non fani. ligneum autem quodq; voluerit, vno è ligno cauato: itemq; lapideum. in delubris communibus textile ne operosius, quàm mulieris opus menstruũ. color autem albus præcipue decorus deo est, cum in cæteris, tum maximè in textili. tincta vero absint: nisi à bellicis insignibus. diuinissima autẽ dona aues habent, & formæ ab vno pictore, vno absolutæ die. itemq; cætera huius exempli dona sunt. Hæc illi placent. Sed ego cætera non tam restricte præsinio, vel hominum vitijs, vel subsidijs temporum victus. Terræ cultum segniorem suspicor fore: si ad eam tuendam ferroq; subyciendã superstitionis aliquid accesserit. Atti. Habeo ista. nunc de sacris perpetuis, & de manium iure rest. at. M. O miram memoriam, Pomponi, tuam. at mihi ista exciderant.

Atti. Ita credo: sed tamen hoc magis eas res, & memini, & expecto: quod & ad pontificium ius, & ad ciuile pertinent. M. Vera & apertissima sunt istis de rebus & responsa & scripta multa: & ego in

hoc omni sermone nostro, quod ad cunq; legis genus me disputatio nostra deduxerit: tractabo quoad potero eius ipsius generis ius ciuile nostrum: sed ita, locus ipse vt notus sit, ex quo ducatur, quæq; res, & ars iuris: vt nõ difficile sit, quæcunq; noua causa consultatióue acciderit: eius tenere ius: cũ scias à quo sit capite repetendũ. Sed iureconsulti siue erroris obiciendi causa: quo plura & difficiliora scire videãtur: siue quod similius veri est, ignoratione docendi (nam non solum scire aliquid, artis est: sed quædam ars etiam docendi) sæpe, quod positum est in vna cognitione: id in infinita dispartiuntur: velut in hoc ipso genere, quam magnum illud Scæuola faciunt, pontifices ambo, & ýdem iuris peritissimi. At, inquit Publij filius, ex patre audiuis, pontificem neminem bonum esse, nisi qui ius ciuile cognosset. totum ne? quid ita? quid enim ad pontificem de iure parietum, aut aquarum, aut vllo omnino? ergo, quod cum religione coniunctum est: id autem quantulum est? de sacris, credo, de votis, de feriis, de sepulchris, & si quid eiusmodi est. Cur igitur hæc tanta facimus, cum cætera perparua sint? De sacris autem (qui locus patet latius) hæc sit vna sententia: vt conseruentur semper: & deinceps familys prodantur: & (vt in lege posiui) perpetua sint sacra hîc posita. Hæc iura pontificum authoritatem consecuta sunt: vt ne morte patrisfamilias sacrorũ memoria occideret: & ys essent ea adiuncta: ad quos eiusdem morte pecunia venerit. hoc vno posito, quod est ad cognitionem disciplinæ satis: innumerabilia nascuntur: quibus implentur iurisconsultorum libri. quæruntur enim, qui astringantur sacris

cris. hæredum causa iustissima est. nulla est enim persona, quæ ad vicem eius, qui è vita emigrauerit, propius accedat. deinde qui morte, testamentoue eius tantundem capiat, quantum omnes hæredes. id quoq; ordine. est enim ad id quod propositum est, accommodatũ. Tertio loco, si nemo sit hæres: is, qui de bonis, quæ eius fuerint, cũ moriturus, acceperit plurimum possidendo. Quarto, si nemo sit, qui vllam rem cœperit: de creditoribus eius, qui plurimum seruet. extrema illa persona est, vt is, qui ei, qui mortuus sit pecuniam debuerit: neminiq; eam soluerit: perinde habeatur, quasi eã pecuniã ceperit. Hæc nos à Scæuola didicimus: non ita descripta sunt ab antiquis. nam illi quidem his verbis docebant: tribus modis sacris astringi, hæreditate, aut si maiorem partem pecuniæ capiat: aut si maior pars pecuniæ legata est: aut si inde quippiam ceperit. sed pontificem sequamur. Videtis igitur omnia pendere ex vno illo, quod pontifices pecuniam sacris coniungi volunt. Iisdemq; ferias & cærimonias ascribendas putant. Atq; etiam dant hoc Scæuolæ: quod est partitio: vt, si in testamento deducta, scripta non sint: ipsiq; minus ceperint, quàm omnibus hæredibus relinquatur: sacris ne alligentur. in donatione hoc ydem secus interpretantur: & quod paterfamilias in eius donatione, qui in ipsius potestate esset, approbauit: ratum est. quod eo inscio factum est: si id is non approbat: ratum non est. His propositis, quæstiunculæ multæ nascuntur: quas qui intelligat: non, si ad caput referat: per se ipse facilè perspiciat. Veluti, si minus quis cepisset, ne sacris alligaretur: ac post de eius

hæredibus aliquis exegisset pro sua parte id, quod ab eo, cuius ipse hæres esset, prætermissum fuisset: eaq; pecunia non minor esset facta cũ superiore exactione: quàm hæredibus omnibus esset relicta: qui eam pecuniam exegisset, solũ, sine cohæredibus, sacris alligari. Quinetiam cauent, vt, cui plus legatum sit: quam sine religione capere liceat: is per æs, & libram, hæredem testamenti soluat: propterea quod eo loco res est, ita soluta hæreditate: quasi ea pecunia legata non esset. hoc ego loco, multisq; aliis quæro à vobis, Scæuolæ, pontifices maximi, & homines meo quidem iudicio, acutissimi, quid sit, quo ad ius pontificiũ ciuile appetatis, ciuilis enim iuris scientia pontificium quodam modo tollitis. nam sacra cum pecunia, pontificum authoritate, nulla lege, coniuncta sunt. Itaq; vsibus tantũmodo pontificis esset: si pontificalis maneret authoritas. sed quod idem iuris ciuilis est, spernitis: ac scientia illa eluditis. Placuit P. Scæuolæ, & Coruncano Põtificibus maximis, idemq; cæteris: qui tantundem caperet, quantum omnes hæredes, sacris alligari. habeo ius Pontificiũ. quid huc accessit ex iure ciuili? partitionis caput, scriptum caute, vt centum numi deducerentur. inuenta est ratio: cur pecunia sacrorum molestia liberaretur. quod si hoc, qui testamentũ faciebat, cauere voluisset: admonet iurisconsultus hic quidem ipse Mutius, pontifex idem, vt minus capiat: quam omnibus hæredibus relinquatur. super dicebãt quicquid cepisset, astringi. rursus sacris liberantur. Hoc vero nihil ad pontificiũ ius, & è medio est iure ciuili: vt per æs, & libram hæredem testamenti soluãt: & eodem loco res sit: quasi ea pecunia legata non esset, si is, cui

is, cui legatum est, stipulatus est id ipsum, quod legatum est: vt ea pecunia ex stipulatione debeatur: sitq; ea

(Pleraq; desunt.) non doctum hominem sanè: cuius fuit Actius perfamiliaris: sed mensem credo extremum anni, vt veteres Februariũ, sic hic Decembrẽ sequebatur. Hostia autẽ maxima parentare: pietatis esse adiunctũ putabat. Iam tanta religio est sepulchrorũ: vt extra sacra, & gentẽ, inferri fas negent esse: idq; apud maiores nostros Torquatus in gente Popilia iudicauit. Nec vero tam denicales, quæ à nece appellatæ sunt, quia residunt mortui: quam cæterorum cœlestium quieti dies, feriæ nominarentur: nisi maiores, eos qui ex hac vita migrassent, in deorũ numero esse voluissent. eas in eos dies cõferreius: vt neq; ipsius, neq; publicæ feriæ sint. totaq; huius iuris compositio pontificalis magnã religionem, cerimoniamq; declarat. neq; necesse est edisseri à nobis, quæ finis sinestæ familiæ: quod genus sacrificij lare veruecibus fiat: quemadmodum os reiectum terræ obtegatur: quæque in porca confracta iura sint: quo tempore incipiat sepulchrum esse: & religione teneatur. At mihi quidem antiquissimum sepulturæ genus, id fuisse videtur: quo apud Xenophontem Cyrus vtitur. redditur enim terræ corpus: & ita locatum, ac situm, quasi operimento matris obducitur. eodemq; ritu in eo sepulchro, quod procul ad fontis aras, regem nostrum Numam conditum accepimus: gentemq; Corneliam vsq; ad memoriã nostram, hac sepultura scimus esse humatam. C. Marij sitas reliquias apud Anienẽ, dissipari iussit Sylla victor, acerbiore odio incitatus, quàm si tam sapiens fuisset, quàm fuit vehemens. quod haud scio an timens suo

corpore posse accidere, primus è patritys Cornelijs igni voluit cremari. declarat enim Ennius de Africano.

Hic est ille situs.

vere: nam siti dicuntur ij, qui conditi sunt: nec tamen eorum ante sepulchrum est, quàm iusta facta, & corpus incensum est. & quod nunc cõmuniter in omnibus sepultis penitus, humati dicantur: id erat propriũ tum in ijs, quos humus iniecta contegeret: eumq; morẽ ius pontificale confirmat. nã priusquam in eos iniecta gleba est: locus ille vbi crematũ est corpus, nihil habet religionis. iniecta gleba tumulis, & humatus est: & sepulchrũ vocatur: ac tum deniq; multa religiosa iura cõplectitur. itaq; in eo qui in naui necatus, deinde in mare proiectus esset: decreuit P. Mutius, familiam puram quod os supra terram nõ extaret, porcam hæredi esset. contrà censes habendas triduum ferias, & porco fœminæ piaculum dari. si in mari mortuus esset: eadem præter piaculum & ferias. Atti. Video quæ sint in pontificio iure. Sed quæro quid nam sit in legibus. M. Pauca sanè, Tite, & (vti arbitror) non ignota vobis. sed ea non tam ad religionem spectant: quàm ad ius sepulchrorum. hominem mortuum inquit lex in duodecim tabulis, in vrbe ne sepelito: néue vrito. Credo vel propter ignis periculum. quod autem addit, ne'ue vrito: indicat, non qui vratur, sepeliri: sed qui humetur. Atti. Quid? qui post duodecim in vrbe sepulti sunt? M. Claros viros credo, Tite, fuisse: aut eos, quibus hoc ante hanc legem virtutis causà tributũ est: vt Publicolæ, vt Tuberto: quod eorum posteri iure tenuerunt: aut eos, si qui hoc, vt C. Fabricius, virtutis causa, consecuti sunt. Sed in vrbe sepe-

liri lex

lirilex vetat. sic decretum à pontificum collegio, nõ esse ius, in loco publico fieri sepulchrũ. nostris extra portã Collinam ædem Honoris: & aram in eo loco fuisse memoriæ proditum est: ad eam cum lamina esset inuenta: & in ea scriptum: DOMINA HONORIS: ea causa fuit ædis huius dedicandæ. sed cũ multa in eo loco sepulchra fuissent: exarata sunt. statuit enim collegiũ locum publicum non potuisse priuata religione obligari. Iam cætera in duodecim, minuendi sunt sumptus, lamentationesq; funeris, translata de Solonis fere legibus: hoc plus, inquit, ne facito, rogum asciaue polito. nostis quæ sequuntur. Discebamus enim pueri duodecim vt carmẽ necessarium: quas iam nemo discit. Extenuato igitur sumptu tribus ricinijs, & vinculis purpuræ, & decem tibicinibus, tollit etiam lamentationẽ. Mulieres genas ne radunto: neue lessum funeris ergo habento. hoc veteres interpretes, Sextus Ælius, Acilius non satis se intelligere dixerunt: sed suspicari vestimenti aliquod genus funebris. Lælius, lessum, quasi lugubrem eiulationẽ, vt vox ipsa significat. quod eo magis iudico verum esse: quia lex Solonis idipsum vetat. hæc laudabilia, et locupletibus ferè cum plebe communia. quod quidem maximè è natura est: tolli fortunæ discrimen in morte. cætera item funebria, quibus luctus augetur, duodecim sustulerunt. homini, inquit, mortuo ne ossa legito, quo post funus faciat. excipit bellicã, peregrinamq; mortẽ. Hæc præterea sunt in legibus de vnctura: quibus seruilis vnctura tollitur: omnisq; circũpotatio. quæ & recte tolluntur: neq; tolleretur, nisi fuissent. ne sumptuosa asperso, ne longæ coronæ, nec accerræ prætereantur. Illa iam

signi-

significatio est, laudis ornamenta ad mortuos pertinere: quod coronā virtute partam, & ei, qui peperisset, & eius parenti, sine fraude esse lex imposita iubet. credoq; quod erat factitatum: vt vni plura fierent: lectiq; plures sternerētur, id quoq; ne fieret, lege sancitū est qua in lege cū esset, Ne'ue aurum addito, quàm humane excipiat. Altera lex præcipit, altera lex vetat. vt cui auro dentes iuncti essent, astim cū illo sepeliretur: & ne se fraudi esto: et simul illud videtote, aliud habitum esse sepeliretur a re. Duæ sunt præterea leges de sepulchris. quarū altera priuatarum ædificijs, altera ipsis sepulchris cauet. nam quod rogum, bustúmue nouum vetat propius sexaginta pedes adijci ædes alienas, inuito domino: incendiū veretur acerbū. Quod autē fōrum, id est, vestibulū sepulchri bustumūe vsucapi vetat: tuetur ius sepulchrorum. hæc habemus in duodecim sanè secundum naturā: quæ norma legis est. reliqua sunt in more: funus vt indicatur: si quid ludorum, domusq; funeris vtatur accensō, atque lictoribus: honoratorum virorum laudes in concione memorantor: easq; etiam ad cantus ad tibicinē prosequuntor. cui nomen Næniæ. quo vocabulo etiā Græci cantus lugubres nominant. Q. Gaudeo nostra iura ad naturam accommodari: maiorumq; sapientia admodum delector. M. Sed credo, Quinte, vt cæteros sumptus, sic etiam sepulchrorum modum recte requiri. quos enim ad sumptus progressa iam ista res sit, in C. Figuli sepulchro vides. Q. Credo minimam olim istius rei fuisse cupiditatem. alioquin multa extarent exēpla maiorum. nostræ quidem legis interpretes, quo capite iubentur sumptus, & luctum remouere à deorum

manium

manium iure, hoc intelligunt: inprimis sepulchrorum magnificentiã esse minuendam. nec hæc à sapientissimis legum scriptoribus neglecta sunt. Nam & Athenis iam ille mos à Cecrope (vt aiunt) permansit: corporis terra humãdi: quã cũ proximi fecerant: obductaq; terra erat: frugibus obserebatur. vt sinus & gremium quasi matris mortuo tribueretur: solum autem frugibus expiatum vt viuis redderetur. sequebantur epulæ: quas inibant propinqui coronati, apud quas de mortui laude: (cũ aliquid veri erat prædicatum: nã mentiri nefas habebatur): ad iusta cõiecta erant. Posteaquam vt scribit Phalereus, sumptuosa fieri funera, & lamentabilia cœpissent: Solonis lege sublata sunt. quam legem eisdem prope verbis nostri Decemuiri in decimam tabulam conie cerunt. nã de tribus riciniys, & pleraq; illa Solonis sunt. De lamentis vero expressa verbis sunt. Mulieres genas ne raduntо: néue lessum funeris ergo, habento. de sepulchris autẽ nihil est apud Solonẽ amplius: quàm, nequis ea deleat: néue alienum inferat: pœnaq; est, si quis bustum (nam id puto appellari Tymbon) aut monumentum, inquit, aut columnã violarit, deiecerit, fregerit sed post aliquanto propter has amplitudines sepulchrorum: quas in Ceramico videmus, lege sanctum est, ne quis sepulchrum faceret operosius, quàm quod decẽ homines effecerint triduo. neq; id opere tectorio exornari. nec hermas, quos vocant: licebat imponi. nec de mortui laude nisi in publicis sepulturis, nec ab alio, nisi qui publice ad eam rem constitutus esset, dici licebat. Sublata etiã erat celebritas virorum & mulierum: quo lamentatio minueretur. Habet enim luctum concursus hominum.

num. quocirca Pittacus omnino accedere quenquam vetat in funus aliorum. sed ait rursus idem Demetrius, increbuisse eam funerum, sepulchrorumq; magnificentiam: quæ nunc ferè Romæ est. quam consuetudinem lege minuit ipse. (fuit enim hic vir, vt scitis, non solum eruditissimus, sed & ciuis à Repub. maxime, tuendæq; ciuitatis peritissimus) Iste igitur sumptus minuit non solum pœna sed etiam tempore. ante lucem enim iussit efferri. sepulchris autem nouis finiuit modũ. nam super terræ tumulũ noluit quid statui, nisi columellam tribus cubitis ne altiorẽ: aut mensam: aut labellũ: & huic procurationi certum magistratum præfecerat. Hæc igitur Athenienses tui. sed videamus Platonem: qui iusta funerum reijcit ad interpretes religionum. quem nos morem tenemus. de sepulchris autẽ dicit hæc. Vetat ex agro culto, eóue, qui coli possit, vllam partem sumi sepulchro: sed, quæ natura agri tantum modo efficere possit: vt mortuorum corpora sine detrimento viuorum recipiat: ea potissimum vt compleatur: quæ autem terra fruges ferre, & vt mater cibos suppeditare possit: eam ne quis nobis minuat néue viuus, néue mortuus. Extrui autem vetat sepulchrũ altius, quàm quod quinq; diebus absoluerint: nec è lapide excitari plus, nec imponi, quã quod capiat laudẽ mortui incisam, ne plus quatuor heroicis versibus: quos longos appellat Ennius. Habemus igitur huius quoq; authoritatem summi viri de sepulchris: à quo iterũ funerũ sumptus præfinitur ex cẽtibus à minis quinque, vsq; ad minam. Deinceps dicit eadem illa de immortalitate animorum, & reliqua post mortem tranquillitate bonorum: pœnis impiorum. Habetis

igitur

igitur explicatũ omnem (vt arbitror) religionis locum.
Q. Nos vero, frater, et copiosè quidẽ: sed perge ad cætera.
M. Pergam equidem: & quoniam libitũ est vobis, me ad hæc impellere: hodierno sermone conficiam spero: hoc præsertim die. videor enim Platonẽ idefecisse: omnem q3 orationẽ de legibus peroratam esse vno æstiuo die. sic igitur faciã: & dicam de magistratibus. id est enim profectò, quod constituta religione Remp. contineat maxime.
At. Tu vero dic, & istam rationẽ, quam cœpisti, tene.

M. T. CICERONIS, DE LEGIBVS, LIBER TERTIVS.

MARCVS.

S Equar igitur, vt instituisti, diuinũ illum virum: quẽ quadã admiratione cõmotus, sæpius fortasse laudo, quã necesse est.
At. Platonẽ videlicet dicis? M. Istum ipsum Attice. At. Tu vero eũ nec nimis valde vnquam: nec nimis sæpe laudaueris. nã hoc mihi etiam nostri illi, qui neminẽ nisi suum laudari volunt, cõcedunt: vt eum arbitratu meo diligam. M. Bene hercle faciunt. quid enim est elegantia tua dignius, cuius & vita et oratio consecuta mihi videtur difficillimã illã societatem grauitatis cum humanitate? At. Sanè gaudeo quod te interpellaui: quandoquidem tam præclarũ mihi dedisti iudicij tui testimonium: sed perge vt cœperas. M. Laudemus igitur prius legem ipsam veris, &

pro-

propriys generis sui laudibus. Atti. Sane quidem: sicut de religionum lege feci sti. M. Videtis igitur, magistratus hanc esse vim, vt præsit: præscribatq; recta, & vtilia, & coniuncta cum legibus. vt enim magistratibus leges, ita populo præsunt magistratus: vereq; dici potest magistratum legē esse loquentem: legem autē, mutū magistratū. nihil porro tam aptum est ad ius, conditionemque naturæ: quod cum dico legem, à me dici nihil aliud intelligi volo, quàm imperiū: sine quo nec domus vlla, nec ciuitas, nec gens, nec hominū vniuersum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest. nā & hic deo paret: & huic obediunt maria terræq;: & hominum vita iussis supremæ legis obtemperat. Atq; vt ad citeriora veniā, vt notiora nobis: omnes antiquæ gentes regibus quondam paruerūt. quod genus impery primū ad homines iustissimos, & sapientissimos deferebatur. idq; in Rep. nostra maxime valuit: quoad ei regalis potestas præfuit. deinde etiam deinceps posteris prodebatur: quod & in his etiam, qui nunc regnant, manet. quibus autē regia potestas nō placuit: non vt nemini, sed non semper vni parere voluerunt. nos autem, quoniam leges damus liberis populis: quæq; de optima Republica sentiremus, in sex libris ante diximus: accōmodabimus hoc tempore leges ad illū, quē probamus, ciuitatis statū. magistratibus igitur opus est: sine quorū prudentia ac diligentia esse ciuitas non potest: quorum q; descriptione omnis Reip. moderatio continetur. Neq; solū ys præscribendus est imperandi, sed etiam ciuibus obtemperandi modus. Nam & qui bene imperat, parūerit aliquando necesse est: & qui modeste paret, videtur, qui aliquando

quando imperet, dignus esse. Itaq; oportet & eũ, qui paret, sperare se aliquo tempore imperaturum: & illum qui imperat, cogitare breui tempore sibi esse parendum. Nec vero solum vt obtemperent, obediantq; magistratibus, sed etiam vt eos colant, diligantq;, præscribimus: vt Charondas in suis facit legibus. Noster vero Plato Titanum è genere statuit eos: qui, vt illi cœlestibus, sic hi aduersentur magistratibus. Quæ cum ita sint: ad ipsas iam leges veniamus, si placet. Atti. Mihi vero & istud, & ordo iste rerum placet. M. Iusta imperia sunto: iisq; ciues modeste, ac sine recusatione parento. magistratus nec obedientem, & noxium ciuem mulcta, vinculis, verberibúsue coercento: ni par, maiórve potestas, populúsue prohibuerit. ad quos prouocatio esto. cum magistratus iudicarit, interrogarit ve, per populum mulctæ, pœnæ certatio esto. militiæ ab eo, qui imperabit prouocatio ne esto. quodq; is, qui bellũ gerat imperarit, ius ratumq; esto. minores magistratus periti iuris, plures in prælia sunto. militiæ quibus iussi erunt imperanto: eorumq; tribuni sunto. domi pecuniam publicam custodiunto. vincula sontium seruanto: capitalia vindicanto: æs, argentum, aurúmue, publice signanto: liteis contractas iudicanto. quodcunque senatus creuerit, agunto. suntoq; ædiles curatores vrbis, annonæ, ludorũq; solemnium: olliscúe ad honoris amplioris gradum is primus ascensus esto. Censores, populi æuitates soboles, familias, pecunias qúe censento: vrbis templa, vias, aquas, ærarium, vectigalia tuentor: populiq; partes in tribus describunto. Exin pecunias, æuitates, ordines partiunto. Equitum, pedi-

tumq; prolem describunto: Cœlibes esse prohibento: mores populi regunto: probrum in senatu ne relinquunto: bini sunto: magistratũ quinquennium habento. reliqui magistratus annui sunto: eaq; potestas semper esto. Iuris disceptator, qui priuata iudicet, iudicari ve iubeat, prætor esto: is iuris ciuilis custos esto. huic potestati parento. quotcũq; senatus creuerit, populusue iusserit, tot sunto. regio imperio duo sunto: iq; præeundo, iudicando, consulendo, prætores, iudices, cõsules appellantor. militiæ summum ius habento: nemini parento: ollis salus populi suprema lex esto. eundem magistratum, ni interfuerint X anni nequis capito. æuitate annali lege seruanto. Ast quando duellum grauius, discordia ciuilis, estunto, ne amplius sex menses si senatus creuerit, idem iuris, quod duo consules, tenento: isq; aue sinistra dictus, populi magister esto. æquitatem quicunq; regat, habeto pari iure cũ eo, quicunq; erit iuris disceptator. Ast quando cõsulis est, magistratusue pop. reliqui magistratus ne sunto. auspicia patrum sunto: olliq; ex se produnto, qui comitijs creare consules rite possint. imperia, potestates, legationes cũ senatus creuerit, populusue iusserit, ex vrbe exeunto. duella iusta iuste gerunto: sociis parcunto. se, & seruos continento: populi sui gloriam augento: domum cum laude redeunto. rei suæ ergò ne quis legatus esto. plebes, quos pro se contra vim auxilij ergo, decem creassit, tribuni eius sunto. quodq; iq; prohibessint: quodq; plebem rogassint: ratum esto: sancliq; sunto: neue plebem orbam tribunis relinquunto. omnes magistratus auspicium, iudicium q; habento. exq; iis senatus sito: eius decreta rata sunto. Ast ni potestas par,

maior

maior ve prohibeſſit S. C. perſcripta ſeruanto. Is ordo vitio vacato: cæteris ſpecimen eſto creatio magiſtratuũ, iudicia, populi iuſſa, vetita, cũ ſciſcentur ſuffragio, optimatibus nota, plebi libera ſunto. At ſi quid erit, quod extra magiſtratus quo ærario ex vſu ſit qui coercet, populus creato: eiq; ius coercendi dato. cum populo, patribusq; agendi ius eſto conſuli, prætori, magiſtro populi, equitumq;, eiq; quem produnt, patres conſulum rogandorum ergò: tribunisq;, quos ſibi plebs rogaſſit ius eſto cũ patribus agendi: idẽ, ad plebem, quod cenſus erit, ferũto. quæ cũ populo, quæ cum patribus agentur, modica ſunto. ſenatori qui nec aderit, aut cauſa, aut culpa eſto. cauſas populi teneto. vis in populo abeſto. par, maior ve poteſtas plus valeto. Aſt qui turbaſſitur in agendo, fraus authoris eſto. interceſſor rei malæ, ſalutaris ciuis eſto. Qui agent, auſpicia ſeruanto. Auguri publico parento: Promulgata, propoſita, in ærario cognita, agunto: nec pluſquam de ſingulis rebus ſemel conſulunto. rem populũ docento: doceri à magiſtratibus priuatisq; patiuntor. priuilegia ne irroganto: de capite ciuis, niſi per maximũ comitiatũ: oſſos q; quos cenſores in partibus populi locaſſint ne ferunto. vim ne faciunto, donum, ne capiunto: ne ne danto, neue petenda, neue gerenda, neue geſta poteſtate. quod quis earum rerũ migraſſit, noxiæ pœna par eſto. Cenſoris fide legem cuſtodiunto. priuata ad eos acta referunto: nec eo magis lege liberi ſunto. Lex recitata eſt. diſcerem, & tabellam iubebo dari. Q. Quam breui frater in conſpectu poſita eſt à te omniũ magiſtratuũ deſcriptio? ſed ea penè noſtræ ciuitatis. & ſi à te paululum allatũ eſt noui. M. Rectiſſime, Quinte, animad-

uertis. hæc est enim, quam Scipio laudat in libris: & quam maximè probat temperationẽ Reipub. quæ effici nõ potuisset: nisi tali descriptione magistratuum. nam sic habetote, magistratibus, ijsq; qui præsunt, contineri Rempub. & ex eorũ compositione, quod cuiusq; Reipub. genus sit, intelligi. quæ res cum sapientissime, moderatissimeq; constituta esset à maioribus nostris: nihil habui sanè, non modo multũ, quod putarem nouandum in legibus. Atti. Reddes igitur nobis, vt in religionis lege feciſti admonitu, & rogatu meo: ſic de magiſtratibus, vt diſputes, quibus de cauſis maximè placeat iſta deſcriptio. M. Faciam, Attice, vt vis: & locum iſtum totum, vt à doctiſſimis Græciæ quæſitum, & diſputatũ eſt, explicabo: & vt inſtitui, noſtra iura attingam. Atti. Iſtud maximè expecto diſſerendi genus. M. Atqui pleraq; ſunt dicta in illis libris: quod faciundum fuit: cũ de optima Rep. quæreretur. ſed huius loci de magiſtratibus ſunt propria quædam, à Theophraſto primùm, deinde à Dione Stoico quæſita ſubtilius. Atti. Ain tandem? etiam à Stoicis iſta tractata ſunt? M. Non ſanè, niſi ab eo, quem modo nominaui: & poſtea à magno homine, & in primis erudito, Panætio. nam veteres verbo tenus, acute illi quidem, ſed non ad hunc vſum popularem, atq; ciuilem, de Rep. diſſerebãt. ab hac familia magis iſta manarunt: Platone principe: poſt Ariſtotele, illuſtrauit omnem hunc ciuilẽ in diſputando locũ. Heracliteſq; Ponticus profectus ab eodem Platone. Theophraſtus vero inſtitutus ab Ariſtotele, abundauit, vt ſcitis, in eo genere rerũ: ab eodemq; Ariſtotele doctus Dicæarchus, huic rationi ſtudioq; non defuit. poſt

fuit. post à Theophrasto Phalereus ille Demetrius, de quo feci suprà mentionem: mirabiliter doctrinam ex vmbraculis eruditorum, otioq3, nō modò in solem, atq3 puluerem, sed in ipsum discrimen, aciemq3 perduxit. nā & mediocriter doctos, magnos in Rep. viros, & doctissimos homines non nimis in Rep. versātos, multos cōmemorare possumus. qui vero vtraq3 re excelleret: vt & doctrinæ studijs, & regenda ciuitate princeps esset: quis facile præter hunc inueniri potest? Atti. Puto posse: & quidem aliquem de tribus nobis. sed perge vt cœperas. M. Quæsitum igitur ab illis est, placeret ne vnum in ciuitate esse magistratum: cui reliqui parerent: quod exactis regibus intelligo placuisse nostris maioribus. sed quoniā regale ciuitatis genus probatum quondam, postea non tam regni, quàm regis vitijs repudiatū est: nomen tantum videbitur regis repudiatum: res manebit: si vnus omnibus reliquis magistratibus imperabit. quare nec Ephori Lacedæmone sine causa à Theopompo oppositi regibus: nec apud nos consulibus tribuni. nam illud quidem ipsum quod in iure positum est, habet consul: vt ei reliqui magistratus omnes pareant, excepto tribuno: qui post extitit: ne id, quod fuerat, esset. hoc enim primum minuit consulare ius: quod extitit ipse, qui in eo non teneretur. deinde, quod attulit auxilium reliquis non modo magistratibus, sed etiam priuatis, consuli non parentibus. Q. Magnum dicis malum. nam ista potestate nata, grauitas optimatum cecidit: conualuitq3 ius multitudinis. M. Non est ita, Quinte. nō enim ius illud solum superbius populo, sed violentius videri necesse erat: quo posteaquā modica & sapiens tempera-

tio accessit: conuersa lex in omnes est.

Multa desunt.

Domum cum laude redeunto. nihil enim præter laudē bonis, atq; innocentibus, neq; ex hostibus, neq; à socijs reportandum. Iam illud apertum profecto est: nihil esse turpius, quàm quenquam legari nisi Reip. causa. omitto quemadmodum isti se gerant, atq; gesserint: qui legatione hæreditates, aut syngraphas suas persequūtur. in hominibus est hoc fortasse vitium. sed quæro quid reipsa sit turpius, quàm sine prouocatione senator, legatus sine mandatis, sine vllo Reip. munere? quod quidem genus legationis ego consul, quanquam ad commodū senatus pertinere videatur: tamen approbante senatu frequentissimo, nisi mihi leuissimus tr. pl. intercessisset: sustulissem. tamen minui tempus: & quod erat infinitū, annuum feci. ita turpitudo manet, diuturnitate sublata. sed iam si placet de prouincijs discedatur: in vrbemque redeatur. Att. Nobis vero placet. sed ijs, qui in prouincijs sunt, minimè placet. M. At vero Tite, si pareant his legibus: nihil erit his vrbe, nihil domo sua dulcius: nec laboriosius, molestiusq; prouincia. Sed sequitur lex, quæ sancit eam tribunorum plebis potestatem: quæ in Rep. nostra: de qua disseri nihil necesse est. Q. At mehercule ego frater quæro de ista potestate quid

sentias.

sentias. nam mihi quidem pestifera videtur. quippe quæ in seditione, & ad seditionem nata sit: cuius primum ortum, si recordari volumus: inter arma ciuium & occupatis, & obsessis vrbis locis, procreatum videmus. deinde cum esset cito legatus, tanquam ex XII tabulis, insignis ad deformitatem puer, breui tempore nescio quo pacto creatus: multoq; tetrior, & fœdior natus est. Quem enim ille non edidit: qui primū vt impio dignū fuit, patribus omnem honorem eripuit? omnia infima summis paria fecit: turbauit: miscuit: cum afflixisset principum grauitatem: nunquam tamen conquieuit. Atq; vt Cn. Flaminium, atq; ea quæ prisca videntur, propter vetustatem relinquam: quid iuris bonis viris T. Gracchi tribunatus reliquit? & si quinquennio ante, Decium Brutum, & Publium Scipionem consules (quos, & quantos viros?) homo omnium infimus, & sordidissimus tr. pl. P. Curiatius in vincula coniecit: quod ante factum non erat. C. vero Gracchus ruinis, & emissitijs, quas ipse se proiecisse in forum aixit: quibus digladiarentur inter se ciues: non ne omnem Reip. statum permutauit? quid iam de Saturnini supplicio, reliquisque dicam? quos ne depellere quidem à se sine ferro potuit Respublica? cur autem aut vetera, aut aliena proferamus potius, quàm & nostra, & recentia? quis vnquam tam audax, tam inimicus nobis fuisset, vt cogitaret vnquam de statu nostro labefactando: nisi mucronem aliquem tribunitium exacuisset in nos? quem cum homines scelerati, ac perditi non modo vlla in domo, sed ne vlla in gente reperirent: gentes sibi in tenebris Reipub. perturbandas putauerunt.

quod nobis quidem egregium, & ad immortalitatẽ memoriæ glorioſum: neminem in nos mercede vlla potuiſſe Tribunum reperiri: niſi cui nec eſſe quidem licuiſſet tribuno. ſed ille quas ſtrages edidit? eas videlicet: quas ſine ratione, ac ſine vlla ſpe bona. furor edere potuit impuræ beluæ, multorũ inflammatus furoribus. quamobrem in iſta quidem re vehementer Syllam probo: qui tribunis plebis ſua lege iniuriæ faciendæ poteſtatem ademerit: auxilium ferendi reliquerit: Pompeiumq́, noſtrum cæteris rebus omnibus, ſemper ampliſſimis, ſummisq́, effero laudibus: de tribunitia poteſtate taceo: nec enim reprehendere libet: nec laudare poſſum. M. Vitia quidem tribunatus præclare Quinte perſpicis. ſed eſt iniqua in omni re accuſanda prætermiſſis bonis, malorum enumeratio, vitiorumq́, ſelectio. nam iſto quidem modo vel conſulatus vituperabilis eſt: ſi conſulũ, quos enumerare nolo, peccata collegeris. ego enim fateor in ipſa iſta poteſtate ineſſe quidda mali. ſed bonũ, quod eſt quæſitũ in ea, ſine iſto malo non haberemus. nimia poteſtas eſt tribunorum plebis. quis negat? ſed vis populi multo ſæuior, multoque vehementior. quæ ducem quod habet, interdum lenior eſt: quàm ſi nullum haberet. dux enim ſuo periculo progredi cogitat: populi impetus periculi rationem ſui non habet. at aliquando incenditur. Et quidem ſæpe ſedatur. quod enim eſt tam deſperatum collegium? in quo nemo è decem ſana mente ſit. quin per ipſum Tiberium Gracchum non ſolum vetitus, ſed etiam ſublatus interceſſor fuerat. quid enim illum aliud perculit, niſi quod poteſtatem intercedendi collegæ abrogauit? ſed tu ſa-

pientia

pientia maiore nihilo vide. Cõcessa plebi à patribus ista potestate arma ceciderunt: restincta seditio est: inuentũ est temperamentum: quo tenuiores cum principibus æquari se putarint. in quo vno fuit ciuitatis salus. At duo Gracchi fuerunt. & præter eos, quamuis enumeres multos licet: cum deni crearentur: nullos in omni memoria reperies pernicioſos tribunos, leues & non bonos fortasse plures. inuidia quidem summus ordo caret: plebs de suo iure periculosas contentiones nullas facit. quamobrem aut exigendi reges non fuerunt: aut plebi re, non verbo danda libertas: quæ tamen sic data est: vt multis præclarissimis addiceretur, vt authoritati principum cederet. Nostra autem causa, quæ, optime & dulcissime frater, incidit in tribunitiam potestatem: nihil habuit contentionis cum tribunatu. non enim plebs incitata nostris rebus inuidit: sed vincula soluta sunt: & seruitia incitata, adiuncto terrore etiam militari. neque nobis cum illa tum peste certamen fuit: sed cum grauissimo Reipub. tempore: cui si non cessissem: non diuturnum beneficij mei patria fructum tulisset. atque hoc rei exitus indicauit. quis enim non modo liber, sed etiam seruus libertate dignus fuit, cui nostra salus chara non esset? quod si is casus fuisset rerum, quas pro salute Reipub. gessimus: vt non omnibus gratus esset: & si in nos multitudinis vis furentis inflammata inuidia pepulisset tribunitia: quis in me populum, sicut Gracchus in Lenatem, Saturninus in Metellum incitasset? ferremus ò Quinte frater: consolarenturque nos non tam philosophi, qui Athenis fuerunt: qui hoc facere debent: quam clarissimi

viri, qui illa vrbe pulsi carere ingrata ciuitate, quàm manere in improba maluerunt. Pompeium vero quod vna ista in re non valde probas: vix satis mihi illud videris attendere: non solum ei quod esset optimũ videndum fuisse: sed etiam quid necessarium. sensit enim deleri non posse huic ciuitati illam potestatem. quippe quã tantopere populus noster ignotam expetisset: qui posset carere cognita? sapientis autem ciuis fuit, causam nec pernicioſam, & ita popularem, vt non posset obsisti, pernicioſe, populari ciui non relinquere. Scis solere frater in huiusmodi sermone, vt transiri aliò possit, admodũ, dici. Q. Prorsus ita est: haud equidem assentior: tu tamen ad reliqua pergas velim. M. Perseueras tu quidem: & in tua vetere sententia permanes. Q. Nunc mehercule. Atti. Ego sanè à Quinto nostro dissentio. sed ea quæ restant audiamus. M. Deinceps igitur omnibus magistratibus auspicia, & iudicia dantur. iudicia, vt esset populi potestas: ad quam prouocaretur: auspicia, vt multos inutiles comitiatus, probabiles impedirent moræ. sæpe enim populi impetum iniustum, auspicijs dij immortales represserunt. ex ijs autem, qui magistratum cœperunt, quod senatus consulto efficitur: popularem sanè neminem in summum locum, nisi per populum, venire, sublata cooptatione censoria. Sed præsto est huius vitij temperatio: quod senatus lege nostræ confirmatur authoritas. Sequitur enim: eius decreta rata sunto. nam ita se res habet: vt si senatus, dominus sit publici consilij: quodque is creuerit, defendant omnes: &, si reliqui principes ordinis consilio Rempub. gubernari velint: possint ex temperatione iuris, cum potestas

testis in populo, authoritas in senatu sit: teneri ille moderatus, & concors ciuitatis status. præsertim si proximæ legi parebitur. nam proximum est. is ordo vitio careto: cæteris specimen esto. Q. Præclara vero frater ista lex: sed & altera, vt & vitio careat ordo: & vt censorē quærat interpretem. Att. Ille vero & si tuus totus est ordo: gratissimam q3 memoriam retinet consulatus tui: pace tua dixerim: non modo censores, sed etiam iudices omnes potest defatigare. M. Omitte ista Attice: non enim de hoc senatu, nec his de hominibus, qui nūc sunt: sed de futuris, si qui forte his legibus parere voluerint: hæc habetur oratio. nam cum omni vitio carere lex iubeat: ne veniet quidem in eum ordinem quisquam vitij particeps. id autem difficile factu est: nisi educatione quadam & disciplina: de qua dicemus aliquid fortasse: si quid fuerit loci, aut temporis. Att. Locus certe non deerit: quoniam tenes ordinem legum: tempus vero largitur longitudo diei. ego autē, etiam si præterieris: repetam à te istum de educatione, & de disciplina locū. M. Tu vero & istū, Attice, & si quē alium præteriero. cæteris specimē esto: quod si est, tenemus omnia. vt enim cupiditatibus principū, & vitijs infici solet tota ciuitas: sic emendari & corrigi continentia. vir magnus, & nobis omnibus amicus L. Lucullus, ferebatur quam commodissime respondisse: cum esset obiecta magnificentia villæ Tusculanæ, duos se habere vicinos: superiorē, e quitē Romanū, inferiorem Libertinum: quorum cum essent magnificæ villæ: cōcedi sibi oportere, quod his qui tenuioris ordinis essent, liceret. non vides, Luculle, à te id ipsum natum, vt illi inciperent; quibus id si tu non faceres, non

res, non liceret? quis enim ferret istos, cum videret eorũ villas signis & tabulis refertas, partim publicis, partim etiam sacris, & religiosis? quis non frangeret eorũ libidines, nisi illi ipsi, qui eas frangere deberẽt, cupiditatis eisdẽ tenerẽtur? nec enim tantũ mali est peccare principes (quanquam est hoc magnum per se ipsum malũ) quantum illud: quod permulti imitatores principum existunt: nam licet videre, si velis replicare memoriam tẽporum: quales cunq; summi ciuitatis viri fuerunt: talem ciuitatem fuisse: quæcunque mutatio morum in principibus extiterat: eandem in populo secuturã. idq; haud paulo est verius: quàm quod Platoni nostro placet: qui musicorum cantibus ait mutatis, mutari ciuitatũ status. ego autem nobiliũ vita, victuq; mutato: mores mutari ciuitatum puto. quo pernicios ius de Rep. merentur vitiosi principes: quod non solum vitia concipiunt ipsi: sed ea infundunt in ciuitatem: neq; solum obsunt, quod illi ipsi corrumpuntur. sed etiã quod corrumpunt: plusque exemplo, quàm peccato nocent. Atq; hæc lex dilatata in ordinem cunctum, coangustari etiam potest. pauci enim, atq; admodum pauci, honore & gloria amplificati, vel corrumpere mores ciuitatis, vel corrigere possunt. sed hæc & nunc satis, & in alijs libris tractata sunt diligentius. quare ad reliqua veniamus. Proximum autem est de suffragijs: quæ iubeo nota esse optimatibus, populo libera. Atti. Ita mehercule attendi: nec satis intellexi, quid sibi lex, aut quid verba ista vellẽt. M. Dicã Attice, & versabor in re difficili, ac multum & sæpe quæsita: suffragia in magistratu mandando, aut de reo iudicando, aut lege, aut rogatione. sciscenda clàm an palàm

làm ferre, melius esset. Q. An etiam id dubium est? ve reor ne à te rursus dissentiam. M. Non facies Quinte: nam ego in ista sum sententia, qua te fuisse semper scio: nihil vt fuerit in suffragijs voce melius. sed obtineri an possit videndum est. quare frater, bona tua venia dixerim: ista sententia maxime, & fallit imperitos: & obest sapissime Reipub. cum aliquid verum, & rectum esse dicitur: sed obtineri, id est, obsisti posse populo, negatur primum enim obsistitur, cum agitur seuere: deinde vi opprimi in bona causa est melius: quā male cedere. Quis autem non sentit, authoritatem omnem optimatium, tabularium legem abstulisse? quam populus liber nunquā desiderauit: idem oppressus dominatu, ac potentia principum, flagitauit. itaq; grauiora iudicia de potentissimis hominibus extant voces, quā tabellæ. quamobrē suffragandi nimia libido in non bonis causis eripienda fuit potentibus: non latebra danda populo, in qua, bonis ignorantibus, quid quisq; sentiret, tabella vitiosum occultaret suffragium. itaque isti rationi, neq; lator quisquam est inuentus: neque author vnquam bonus. sunt enim quatuor leges tabellariæ: quarum prima de magistratibus mandandis: ea est Gabinia, lata ab homine ignoto, & sordido. secuta biennio post Cassia est, de populi iudicio: ea à nobili homine lata est, L. Cassio: sed (pace familiæ dixerim) dissidēte à bonis, atq; omneis rumusculos populari ratione aucupante. Carbonis est tertia de iubendis legibus, ac vetandis, seditiosi atq; improbi ciuis. cui ne reditus quidem ad bonos, salutem à bonis potuit auferre. vno in genere relinqui videbatur vocis suffragium: quod ipse Cassius exceperat: perduellionis,

nis. dedit huic quoq; iudicio Cælius tabellam: doluitq; quoad vixit. sed vt opprimeret Cælius populum, nocuit & Reipub. & annus quidem noster singulari virtute in hoc municipio, quoad vixit, restitit M. Gratidio, cuius in matrimonio sororem auiam nostram, habebat: ferenti legem tabellariam. excitabat enim fluctus in simpulo, vt dicitur, Gratidius: quos post filius eius Marius in Æqæo excitauit mari: ac nostro quidem: qui cũ res esset ad se delata, Scaurus consul: vtinam inquit M. Cicero isto animo, atq; virtute in summa Rep. nobiscũ versari, quàm in municipali maluisses. Quamobrem quoniam non recognoscimus nunc leges pop. Romani: sed aut repetimus ereptas: aut nouas scribimus: nõ quid ab hoc populo obtineri possit: sed quid optimum sit, tibi dicendum puto. nam Cassiæ legis culpam Scipio tuus sustinet: quo authore lata esse dicitur. tu, si tabellariam tuleris: ipse præstabis. nec enim mihi placet, nec Attico nostro, quantum è vultu eius intelligo. Atti. Mihi vero nihil vnquã populare placuit. eamq; optimã Remp. esse duco: quam hic consul cõstituerat: quæ sit in potestate optimorum. M. Vos demum, vt video, legem antiquastis, sine tabella. Sed ego, & si satis dixit prose in illis libris Scipio. tamen libertatem istam largiar populo: vt & authoritate valeant: & vtantur bonis. sic enim à me lex est recitata de suffragys. optimatibus nota, plebi libera sunto. quæ lex hanc sententiam continet: vt omnes leges tollat, quæ postea latæ sunt: quæ tegunt omni ratione suffragium: ne quis inspiciat tabellam: ne roget: ne appellet. pontes etiam lex Maria fecit angustos. quæ si opposita sunt ambitiosis, vt sunt ferè, non repre-

reprehendo. sin valuerint tantum leges, vt ne sint ambitus: habeat sanè populus tabellam, quasi vindicem libertatis: dummodo hæc optimo cuiq3, & grauissimo cuiq3 ostendatur: vltroq3 offeratur: vti in eo sit ipsa libertas: quod populo potestas honeste bonis gratificandi datur. Eoq3 nunc fiet illud quod à te modo Quinte dictũ est: vt minus multos tabella cõdemnet, quã solebat vox: quia populo licere satis est. hoc retento, reliqua voluntas authoritati, aut gratiæ traditur. Itaq3 vt omittam, largitione corrupta suffragia: non vides, si quando ambitus fileat, quæri in suffragijs: quid optimi viri sentiant? quamobrem lege nostra libertatis species datur: bonorũ authoritas retinetur: contentionis causa tollitur. Deinde sequitur, quibus ius sit cum populo agendi, aut cum senatu. grauis, &, vt arbitror, præclara lex. quæq3 cũ patribus agentur modica sunto: id est modesta, atq3 sedata. Actor enim moderatur, & effingit non modo mentem, ac voluntates, sed pene vultus eorum, apud quos agit. quod si in senatu non difficile est: est enim ipse senatoris, cuius non ad actorem referatur animus: sed qui per se ipse spectari velit. huic iussa tria sunt: vt adsit: nam grauitatem res habet: cum frequens ordo est. vt loco dicat: id est, rogatus. vt modo: ne sit infinitus. nam breuitas nõ modo senatoris, sed etiã oratoris magna laus est in sententia. nec est vnquã longa oratione vtendũ: nisi aut spectante senatu, quod fit ambitione sæpissime, nullo magistratu adiuuante, tolli diem vtile est: aut cum tanta causa est: vt opus sit oratoris copia vel ad hortandum, vel ad docendum. quorum generum in vtroq3 magnus noster Cato est. Quodq3 addit, causas populi

teneto,

teneto, est senatori necessarium nosse Rempublicam: id quæ late patet: quid habeat militum: quid valeat ærario: quos socios Respub. habeat: quos amicos: quos stipendiarios: qua quisq; sit lege, conditione, fœdere: tenere consuetudinem decernendi: nosse exempla maiorum. videtis iam genus hoc omne scientiæ, diligentiæ, memoriæ esse: sine quo paratus esse senator nullo pacto potest. Deinceps sunt cū populo actiones: in quibus primum, & maximum, Vis abesto. nihil est enim exitiosius ciuitatibus: nihil tam contrarium iuri, & legibus: nihil minus ciuile est, & humanum: quàm composita, & constituta Repub. quicquā agi per vim. parere iubet intercessori: quo nihil præstantius. impediri enim bonam rem melius: quàm concedi malam. Quod vero actores iubeo abesse fraude, id totum dixi ex Crassi, sapientissimi hominis sententia: quam senatus est secutus: cum decreuisset, C. Claudio consule designato, Carbonis seditionē referente: eo inuito, qui cum populo ageret, seditionē nō posse fieri: quippe cui liceat consilium, simul atque intercessum, turbariq; cœptum sit: dimittere. quod qui permouet cum agi nihil potest: vim quærit. cuius impunitatem amittit hac lege. sequitur illud. intercessor rei malæ, salutaris ciuis esto. quis non studiose Reip. subuenerit, hac tam præclara legis voce laudatus? Sunt deinde posita deinceps, quæ habemus etiam in publicis institutis, ac legibus: auspicia seruanto: auguri parento. est autem boni auguris meminisse maximis Reip. temporibus præstò esse debere: Iouiq; optimo maximo, se consiliarium, atque administrum datum, vt sibi eos, quos in auspicio esse iusserit: cœliq; partes si-

bi definitas

bi definitas esse traditas: è quibus sæpe opem referre possit. deinde promulgatione, de singulis rebus agendis, de priuatis, magistratibus ue audiendis. tũ leges præclarissimæ de XII tabulis translatæ duæ: quarũ altera priuilegia tollit: altera de capite ciuis rogari, nisi maximo comitiatu vetat, nnodũ initis seditiosis tribunis plebis. Negocia is quidẽ, admirandũ, tantũ maiores in posterum prouidisse: in priuatos homines leges ferri voluerunt. id est enim priuilegiũ. quo quid est iniustius? cum legis hæc vis sit. scitũ est iussum in omnes, ferri de singulis nisi centuriatis comitys noluerunt. descriptus n. populus censu, ordinibus, ætatibus, plus adhibet ad suffragiũ auxily: q̃ fuisse in tribus conuocatus. quo verius in nostra causa vir magni ingenij, summaq; prudentia, L. Cotta dicebat: nihil omnino actũ esse de nobis præterquã quod comitia illa essent armis gesta seruilibus? propterea neq; tributa capitis: neq; comitia rata esse possent: neq; vlla priuilegia: q̃ circa nihil nobis opus esse lege: de q̃bus nihil omnino actũ esset legibus. sed visum est & nobis, & clarissimis viris melius, de quo Seruij & patroni tui sciuisse se aliquid dicerent: de hoc eodẽ cunctam Italiã quid sentiret ostendere. Sequũtur de captis pecunijs, de ambitu leges. quæ cũ magis iudicijs q̃ verbis sanciendæ sint: adiungitur, noxæ pœna par esto: vt in suo vitio quisq; plectatur: vis capite, anaritia multa, honoris cupiditas ignominia sanciatur. Extremæ leges sunt nobis nó vsitatæ, Reip. necessariæ. legum custodiã nullam habemus. ita q; hæ leges sunt, quas apparitores nostri volunt: à librarijs petimus: publicis literis consignata memoriam publicam nullam habemus. Græci hoc diligentius: apud quos νομοφύλακες creantur: nec hi solum literas (nã id quidẽ etiam apud

maiores nostros erat.) sed etiam facta hominũ obseruabant: ad leges q3 reuocabãt. Hæc detur cura censoribus: quando quidẽ eos in Rep. semper volumus esse: apud eos dẽ, qui magistratu abierint, edant, & exponant quid in magistratu gesserint: deq3 ijs censores præiudicent. hoc in Græcia fit publice cõstitutis accusatoribus. qui quidẽ graues esse nõ possunt: nisi sint voluntary. Quocirca melius est rationes referri causam q3 exponi censoribus: integrã tamen legem accusatori, iudicioq3 seruari. Sed satis iam disputatũ est de magistratibus: nisi forte quid desideratis. Atti. Quid si nos tacemus: locus tamen ipse admonet, quid tibi sit deinde dicendũ? M. Mihi ne? de iudicijs arbitror Pomponi. id est enim iunctũ magistratibus. Atti. Quid? de iure pop. Rom. quẽ admodũ instituisti, dicendũ nihil putas? M. Quid tandẽ hoc loco est quod requiras? Atti. Ego ne? quod ignorari ab ijs, qui in Rep. versantur, turpissimum puto. Nam vt modo à te dictũ est: leges à librarijs lego: sic animaduerto quosq3 in magistratibus ignoratione iuris sui tantum sapere quantũ apparitores velint. quamobrem, si de sacrorum alienatione dicendum putasti: cum de religione leges proposueras: faciendum tibi est: vt magistratibus lege constitutis, de potestate, tũ de iure disputes. M. Faciam breuiter: si consequi potuero. nã pluribus verbis scripsit ad patrẽ suum. M. Iunius sodalis: perite meo quidem iudicio, & diligenter. At de iure naturæ cogitari per nos, & quæ dicere debemus, de iure populi Ro. quæ relicta sunt, & tradita. Atti. Sic profecto censeo: & id ipsum quod dicis, expecto.

FINIS.



M. T. CICERONIS EX TIMAEO PLATONIS DE VNIVERSITATE LIBER.

MVlta sunt à nobis, & in Academicis conscripta contra physicos, & sæpe P. Nigidio Carneadeo more & modo disputata. fiunt enim vir ille cum cæteris artibus, quæ quidem dignæ libro essent, ornatus omnibus: tum acer inuestigator, & diligens earum rerum, quæ à natura inuolutæ videntur. denique sic iudico: post illos nobiles Pythagoræos, quorum disciplina extincta est quodammodo: cum aliquot sæcula in Italia, Siciliaque viguissent: hunc extitisse, qui illam renouaret. qui cum me in Ciliciam proficiscentem, Ephesi expectauisset, Romam ex legatione ipse decedens: venisseque eodem Mytilenis mei salutandi, & visendi causa Cratippus, Peripateticorum omnium, quos quidem ego audiuerim, meo iudicio, facile princeps: perlibenter & Nigidium vidi: & Cratippum cognoui. At primum quidem tempus salutationibus, reliquum percunctatione consumpsimus.

Desunt multa.

quid est, quod semper sit: neq; vllum habet ortum &? quod gignatur: nec vnquam sit? quorum alterum intelligentia, & ratione comprehenditur: quod vnum semper atq; idem est: alterum quidem affert opinionem sensus, rationis expers, quod totum opinabile est. id gignitur, & interit: nec vnquã esse vere potest. omne autem quod gignitur, ex aliqua causa gigni necesse est. nullius enim rei causa remota, reperiri origo potest. quocirca si is, qui aliquod munus efficere molitur, eã speciem, quæ semper est eadem, intuebitur: atq; eã sibi proponet exemplar: præclarum opus efficiat necesse est. sin autẽ illã, quæ gignitur: nunquam illam quam expetet pulchritudinem consequetur. omne igitur cœlum siue mundus, siue quo alio vocabulo gaudet: hoc à nobis nuncupatus sit. de quo id primum consideremus, quod principiò est in omni quæstione considerandum: semper ne fuerit nullo generatus ortu: an ortus sit: an ab aliquo temporis principatu ortus est: quandoquidem cernitur, & tangitur, & est vndiq; corporatus. omnia autem talia sensum mouent: sensusq; mouentia quæ sunt, eadem in opinatione considunt quæ ortũ habere, gigniq; diximus: nihil autem gigni posse sine causis. atq; illũ quidem qua si parentem huius vniuersitatis inuenire difficile: & cũ iam inueneris, indicare in vulgus nefas. rursus igitur videndum: ille fabricator huius tãti operis, vtrum sit imitatus exemplar, id ne quod semper vnũ & idem, vti sui simile: an id quod generatũ ortumq; dicimus. Atqui si pulcher est hic mundus, si probus eius artifex: profecto speciem æterni imitari maluit. sin secus: quod ne dictu quidem fas est: generatum exemplum est pro

æterno

eterno secutus. non igitur dubium, quin æternitatem maluerit exequi: quandoquidem neq; mundo quicquã pulchrius: neq; eius ædificatore præstantius. si ergo generatus: ad id est effectus, quod ratione sapientiaq; cõprehenditur: atq; immutabili æternitate cõtinetur. ex quo efficitur, vt sit necesse hunc quem cernimus mundũ, simulachrum æternum esse alicuius æterni. difficilimum autem est in omni conquisitione rationis, exordiũ. de his igitur quæ diximus, hæc sit prima distinctio, in omni oratione cum his rebus, de quibus videtur explicata cognitio sitaq; cum de re stabili & immutabili disputatur: oratio talis sit, qualis illa, quæ neq; redargui, neq; convinci potest. cum autem ingressa est imitata, & effecta simulachra, benè agi putat, si similitudinem veri consequatur. quantum enim ad id quod ortum est, æternitas valet: tantum ad fidem veritas. quocirca si forte de deorum natura, ortuq; mundi disserentes, minus id quod habemus animo consequimur: vt tota dilucide, et plane oratio exornata sibi constet: & ex omni parte secũ ipsa consentiat: haud sanè erit mirum: contentiq; esse debetis, si probabilia dicentur. æquum est enim meminisse, & me, qui disseram, hominem esse, & vos, qui iudicetis: vt si probabilia dicentur, nil vltra requiratis. Quæramus igitur causam, quæ eum impulerit, qui hæc machinatus sit, vt originem rerum, & molitionem nouam quæreret. probitate videlicet præstabat. probus autem inuidet nemini. itaq; omnia sui similia generauit. hæc nimirum gignendi mundi causa iustissima. nam cũ constituisset Deus bonis omnibus explere mundum: mali nihil admiscere: quoad natura patero-

tur: quicquid erat quod in cernendi sensum caderet: id sibi assumpsit, non tranquillum & quietum, sed immoderate agitatum, & fluctuans. idq; ex inordinato in ordinem adduxit. hoc enim iudicabat esse præstantius. fas autem nec est, nec vnquam fuit, quicquã nisi pulcherrimum facere eum, qui esset optimus. cum rationẽ igitur habuisset: reperiebat nihil esse eorum, quæ natura cernerentur, non intelligens intelligente in toto genere præstantius. quocirca intelligentiam in animo, animũ conclusit in corpore. sic ratus est opus illud effectum esse pulcherrimũ. quam ob causam non est cunctandũ profiteri: si modo inuestigari aliquid coniectura potest: hũc mundum animal esse: idq; intelligens: & diuina prouidentia constitutum. hoc posito, quod sequitur videndũ est, cuiusnam animantium deus in fingendo mundo similitudinem secutus sit. nullius profecto, eorũ quidem, quæ sunt nobis nota animantia. sunt enim omnia in quædam genera partita, aut inchoata, nulla ex parte perfecta. imperfecto autem nec absoluto simile pulchrũ esse nihil potest. cuius ergo omne animal, quasi particula quædam est: siue in singulis, siue in diuerso genere cernatur eius similẽ mundũ esse dicamus omnes igitur qui animo cernuntur, & ratione intelliguntur animantes, complexu rationis & intelligentiæ. sic vt homines, hoc mundo & pecudes, & omnia quæ sub aspectũ cadunt, cõprehenduntur quod enim pulcherrimum in rerum natura, & intelligi potest, & quod ex omni parte absolutissimum est: cum deus similem mundũ efficere vellet: animal vnũ aspectabile, in quo omnia animalia cõtinerentur, effecit. recte ne igitur vnum mundum dixerimus,

an sint

an sint plures, an innumerabiles, dictu verius et melius. vnus profecto: siquidem factus est ad exemplum. quod enim omnes animantes eos, qui ratione intelliguntur complectitur: id non potest esse cũ altero rursus enim alius animans, qui eum contineat sit necesse est, cuius partes sint animantes superiores: cœlumq; hoc simulachrũ illius vltimi sit, non proximi. quorũ ne quid accideret, atq; vt hic mundus esset animanti absoluto simillimus, hoc ipso, quod solus atq; vnus esset, iccirco singularẽ deus hunc mundum, atq; vnigenã procreauit. corporeum autem, & aspectabile, itemq; tractabile omne necesse est esse, quod natum est. nihil porrò igni vacuum videri potest: nec vero tangi quod careat solido: solidum autem nihil quod terræ sit expers. quamobrem mundum efficere moliens deus, terram primum, ignemq; iungebat. omnia autem duo ad cohærendum tertium aliquid requirunt: & quasi nodum, vinculumq; desiderant. sed vinculorũ, id est, aptissimum atq; pulcherrimũ, quod ex se, atque de his quæ astringit, quam maxime vnum efficit. id optime assequitur, quæ Græce ἀναλογία, Latine (audendum est enim quoniam hæc primum à nobis nouantur) comparatio, proportióue dici potest. quando enim triũ vel numerorum, vel figurarum, vel quorumcunq; generũ contingit, vt quod medium sit, vti primũ proportione, ita id postremo comparetur: vicissimq; vt extremum cũ medio, sic medium cum primo cõferatur: id quod medium est, tum primum fit: tum postremum: postrema vero & prima media fiunt. ita necessitas cogit, vt eadem sint ea quæ deiuncta fuerunt. eadem autem facta sint, efficitur, vt omnia sint vnum. quod si

vniuersitatis corpus planum & æquabile explicaretur: neq; in eo quicquam esset requisitum: vnum interiectũ medium, & seipsum, & ea quibus esset interpositum colligaret. sed cum soliditas mundo quæreretur: solida autem omnia vno medio nunquam, duobus semper copulentur: ita contigit vt inter ignem, & terram, aquam deus, animam q3 poneret: eaq3 inter se cõpararet: & proportione coniungeret: vt quemadmodum ignis animæ, sic anima aquæ, quod q3 anima aquæ, id aqua terræ proportione redderet. qua ex coniunctione cœlum ita aptum est, vt sub aspectum, & tactum cadat. itaque & ob eam causam, & ab iys rebus numero quatuor, mundi est corpus effectum, ea constructũ proportione, qua dixi: ex quo ipse se concordi quadam amicitia, & charitate complectitur: atque ita aptè cohæret: vt dissolui nullo modo queat, nisi ab eodem à quo est colligatus. earum autem quatuor rerum, quas suprà dixi, sic in omni mundo omnes partes collocatæ sunt: vt nulla pars huiusce generis excederet extra: atque vt in hoc vniuerso inessent genera illa vniuersa. id ob eas causas, primum vt mundus animans possit ex perfectis partibus esse perfectus: deinde vt vnus esset, nulla parte vnde altera gigneretur relicta: postremo ne quis morbus eum possit, aut senectus attingere. omnis enim coagmentatio corporis, vel calore, vel frigore, vel aliqua impulsione vehementi labefactatur & frangitur: & ad morbos senectutem q3 compellitur. hanc igitur habuit rationem effector mundi, molitor q3 deus: vt vnum opus totum, atque perfectum ex omnibus totis, atq3 perfectis absolueret: quod omni morbo senióue careret. formam autem,

autem, & maxime sibi cognatam, & decoram dedit: à quo enim animante omnes reliquos contineri vellet animantes: huc ea forma figuravit: qua una omnes reliquæ formæ concluduntur: & globosus est fabricatus: quod σφαιροειδὲς Græci vocant. cuius omnis extremitas paribus à medio radijs attingitur: idq; ita tornavit, vt nihil effici possit rotundius: nihil vt asperitatis haberet, nihil offensionis, nihil inclusum angulis, nihil anfractibus, nihil eminens, nihil lacunosum, omnesq; partes similimæ omniũ, quoad eius præstabat iudicio dissimilitudini similitudo. omni autẽ totam figuram mundi leuitate circũdedit. nec enim oculis egebat: quia nihil extra, quod cerni posset, relictum erat: nec auribus: quia ne quod audiretur quidem: neq; erant animæ circumfusa extrema mundi: vt respirationem requireret. nec vero desiderabat, aut alimenta corporis, aut detractionem cõfecti, & consumpti cibi. neque enim vlla decessio fieri poterat, neq; accessio. neq; vero erat vnde: ita se ipse consumptione & senio alebat sui: cum ipse per se, & à se, & pateretur, & faceret omnia. sic enim ratus est ille, qui ista iunxit, & condidit: ipsum se contentum esse mundum: neque egere altero. Itaque nec ei manus affixit: quia nec capiendum quicquam erat, nec repellendum: nec pedes, nec alia membra, quibus ingressus corpore sustineret. motum enim dedit cœlo eum, qui figuratus sit aptissimus: qui vnus ex septem motibus mentem atque intelligentiam cieret. maxima itaque vna conuersione, atque eadem ipse circũ se torquetur, & vertitur. sex autem reliquos motus, ab eo separauit. itaque eum ab omni errationc liberauit. ad hanc igitur conuersionem,

nem, quæ pedibus & gradu non egeret, ingrediendi mẽ bra non dedit deus is, qui erat de aliquando futuro deo cogitans. leuem eum effecit, & vndiq3 æquabilem. & à medio ad summum parem, & perfectum, atq3 absolutum, ex absolutis, atq3 perfectis: animum autem vt is in eius medio collocauit: ita per totũ tetendit. deinde eum circundedit corpore: & vestiuit extrinsecus: cœloq3 solinago & volubili, & in orbem incitato complexus est: quod secũ ipsum propter virtutẽ facile esse posset: nec desiderat alterum satis sibi ipse notus, & familiaris. sic deus ille æternus hunc perfectæ beatum deum procreauit. sed animum haud ita, vt modo locuti sumus, tum denique cum corpus ei effecisset inchoauit. neq3 enim esset rectum minori parere maiorem. sed nos multa inconsiderate ac temere dicimus. deus autem & ortu & virtute antiquiorem genuit animum: eumq3 vt dominum atq3 imperantem obedienti præfecit corpori: idq3 molitus tali quodam est modo. ex materia, quæ indiuidua est, & quæ semper vniusmodi, suiq3 similis, & ex ea quæ corporibus diuidua gignitur, tertium materiæ genus admiscuit ex duobus in medium: quod esset eiusdem naturæ: & quod alterius: idq3 interiecit inter indiuiduum, atque id quod diuiduũ esset in corpore: ea cum tria sumpsisset: vnam in speciem temperauit: naturamq3 illã, quam alterius diximus, vel cum eadem coniunxit fugientem: et eius copulationis alienã permiscens cum materia, cum ex tribus effecisset vnum: idipsum in ea quæ decuit membra, partitus est. iã partes singulas ex eodẽ, & ex altero, & ex materia tẽperauit. fuit autẽ talis illa partitio. vnam, principio partẽ detraxit

ex toto.

ex toto secundam autem primæ partis duplam. deinde tertiam quæ esset secundæ sesquialtera, primæ tripla. deinde quartam, quæ secundæ dupla esset. quintam inde quæ tertiæ tripla. tum sextam octuplam primæ. postremo septimam quæ septem, & viginti partibus antecederet primæ. deinde instituit dupla et tripla interualla explere, partes rursus ex toto desecans: quas interuallis ita locabat: vt in singulis essent bina media. vix enim audeo dicere medietates: quas Græci μεσότητας appellant. sed quasi ita dixerim ita intelligatur. erit enim planius, earum alteram, eadem parte præstantem extremis, eademq3 superatam, alteram pari numero præstantem extremis pariq3 superatam. sesquialteris autem interuallis, & sesquitertijs, & sesquioctauis sumptis, ex his colligationibus in primis interuallis, sesquioctaui interuallo, sesquitertia omnia explebat: cum particulam singulorum relinqueret. eius autem particulæ interuallo relicto habebat numerus ad numerum eandem proportionem, comparationemq3 in extremis: quam habent CCLVI cum CCXLIII atq3 ita permistum illud, ex quo hæc secuit: iam omne consumpserat. hanc igitur omnem coniunctionem duplicem in longitudinē diffidit: mediaq3 accommodans mediam, quasi decussauit: deinde in orbem torsit: vt & ipse secum, & inter se ex commissura, quæ è regione esset, iungerentur: eoq3 motu cuius orbis semper in eodem erat, eodemq3 modo ciebatur, vndiq3 est eos circumplexus. atq3 ita cum alterum esset exteriorem amplexus orbem: illum eiusdem naturæ, hunc alterius notauit: eamq3 quæ erat eiusdem, detorsit à latere in dextram partem: hanc autem citi-

mam

mam & à mediana linea direxit ad leuam. sed principatum dedit superiori: quam solam individuã reliquit. interiorem autẽ cum in sex partes cœli diuisisset: septem orbes dispares duplo, et triplo interuallo moueri iussit, contrarijs inter se cursibus. eorum autẽ trium fecit pares celeritates: sed quatuor, & inter se dispares, & dissimiles trium reliquorum. animum igitur cũ ille procreator mundi deus, ex sua mente & diuinitate genuisset: tum deniq; omne quod erat concretum, atq; corporeũ substernebat animo: interiusq; faciebat: atq; ita medio medium accommodans copulabat. sic animus à medio profectus, extremitatem cœli à suprema regione rotundo ambitu circumiecit: seseq; ipse versans, diuinius, sempiternæ sapientisq; vitæ induxit exordiũ. et corpus quidẽ cœli spectabile effectum est. animus autem oculorum effugit obtutum. est autem vnus ex omnibus rationis, contentionisq; (quæ διανοία Græcè) sempiternarum rerum, & sub intelligentiã cadentiũ, compos & particeps: quo nihil ab optimo, & præstantissimo genitore melius procreatum. quippe qui ex eadem vinctus, alteraq; natura, adiuncta materia temperatione trium partium, proportione compacta, se ipse cõuersans, cum materiam mutabilẽ arripuisset: & cum rursus indiuiduam atque simplicem: per quam omnis mouetur, discernit que quid sit eiusdem generis, & quid alterius: & cætera diiudicat, quid cuiq; rei sit maxime aptum: quid quoq; loco, aut modo, aut tempore contingat: quæq; distinctio sit inter ea, quæ gignantur, & ea quæ sunt semper eadem. ratio autem vtraq; quæ versatur in his, quæ sunt semper eadem, & in his quæ mutantur, cum in eodem, &

in altero

in altero mouetur: ipsa per sese sine voce, & sine vllo sono, cum eandē partem attingit, qua sensus cieri potest: orbis illius generis alterius immutatus & rectus, omnia animo mentique denunciat: tum opiniones, assensiones que firmæ veræq; gignuntur. cum autē in illis rebus vertitur, quæ manentes semper eædem, non sensu, sed intelligentia continentur.

Desunt nonnulla.

ita vim suam natura conuertit: vt terram Lunæ cursus proximè ambiret: eiq; supra terram proxima Solis circumuectio esset. lucifer deinde & sancta Mercurij stella, cursum habent Solis celeritati parem, sed vim quandam contrariam: eaq; conuersione quam inter se habent lucifer, Mercurius, Sol alij q;, alios vincunt, vicissimq; vincuntur. Reliquorum syderum, quæ causa collocandi fuerit, quæq; eorum sit collocatio in sermonem alium differendum est: ne in eo quod attingendū fuit, quàm in eo, cuius causa id attigimus, longior ponatur oratio. quando igitur vnumquodq; eorū syderum, cursum decorum est adeptum: ex quibus erat motus temporis consignandus: colligatisq; corporibus vinculis animalibus: tum animantia orta sunt: eaq; imperio

parere

parere didicerunt, tunc ex alterius naturæ motione transuersa, in eiusdem naturæ motum incurrentia, in eaque hærentia, atq; impedita, cum alia maiorē lustrarent orbem: alia minorem: tardiusq; maiorē: celeriusq; minorem: motu vnius eiusdemq; naturæ, quæ velocissime mouebantur, ea celeritate vinci à tardioribus, & cū superabant, superari videbantur. omnis enim orbis eorum, quasi Helicis inflexione vertebatur. quā bifariam contrariè simul procedentia efficiebant: vt quod esset tardissimum, id proximum fieret celerrimo. atq; vt esset mensura quædam euidens: quæ in istis octo cursibus celeritates, tarditatesq; declararet: deus ipse solem, quasi lumen accendit ad secundum supra terram ambitum: vt quam maxime cœlū omnibus colluceret: animantesque, quibus vis esset doceri, ab eiusdē motu & ab eo, quod simile esset, numerorum naturam, vimq; cognoscerent. nox igitur & dies ad hunc modum, & ob has generata causas, vnum circuitū orbis efficit. sapientissimū, atque optimum. mensis autē, quando luna lustrato suo cursu, Solem consecuta est: annus vbi Sol suum totum confecit, & peragrauit orbē. cæterorum autem syderū ambitus ignorantes homines, præter admodū paucos, neq; nomen appellant: neq; inter se numero cōmetiuntur. itaq; nesciunt hos syderum errores id ipsum esse, quod rite dicitur, tempus, multitudine infinita, varietate admirabili præditos. attamen illud prospici, et intelligi potest, absoluto. perfecto q; numero tēporis, absolutū, perfectumque annum, tunc compleri deniq;: cum se octo ambitus, confectis suis cursibus, ad idem caput retulerunt. cumq; eos permensus est idem, & semper sui similis orbis. has

igitur

igitur ob causas nata astra sunt: quæ per cœlum penetrã
tia, solstitiali se et brumali reuocatione conuerterent: vt
hoc omne animal, quod videmus, esset illi animali,
quod sentimus, ad æternitatis imitationem simillimũ. et
cætera quidẽ vsq; ad temporis ortum impressa ab illis,
quæ imitabatur, effinxerat. sed quia nondũ omne ani-
mal in mundo intus incluserat: ex ea parte deficiebat
ad propositum exemplar imaginis similitudo. quot igi-
tur, & quales animalium formas mens, in speciem rerũ
intuens, poterat cernere: totidem, & tales in hoc mun-
do secum cogitauit effingere. erant autem animantium
genera quatuor, quorum vnum diuinũ, atq; cœleste: al-
terũ pennigerum et aëriũ: tertiũ aquatile: terrestre, quar
tũ. Diuinæ animationis maximè speciẽ faciebat ex ig-
ne: ita vt splendidissimus esset, & aspectu pulcherrimus.
cumq; eum similem vniuersæ naturæ efficere vellet: ad
volubilitatem rotundauit: comiteq; eũ sapientia quàm
optimæ mentis effecit, circumq; omne cœlum æqua-
liter distribuit: vt hunc hac varietate distinctum, benè
Græci κόσμον, nos lucentem mundũ nominaremus. de-
dit autẽ diuinis duo genera motus: vnum quod semper
esset in eodem æquè & idem in omnibus, atq; vno modo
celeraret: alteram quod in aliquã partem a conuersio-
ne eiusdem, & similis, pelleretur. quinque autem re-
liquis motibus orbem eum esse voluit expertem, immo-
bilem, & stantem. ex quo genere ea sunt sydera, quæ in-
fixa cœlo non mouentur loco: quæ sunt animantia,
eaq; diuina: ob eamq; causam, suis sedibus inhærent:
& perpetuo manent. quæ autẽ vaga & mutabili ratio-
ne labuntur, ita generata sunt: vt supra diximus. iam

vero terram altricem nostram, quæ transiecto axe sustinetur: diei noctisq; effectricem, eandemq; custodem: antiquissimam deorum voluit esse eorum, qui intra cœlum gignerentur. flexiones autem deorum, et inter ipsos deos conuersiones, quæq; in orbibus eorum concursiones, anteceſſionesq; eueniant, cumq; inter se penè contingant, eos qui propè copulentur contraria regione, & pone quos, aut ante labuntur, quisq; temporibus à nostro aspectu obliteſcant, rursusq; emersi errorem incutiant rationis expertibus, si verbis explicare conemur, nullo posito sub oculis simulachro: earum rerum frustra suscipiatur labor. Sed hæc satis sunt dicta nobis. quæ de deorum qui cernuntur, quiq; orti sunt natura præfati sumus, habeant hunc terminum. reliquorum autem, quos Græci δαίμονας appellant: nostri, opinor, lares: si modo hoc recte conuersum videri potest: & noſſe, & nunciare ortum eorum maius est: quàm vt profiteri scribere nos audeamus. credendum nimirum est veteribus & priscis, vt aiunt, viris, qui se progeniem deorum esse dicebant. itaq; eorum vocabula nobis prodiderunt. noſſe autem generatores suos optime poterant: ac difficillimè factu est à dys ortis fidē non habere: quanquàm nec argumentis, nec rationibus certis eorum oratio cōfirmatur: sed quia de suis rebus notis videntur loqui: veteri legi, moriq; parendum est. sic igitur, vt ab his est traditum, horum deorum ortus habeatur, atq; dicatur: vt oceanum salaciamq; cœli satu terræq; conceptu generatos, editosq; memoremus: ex his, Saturnū & Opem: deinceps Iouem, atq; Iunonem, reliquos, quos fratres inter se, agnatosq; vsurpare, atq; appellare

tare videmus, & eorum (vt vtamur veteri verbo) prosapiam. quando igitur omnes, & qui monẽtur palamq; ostenduntur, & qui eatenus nobis declarantur, quo ipse volunt, creati sunt: tum ad eos is deus, qui omnia genuit, fatur hæc: Vos qui deorum satu orti estis attendite: quorum operum ego parens effectorq; sum, quæ per me facta, nõ sunt dissoluta me inuito? quanquàm omne colligatum. solui potest. sed haud quaquam boni est, ratione vinctũ velle dissoluere. sed quoniam orti estis, immortales vos quidem esse, & indissolubiles non potestis: neutiquàm tamen dissoluemini: nec vos vlla mortis fata periment: nec fraus valentior, quàm consilium meũ: quod maius est vinculũ ad perpetuitatem vestrã: quàm illa quibus estis, tum cum gignebamini, colligati. quid sentiam igitur cognoscite. tria nobis genera reliqua sunt: eaq; mortalia: quibus prætermissis, cœli absolutio perfecta non erit. omnia enim genera animalium complexu non tenebit. teneat autem oportebit, vt ex eodem nequid absit, quæ à me ipso effecta sint, deorũ vitam possit adæquare. vt igitur mortali generentur conditione, vos suscipite: vt illa gignatis: imiteminiq; vim meam: qua in vestro ortu me vsum esse meministis: in quibus qui tales creantur, vt deorum immortalium, quasi gentiles esse debeant: diuini generis appellentur: teneant que omnium animantium principatum: vobisq; iure & lege volentes pareant: quorum vobis initium, statusque traditur à me: vos autem ad id, quod erit immortale, partem attexite mortalem. ita orientur animantes: quos & viuos alatis: & consumptos sinu recipiatis. Hæc ille dixit. deinde ad temperationem superiorem

reuertit: in qua omnem animum vniuersæ naturæ temperans permiscebat: superisq; permistionis reliquias fundens æquabat, eodem modo fermè: nisi quod non ita incorrupta, vt ea quæ semper idem, sed à dijs secundum sumebat, atq; tertium. toto igitur omni constituto syderibus parem numerum distribuit animorum: & singulos adiunxit ad singula: atq; ita quasi in currum vniuersitatis imposuit: commonstrauitq; leges fatales, ac necessarias: & ostendit primũ ortum vnum fore omnibus: eumq; moderatum, atq; constantem, nec ab vllo imminutum: satis autem, & quasi sparsis animis, fore vti certis temporum interuallis, oriretur animal: quod esset ad cultum deorum aptissimum. sed cum duplex esset natura generis humani, sic res habebant: vt præstantius genus esset eorum, qui essent futuri. cum autem animis corpora, necessitate insecuisset: cumq; ad corpora necessitate accessio fieret, tum abscessio: principio necesse erat sensum existere vnum, communemq; omnium vehementiore motu excitato, coniunctoq; naturæ: deinde voluptate & molestia mixtum amorem: post iram & metum, & reliquos motus animi, comites superiorum, & his etiam contrarios dissidentes: quos qui ratione rexerit, iuste vixerit: qui aũt his se dederit, iniuste. atq; ille, qui recte & honeste curriculũ viuendi à natura datũ cõfecerit: ad illud astrũ, quo cum aptus fuerit reuertetur: qui autẽ immoderate & intemperate vixerit: eũ secundus ortus in figurã muliebrẽ transferet: & sine tũ quidem finẽ vitiorum faciet: grauius etiã iactabitur: & in suis moribus similimas figuras pecudum, & ferarum

transfe-

transferetur: neq3 malorum terminum prius aſpiciet: quàm illam ſequi cœperit conuerſionem, quam habebat inſe ipſe ſimilis eiuſdem, & innatam & inſitam. quod tum eueniet, cũ illa quæ exigne, aëre, aqua, atq3 terra turbulenta, & rationis expertia inſederint: ratione depulerit: & ad primam atq3 optimam affectionem animi peruenerint. Quæ cum ita deſignaſſet: ſeſeq3 ſi quid poſtea fraudis, aut vitij eueniſſet, extra omnem culpam, cauſamq3 poſuiſſet: alios q3 in terra, alios in Luna, alios in reliquas mundi partes, quæ ſunt ad ſpatiorum temporis ſignificationem notæ conſtitutæ, ſpargens quaſi ſerebat. Poſt autem ſationem eam, dijs, vt ita dicã, iunioribus permiſit, vt corpora mortalia effingerent: quantumq3 eſſet reliquum ex humano animo, quod deberet accedere, id omne & quæ conſequentia eſſent perpolirent, & abſoluerent: deinde vt huic animanti principẽ ſe ducemq3 præberet: vitamq3 eius pulcherrime regeret, & gubernaret: niſi quatenus ipſe beneficijs, ſua culpa ſibi aliquid miſeriæ quæreret. atq3 is quidem qui cuncta compoſuit, conſtanter in ſuo manebat ſtatu. qui autem erant ab eo creati, cum parentis ordinem cognouiſſent, hunc ſequebantur. itaq3 cum accepiſſent immortale principium, mortalis animantis, imitantes genitorem, & effectorem ſui, particulas ignis, & terræ, & aquæ, & animæ à mundo, quæ rurſus redderent, mutuabantur: easq3 inter ſe copulabant, haud yſdem vinculis, quibus ipſi erant colligati: ſed talibus quæ certi non poſſent, propter paruitatem: crebris quaſi cuneolis iniectis, vnum efficiebant ex omnibus corpus: itemq3 in eo influente atque effluente animo diuino am

bitus illigabant. itaq; illi in flumen immersi, neq; tenebant: neq; tenebantur: sed vi magna tum ferebant: tum ferebantur. ita totum animal mouebatur illud quidem, sed immoderate & fortuitu: vt sex motibus veheretur: nam & antè, & pone, ad læuam, & ad dextram, & sursum, & deorsum, modo huc, modo illuc.

Plæraq; desunt.

sed si in splendore consedit: tum vel eadẽ species, vel interdum immutata redditur: cum ignes oculorum, cum eo igne, qui est ob os offusus, se confudit, & contulit. dextra autem videntur, quæ læua sunt: quia contrarijs partibus oculorum, contrarias partes attingunt. respondent autem dextra dextris, læua læuis conuersione luminũ: cum ea inter se non cohæresc unt. id fit, cum speculorum leuitas hinc, illinc q; altitudinem assumpsit: & ita dextra detrusit in læuam partem oculorum: læua q; in dextram. supina etiam ora cernuntur depulsione luminũ: quæ conuertens inferiora reddit, quæ sunt superiora. atqui hæc omnia ex eo genere sunt, quæ rerum adiuuant causas quibus vtitur ministerijs deus, cum optimi speciem, quoad fieri potest, efficit. sed æstimant plerique non hæc adiuuantia causarum, sed has ipsas esse omniũ causas: quæ vim habeant frigoris & caloris, concretionis, & liquoris: careant autem omni intelligentia, atque

ratione.

ratione. quæ nisi in animo, nulla alia in natura reperiãtur. animus autem sensum omnem effugit oculorũ. at ignis, & aqua, & terra, & aër corpora sunt: eaq; cernũtur. Illum autem qui intelligentiæ sapientiæq; se amatorem profitetur, necesse est intelligentis sapientisq; naturæ primas causas conquirere: deinde secundas causas rerum earum, quæ necessario mouent alias, ipsæ ab alijs mouentur. quocirca nobis sic cerno esse faciendum: vt de vtroq; nos quidem dicamus genere causarum, separatim autem de his, quæ cũ intelligentia sunt efficientes pulcherrimarum rerũ, atq; optimarum: & de his, quæ vacantes, prudentia, incõstantia, perturbata quæq; efficiunt. ac de oculorum quidem causis, vt haberent eam vim, quam nunc habent, satis firmè esse dictũ puto. maxima autem eorum vtilitas donata humano generi deorum munere deinceps explicetur. rerum enim optimarum cognitionem nobis oculi attulerunt. nam hæc quæ est habita de vniuersitate oratio, à nobis haud vnquàm esset inuenta: si neq; sydera, neq; Sol, neq; cœlum sub oculorum aspectum cadere potuissent. nunc vero dies noctesq; oculis cognitæ, tum mensium, annorumq; conuersiones, ad numerum machinatæ sunt: & spacium temporis dimensa sunt: & ad quæstionem totius naturæ impulerunt. quibus ex rebus philosophiam adepti sumus: quo bono nullum optabilius, nullum præstantius, neque datum est mortalium generi deorum concessu, atque munere: neque dabitur.

Multa desunt.

Q. CICERO DE PETITIONE CONSVLATVS AD M. TVLLIVM FRATREM.

E Tsi tibi omnia suppetunt: quæ consequi ingenio, aut vsu homines, aut diligentia possunt: tamen ab amore nostro non sum arbitratus alienum, ad te perscribere ea, quæ mihi veniebant in mentem, dies ac noctes de petitione tua cogitanti: nõ vt aliquid ex ijs noui adijcerẽ: sed vt ea, quæ in re dispersa, atq; infinita viderentur esse, ratione, & distributione, sub vno aspectu ponerentur. quanquam plurimum natura valet: tamẽ videtur in paucorum mensium negocio posse simulatio naturã vincere. Ciuitas quæ sit cogita: quid petas: qui sis propè quotidie ad forum tibi descendẽti meditandũ hoc sit: nouus sum: consulatum peto: Roma est, nominis nouitatẽ dicendi gloria maxime subleuabis. semper ea res plurimum dignitatis habuit. non potest qui dignus habetur patronus consulariũ: indignus consulatu putari. quamobrẽ, quoniam ab hac laude proficiscēris: & quicquid es, ex hoc es: ita paratus ad dicendum venito: quasi in singulis causis iudicium de omni ingenio futurũ sit. Eius facultatis adiumenta, quæ tibi scio esse sepositа, vt parata ac prompta sint cura: & sæpe quæ de Demosthenis studio & exercitatione scripsit Demetrius recordare. deinde et amicorum multitudo, & genera apparent. habes enim ea, quæ noui habuerunt omnes: publicanos, totum ferè equestrem ordinem, multa præterea

municipia, multos abs te defensos homines cuiusq; ordinis, aliquot collegia, præterea studio dicendi conciliatos plurimos adolescentulos, quotidianam amicorũ assiduitatem & frequentiam. hæc cura & vt teneas cõmendando, & rogando, et omni ratione efficiendo, vt intelligant qui debent tua causa, referendæ gratiæ, & qui volunt, obligandi tui tempus sibi aliud nullũ fore. etiã hoc multum videtur adiuuare posse nouum hominem: hominũ nobilium voluntas, & maxime consularium. prodest, quorum in locum ac numerum peruenire velis, ab his ipsis illo loco, ac numero dignũ putari. hi rogandi omnes sunt diligenter: et ad eos allegandum: persuadendumq; est ys: nos semper cum optimatibus de Rep. sensisse: minime populares fuisse: si quid locuti populariter videmur: id nos eo consilio fecisse: vt nobis Cn. Pompeium adiungeremus: vt eum, qui plurimum posset, aut amicum in nostra petitione haberemus: aut certe non aduersariũ. præterea adolescentes nobiles elabora vt habeas: vel vt teneas studiosos quos habes. multum dignitatis afferẽt. plurimos habes: perfice vt sciant, quantum in his putes esse. si adduxeris, vt y qui nolunt, capiant, plurimum quidem proderunt. ac multum etiam nouitatem tuam adiuuat: quod eiusmodi nobiles tecum petunt: vt nemo sit, qui audeat dicere, plus illis nobilitatem, quàm tibi virtutem prodesse oportere. Iam P. Galbam, & L. Cassium summo loco natos, quis est qui petere consulatum putet? vides igitur amplissimis ex familijs homines, qui sine neruis sint, tibi pares esse non posse. At Antonius & Catilina molesti sunt: immò homini nouo, industrio, innocenti, diserto, gratioso

apud

apud eos qui res iudicant, optandi cõpetitores, ambo sicarij, ambo libidinosi, ambo egentes. eorũ alterius bona proscripta vidimus: vocem denique audiuimus iurantis se Romæ, iudicio æquo cum homine Græco certare non posse: & ex senatu eiectum scimus. optima vero censorũ existimatione in prætura competitorẽ habuimus, amico Sabidio, & Panthera: quod ad tabulam, quos poneret non habebat. quo tamen in magistratu amicam, quam palàm domi haberet, de machinis emit. In petitione autem consulatus caupones omnes hic compilare per turpissimam legationem maluit: quàm adesse: & populo Rom. supplicare. Alter vero, dy boni, quo splendore est? primum nobilitate eadem qua Catilina. num maiore? non, sed virtute. Quamobrem qui inanius vmbram suam metuit, hunc negliges quidem, natum in patris egestate, educatum in sororis stupris, corroboratum in cæde ciuium, cuius primus ad Remp. aditus in equitibus Romanis occidendis fuit. Nam illis quos meminimus Gallis, qui tum Ticinniorum, ac Nanniorũ, ac Tanusiorum capita demebant, Scylla vnum Catilinam præfecerat. in quibus ille hominem vnum optimũ Q. Caucilium sororis suæ virum, equitem Romanum nullarum partium, cum semper natura, tum etiam ætate iam quietum, suis manibus occidit. quid ego nunc dicam petere eum tecum consulatum, qui hominem clarissimum popu. Rom. M. Marium inspectante Po. Rom. virgis per totam vrbem ceciderit? ad bustum egerit? ibi omni cruciatu lacerarit? viuo stanti collum gladio sua dextera secuerit: cum sinistra capillum eius à vertice teneret: caput sua manu tulerit: cum inter digitos

gitos eius riui sanguinis fluerent. qui postea cum histrionibus, & cum gladiatoribus ita vixit: vt alteros libidinis, alteros facinoris adiutores haberet. qui nullū in locum tam sanctum ac tam religiosum accessit: in quo nō, & si in alijs culpa non esset, tamen ex sua nequitia dedecoris suspicionem relinqueret: qui ex curia Curios, & Annios: ab Atrijs, Sapalas, & Caruilios: ex equestri ordine, Pompilios & Cneios, sibi amicissimos compararit: qui tantum habet audaciæ: tantum nequitiæ: tantum deniq; in libidine artis, & efficacitatis: vt parentū propè in gremijs prætextatos liberos constuprarit? quid ego nunc tibi de Africa, quid de testium dictis scribā? nota sunt: & ea tu sæpius legito. Sed tamen hoc mihi non prætermittendum videtur, quod primum tam egens ex eo iudicio discessit: quàm quidem iudices eius ante illud iudicium fuerunt. deinde tam inuidiosus: vt aliud in eum iudicium quotidie flagitetur. Res se sic habet: vt magis timeat, etiam si quieuerit: quàm vt contemnat, si quid commouerit. Quantò melior tibi fortuna petitionis data est: quàm nuper homini nouo C. Cælio. ille cum duobus hominibus, ita nobilissimis petebat: vt tamen in ijs omnia pluris essent, quàm ipsa nobilitas: summa ingenia, summus pudor, plurima beneficia, summa ratio, ac diligentia petendi. tamen eorum alterum, cum deesset alter, Cælius etiam cum multò esset inferior genere, superior nulla re penè, superauit. quare si facies ea, quæ tibi natura, & studia, quibus vsus es semper; largiuntur: quæ temporis tui ratio desiderat: quæ potes: quæ debes: non erit difficile certamen ijs competitoribus, qui nequa-

quam

quam sunt tam genere insignes, quàm vitijs nobiles. Quis enim reperiri tam improbus ciuis potest, qui velit vno suffragio duas in Rempublicam sicas distringere? Quoniam igitur qua subsidia nouitatis haberes, & habere posses exposui: nunc de magnitudine petitionis dicendum videtur. Consulatum petis: quo honore nemo est, qui te non dignum arbitretur: sed multi, qui inuideant. petis enim homo ex equestri loco summum locum ciuitatis: atque ita summum: vt forti homini, diserto, innocenti, multò ille idem honos plus amplitudinis, quàm cæteris afferat. noli putare eos, qui sunt eo honore vsi, non videre, tu cum idem sis adeptus: quid dignitatis habiturus sis. eos vero qui consularibus familijs nati, locũ maiorum consecuti non sunt: suspicor tibi, nisi qui admodum te amant, inuidere. etiam nouos homines prætorios existimo, nisi qui tuo beneficio iuncti sunt, nolle abs te se honore superari. iam in populo quàm multi inuidi sunt: quàm multi consuetudine horum annorum ab honoribus nouis alienati. venire tibi in mentem certo scio, esse etiam nonnullos tibi iratos ex ijs causis, quas egisti, necesse est. iam illud tute circumspicito: quod ad Cn. Pompeij gloriam augendam tanto studio te dedisti: num quos tibi putes ob eam causam esse amicos, quamobrem cum & summum locum ciuitatis petas: & videas esse studia, quæ tibi aduersentur: adhibeas necesse est omnem rationem, & curam, & laborem, & diligentiam. Et petitio magistratuum diuisa est in duarum rationum diligentiam: quarum altera in amicorum studijs, altera in populari voluntate ponenda est. Amicorum studia, beneficijs, & officijs,

officijs, & vetustate, & facilitate, ac iucunditate naturæ parta esse oportet. sed hoc nomen amicorum in petitione latius patet quàm in cætera vita. quisquis est enim, qui ostendat aliquid in te voluntatis : qui colat : qui domũ ventitet : is in amicorum numero est habendus, sed tamen, qui sunt amici ex causa honestiore, cognationis, aut affinitatis, aut sodalitatis, aut alicuius necessitudinis, his, charum & iucundum esse maxime prodest. deinde vt quisq; optimus, ac maxime domesticus, vt is amet quique fidelissimum esse te cupiat, valde elaborãdum puto, tum, vt tribules, vt vicini, vt clientes, vt deniq; liberti, postremo etiam serui tui. nam ferè omnis sermo ad forensem famam à domesticis emanat authoribus. deinde instituẽdi sunt cuiuscunq; generis amici ad speciem hominis illustris honore ac nomine : qui etiam si suffragandi studia non nauant. tamen afferunt petitori aliquid dignitatis ad iustitiam obtinendã. Magistratus, ex quibus maxime Consul, deinde Trib. Pleb. ad conficiendum centurias homines excellenti gratia, qui tribuent centuriam, vt aliquod ex te beneficium, aut habent, aut vt habeant sperent, eos prorsus magnopere compara & confirma. nam per hos annos homines ambitiosi vehementer omni studio, atque opere laborarunt, vt possent à tribulibus suis ea, quæ peterent, impetrare. hos tu homines quibuscunq; rationibus poteris, vt ex animo, atq; vt ex illa summa voluntate tui studiosi sint, laborato. Quod si satis grati homines essent: hæc omnia parata esse aebebant. sicut parata esse conferno. nam hoc biennio quatuor sodalitates ciuium ad ambitionem gratiosissimorum tibi obligasti : C. Fundani,

dani, Q. Galli, Cn. Cornelij, L. Coruini: & horum in causis ad te deferendis quidnam eorum sodales receperint & confirmarint, scio. nam interfui. quare hoc tibi faciendū est: vt hoc tempore abijs quod debent exigas, sæpe commonendo, rogando, confirmando, curando vt intelligant nullum tempus aliud se vnquā habituros referendæ gratiæ. profectò homines & spe reliquorum tuorum officiorum, etiam recentibus beneficijs ad studium seruandum excitabuntur. & omnino quoniam eo genere amicitiarum petitio tua maxime munita est, quod causarum defensionibus adeptus es: fac vt planè ijs hominibus quos deuinctos tenes, descriptum, ac depositum suum cuiq; munus sit. Et quemadmodū memini, quod nulla in re illis vnquam molestus fuisti, sic cura vt intelligant omnia te, quæ abillis tibi deberi putaris, ad hoc tempus reseruasse. Sed quoniam tribus rebus homines maxime ad beneuolentiā, atq; hæc suffragandi studia ducuntur: beneficio, spe, adiunctione animi, vel voluntate: animaduertendum est, quemadmodum cuiq; horum generi sit inseruiendum. Minimis beneficijs homines adducuntur, vt satis causæ putent se ad studiū suffragationis dedisse: nedum ij quibus saluti fuisti: quos tu habes plurimos. & intelligant, si hoc tuo tempore non satisfecerint, se probatos nemini vnquam fore. Quod cum ita sit: tamen rogandi sunt: atque etiam in hanc opinionem adducendi: vt qui nobis adhuc obligati fuerint, ijs vicissim nos obligari adhuc posse videamur. qui autem spe tenentur: (quod genus hominum multo est diligentius, atq; officiosius) ijs fac vt propositum, ac paratum auxilium tuum esse videatur. denique vt spectatorem

ctatorem te suorum officiorum esse intelligant diligentẽ: vt videre te planè atq; animaduertere quantũ ab vnoquoq; proficiscatur appareat. tertium illud genus est studiorum voluntarium: quod agendis gratijs, accommodãdis sermonibus ad eas rationes, propter quas quisque studiosus tui esse videbitur, significanda erga illos pari voluntate, adducenda amicitia in spem familiaritatis, et cõsuetudinis confirmari oportebit. Atq; in ys omnibus generibus iudicato & perpendito quantũ quisque possit: vt scias & quemadmodum cuiq; inseruias: et quid à quoq; expectes, & postules. Sunt enim quidã homines in suis ciuitatibus, & municipijs gratiosi: sunt diligentes, & copiosi: qui etiam si antea non studuerunt huic gratiæ: tamen ex tempore elaborare eius causa, cui debent, aut volunt, facile possunt. His hominum generibus sic inseruiendum est: vt ipsi intelligant te videre qd à quoq; expectes: sentire quid accipias: meminisse quid acceperis. Sunt autem alij: qui aut nihil possunt: aut etiam odio sunt tribulibus suis: nec habent tantum animi, aut facultatis, vt enitantur ex tempore. hos internoscas videto: ne spe in aliquo maiore posita, præsidij parum comparetur. & quanquam partis & fundatis amicitijs fretum ac munitum esse oporteret: tamen in ipsa petitione amicitiæ permultæ, ac perutiles comparantur. nam in cæteris molestijs, habet hoc tamen petitio commodi: vt possis honeste, quod in cætera vita non queas: quoscunque velis adiungere ad amicitiam: quibus cum si alio tempore agas, vt te vtantur: absurde facere videare. in petitione autem nisi idagas, & cum multis, & diligenter: nullus petitor esse videare.

deare. Ego autem tibi hoc confirmo, esse neminem: nisi aliqua necessitudine competitorũ alicui tuorũ sit adiunctus: à quo non facile, si cõtenderis, impetrare possis: vt suo beneficio promereatur, se vt ames: & sibi vt debeas: modò intelligat te magni æstimare: ex animo agere: benè se ponere: fore ex eo nõ breuem & suffragatoriam, sed firmam & perpetuam amicitiam. nemo erit, mihi crede, in quo modo aliquid virtutis sit: qui hoc tempus sibi oblatum amicitiæ tecum constituendæ: prætermittat: præsertim cum id tibi casus afferat: vti tecũ petant, quorum amicitia, aut contemnenda, aut fugienda sit: & qui hoc quod ego te hortor, non modo non asse qui, sed ne incipere quidem possint. Nam quid incipiat Antonius homines adiungere, atq; inuitare ad amicitiã, quos per se suo nomine appellare nõ possit? mihi quidem stultius nihil videtur: quàm existimare eum studiosum tui: quem non noris. Eximiam quandam gloriam, & dignitatem, ac rerum gestarum magnitudinem esse oportet in eo: quem homines ignoti, nullis suffragantibus meritis, honore afficiant: namq; vt homo iners, sine officio, sine ingenio, cum infamia, nullis amicis septus, hominem plurimorum studio, atque omnium bona existimatione munitum, præcurrat, sine magna culpa negligentiæ, fieri non potest. quamobrem omnes centurias multis & varys amicitijs, cura vt confirmatas habeas: & primum id, quod ante oculos est, Senatores, equitesq; Romanos, cæterorum hominum varios homines & gratiosos complectere. multi homines vrbani & iudustry, multi libertini in foro gratiosi, nauiq; versantur. quos per te, quos

per communes amicos poteris, summa cura vt tui cupidi sint: elaborato, appetito: allegato: summo beneficio te afficere ostendito. deinde habe oratores vrbis totius, collegium omnium pagorum, vicinitatum. Ex ijs principes ad amicitiā tuā si adiunxeris: per eos reliquā multitudinem facile tenebis. postea, totam Italiam fac vt in animo, ac memoria tibi distributam comprehensamq; habeas: ne quod municipium, coloniam, præfecturam, locum denique Italiæ, ne quem esse patiare, in quo nō habeas firmamenti, quod satis esse possit. perquiras etiam & inuestiges homines ex omni regione: eosq; cognoscas: appetas: confirmes: cures vt in suis ciuitatibus tibi aliquos petant: & tua causa, quasi candidati sint, volent te amicum, si suam à te amicitiam expeti videbunt. id vt intelligant, oratione, quæ ad eam rationem pertinet, consequere. homines municipales, ac rustica-ni si nomine tantum noti sint, in amicitia se esse arbitrentur. si vero etiam præsidij se aliquid sibi constituere putant: non amittunt occasionem promerendi. Hos cæteri, & maximè tui competitores, ne norunt quidem: tu & nosti, & facile cognosces: sine quis amicitia esse non potest. neq; id tamen satis est, tametsi magnum est: sed vt consequatur spes vtilitatis, atq; amicitiæ: ne nomenclator solum, sed amicus etiam bonus esse videare. Ita cum & hos ipsos propter suam ambitionem, qui apud tribules suos plurimum gratia possint, studiosos in centurys habebis: & cæteros, qui apud aliquam partem tribulium propter municipijs aut ciuitatis, aut collegij ratione valent, cupido, tui constitueris: in optima spe esse debebis. Iam equi-

tum

tum centuriæ multo facilius mihi diligentia posse teneri videntur. primũ cognoscendi sunt equites, pauci enim sunt, deinde adipiscedi. multo enim facilius illa adolescentulorũ ad amicitiam ætas adiungitur. deinde habebis tecum ex iuuentute optimum quenq;, & studiosissimum humanitatis. tum equester ordo sequetur illius auctoritatẽ ordinis: si abs te adhibebitur ea diligentia: vt non ordinis illius authoritatem solum voluntate, sed etiam singulorum amicitijs eas centurias confirmatas habeas. iam studia adolescentulorum, in suffragando, in obeundo, in nunciando, in assectando mirifice, & magna & honesta sunt. Et quoniam assectationis mentio facta est: id quoq; curandum est, vt quotidiana cuiusq; generis, & ordinis, & ætatis vtare. nam ex ea ipsa copia, coniectura fieri poterit, quantum sis in ipso campo virium, ac facultatis habiturus. Huius autem rei tres partes sunt: vna salutatorum, cum domũ veniunt: altera deductorum: tertia assectatorum. In salutatoribus, qui magis vulgares sunt: & ad hanc consuetudinem, quæ nunc est, plures veniunt: hoc efficiendum est: vt hoc ipsum minimum officium eorum, tibi gratissimum esse videatur. Qui domum tuam venient, ijs significato te animaduertere: & eorũ amicis, qui illis renũcient, ostendito: sæpe ipsis dicito. sic homines sæpe, cum obeunt plures competitores: & vident vnũ esse aliquem, qui hæc officia maximè animaduertat. ei se dedunt: deserunt cæteros minutatim: ex communibus propriis: ex fucosis firmi suffragatores euadunt. Iam illud teneto diligenter: si eum, qui tibi promiserit, fucum, vt dicitur, facere velle senseris: vt te id audisse, aut

scire dissimules: si quis tibi se purgare volet, quod suspectū esse arbitretur: affirmes te de illius volūtate nunquā dubitasse: nec debere dubitare. is enim qui se non putat satisfacere, amicus esse nullo modo potest. Scire autem oportet quo quisq; animo sit: vt etiam quantum cuiq; confidas constituere possis. Iam deductorū officiū, quo maius est quàm salutatorū, hoc gratius tibi esse significato, atq; ostendito: & quoad eius fieri poterit, certis temporibus discendito. magnam affert opinionem, magnam dignitatem, quotidiana in deducendo frequentia. Tertia est ex hoc genere, assidua assectatorum copia. in ea quos voluntarios habebis, cura vt intelligant te sibi in perpetuum summo beneficio obligari. qui autem tibi debent, ab iis planè hoc munus exige, qui per ætatem, ac negocium poterunt, ipsi tecum vt assidui sint. qui si ipsi sectari non poterunt: necessarios suos in hoc munere constituant. Valde ego te volo, & ad rem pertinere arbitror, semper cum multitudine esse. Præterea magnam affert laudem, & summam dignitatem: si iy tecum erunt, qui à te defensi, & qui per te seruati, ac iudicijs liberati sunt. hæc tu planè ab iis postulato: vt quoniam nulla impensa, per te alij rem honestam, alij salutem, ac fortunas omnes obtinuerunt: nec aliud vllum tempus futurum sit, vbi tibi referre gratiam possint: hoc te officio remunerent. Et quoniam in amicorum studijs, hæc omnis oratio versatur: qui locus in hoc genere cauendus sit prætermittendum non videtur. fraudis, atq; insidiarum, & perfidiæ plena sunt omnia. non est huius temporis perpetua illa de hoc genere disputatio: quibus rebus beneuolus, &

simulator

simulator diudicari possit. tantū est huius temporis admonere. summa tua virtus eosdem homines, & simulare tibi esse amicos, & inuidere coget: quamobrem ἐνιχάρμειον illud teneto: neruos atq; artus esse sapientiæ, nō temere credere. & cum tuorum amicorum studia constitueris: tum etiam obtrectatorum, atq; aduersariorū rationes, & genera cognosceto. hæc tria sunt: vnum ex iis, quos lassisti, alterum, qui sine causa non amant: tertium, qui competitorum valde amici sunt. Quos lassisti cum contra eos pro amico diceres, his te purgato plane: necessitudines commemorato: in spem abducito: te in eorum rebus, si se in amicitiam contulerint, pari studio, atq; officio futurū, spondeto. Qui sine causa non amant, eos, aut beneficio, aut spe, aut significando, tua erga illos studia futura delinies, dans operam, vt de illa animi prauitate deducas. Quorum voluntas erit abs te, propter competitorum amicitias alienior: his quoq; inseruiorationē qua superioribus: & si probare poteris, te in eos ipsos competitores tuos, beneuolo esse animo, ostendito. Quoniam de amicitijs constituendis satis dictum est: dicendum est de illa altera parte petitionis, quæ in popularī ratione versatur. Ea desiderat nomenclationem, blanditum, assiduitatem, benignitatem, rumorem, spem in Republica. Primum id quod facis, vt homines noris, significa vt appareat: & auge, vt quotidie melius fiat. nihil mihi tam populare, neq; tam gratum videtur. Deinde id quod natura non habes, induc in animū ita simulandum esse, vt natura facere videare nō comitas tibi necesse est, ea quæ bono ac suauī homine digna sit. sed opus est magnopere blanditia: quæ

etiam si vitiosa est, & turpis in cætera vita: tamen in petitione necessaria. Tibi enim cum deteriorem aliquem assentando facit: improba est: cum amiciorem: non tam vituperanda. petitori vero necessaria est: cuius & frons, & vultus, & sermo, ad eorum, quoscunq; conuenerit, sensum, & voluntatem commutandus est. Iam assiduitatis nullum est præceptum: verbum q; ipsum docet, quæ res sit. prodest quidem vehementer nusquam deesse. sed tamẽ hic fructus est assiduitatis, nõ solũ esse Romæ, atq; in foro: sed assidue: petere sæpe eosdẽ appellare: non committere, vt quisquam possit re dicere quod eius sit consequi possis: si abs te non sit rogatum: & valde ac diligenter rogatum. Benignitas autem late patet: & est in re familiari. quæ quanquam ad multitudinem peruenire non potest: tamen ab amicis laudatur: & multitudini grata est. est in conuiuijs: quæ facere te oportet, & amicis tuis concelebrentur: & passim, & tributim: est etiam in opera: quam peruulga, & communica: cura vt aditus ad te diurni atq; nocturi pateant, neq; foribus solum ædium tuarum, sed etiam vultu, & fronte, quæ est animi ianua. quæ si significant voluntatem abditam esse ac retrusam: parui refert patere ostium, homines enim non modo prompte sibi, præsertim quæ à candidato petant, sed etiam largè ac honorificè promitti volunt. quare hoc quidem facile præceptum est: vt quod acturus sis, id significes te studiosè, ac libenter esse facturum. illud difficilius, & magis ad tempus, quàm ad naturã accommodatũ tuam: quod facere non possis, vt id iucunde neges: quorum alterum est boni viri: alterum boni petitoris. nam cũ id petitur, quod honeste, aut

sine detrimento nostro promittere non possumus: quomodo si quis roget, vt contra amicum aliquam causam recipiamus: belle negandum est: vt ostendas necessitudinem: demonstres quã moleste feras: alys te id rebus exacturum esse persuadeas. Audiui hoc dicere quendã de quibusdã oratoribus, ad quos causam suã detulisset: gratiorẽ sibi fuisse orationem eius, qui negasset: quam illius, qui recepisset. Sic homines fronte, & oratione magis, quàm ipsõ beneficio, reg3 capiuntur. Verum hoc probabile est illud alterũ subdurũ tibi homini Platonico suadere. sed tamen tempori tuo consulã. quibus enim propter aliquod officium necessitudinis affuturum negaris: tamen y possunt abs te placati æquiq3 discedere. quibus aũt iccirco negaris, quod te impeditũ esse dixeris, aut amicorũ negocijs, aut grauiorib. causis, aut ante susceptis: inimici discedũt omnes, q hoc animo sunt, vt sibi te mẽtiri malint, q̃ negare. C. Cotta in ambitione artifex dicere solebat: se operã suã, quod nõ contra officiũ rogaretur, polliceri solere omnibus: impartire ijs, apud quos optime poni arbitraretur. ideoq3 se negare nemini: quod sæpe accideret causa, cur is, cui pollicitus esset, nõ vteretur, sæpe vt ipse magis esset vacuus quã putasset: neq3 posse domũ eius cõpleri, qui tantummodo reciperet, quantũ videret se obire posse. casu fieri, vt agantur ea, quæ non putaris: illa quæ credideris in manibus esse, vt aliqua de causa non agantur. deinde esse extremum, vt irascatur is, cui mendacium dixeris. id si promittas: & incertum est, & in diem, & in paucioribus. sin autem id neges: statim abalienant se, & inimicantur. plures enim multo sunt qui rogant, vt vti liceat opera alterius: quã

qui vtantur. quare satius est, ex ijs aliquos aliquando tibi in foro irasci. quàm omnes cõtinuo domi: præsertim cum multo magis irascantur ijs, qui negent, quà ijs, quẽ videant ea causa impeditum, vt facere quod promisit cupiat, si vllo modo possit. Ac ne videar aberrasse à distributione mea: quĩ hæc in hac populari parte petitionis disputem: hoc sequor: hæc omnia non tã ad amicorum studia, quàm ad popularem famam pertinere & si inest aliquod dictum ex illo genere benigne respondere, studiose inseruire negocijs amicorum, ac periculis: tamen hoc loco ea dico: quibus multitudinem capere possis: vt de nocte domus cõpleatur: vt multi spe tui præsidij teneantur: vt amiciores abs te discedant quàm accesserint: vt quam plurimorum aures optimo sermone compleantur. Sequitur enim, vt de rumore dicendum sit. cui maximè seruiendum est. sed quæ dicta sunt omni superiori oratione, eadem ad celebrandum rumorem valent: dicendi laus, studia publicanorum, & equestris ordinis, hominum nobilium voluntas, adolescentulorum frequentia eorum qui abs te defensi sunt, assiduitas, ex municipijs, multitudo eorum, quos tua causa venisse appareat, benè homines nosse, comiter appellare, assidue, ac diligenter petere, benignum, ac liberalem esse, benè loqui existimare, domus vt multa nocte ampleatur, omniũ generum frequentia adsit, satisfiat oratione omnibus, req; operaq; multis, id quod fieri potest perficiatur labore, & arte, & diligentia, non vt ad populum ab ijs omnibus fama perueniat: sed vt in ijs studijs populus ipse versetur. Iam vrbanam illam multitudinem, & eorum studia qui conciones tenent,

quæ

quæ adeptus es in Pompeio ornando, in Manilij causa recipienda, Cornelio defendendo: excitanda nobis sunt: quæ adhuc habuit nemo: quin idem splendorem omnium, voluntatesq; haberet. Efficiendum etiã illud est, vt sciant omnes, Cn. Pompeij summã erga te esse voluntatem: & vehementer ad illius rationes te id assequi, quod petis, pertinere. Postremo, tota petitio cura vt pompæ plena sit, vt illustris, vt splendida, vt popularis: vt habeat summam speciem, ac dignitatem: vt, etiam si qui possit, ne cõpetitoribus tuis existat, aut sceleris, aut libidinis, aut largitionis accomodata, ad eorum mores, infamia. Atque etiam in hac petitione maxime videndũ est, vt spes Reip. bona de te sit, & honesta opinio. Nec tamen in petendo Resp. cõpescenda est, neq; in Senatu, neq; in concione. sed hæc sunt tibi retinenda, vt Senatus te existimet ex eo, quod ita vixeris, defensorem authoritatis suæ fore: equites Rom. boni, & locupletes ex vita acta te studiosum ocij ac rerum tranquillarum: multitudo, ex eo duntaxat, quod oratione in concionibus, ac iudicio popularis fuisti, te à suis commodis alienum non futurũ. Hæc mihi veniebant in mentem de duabus illis commotionibus matutinis: quo tibi quotidie ad forum descendenti, meditandũ esse dixeramus. nouus sum: consulatum peto tertium restat, Roma est: ciuitas ex nationum conuentu constituta: in qua multæ insidiæ, multa fallacia, multa in omni genere vitia versantur: multorum arrogantia, multorum contumacia, multorum maleuolentia, multorum superbia, multorum odia ac molestia perferenda est. Video esse magni consilij, atq; artis, in tot hominum huiusmodi vitys, tantusq;

versantem, vitare offensionem: vitare fabulam: vitare insidias: esse vnum hominem accommodatum ad tantam morum, ac sermonũ et voluntatum varietatem. quare etiam atq; etiam perge tenere istam viam, quam instituisti: excelle dicendo: hoc & tenentur Romæ homines: & alliciuntur: & ab impediendo, ac lædendo repelluntur. & quoniam in hoc vel maxime vitiosa est ciuitas: quod largitione interposita virtutis, ac dignitatis obliuisci solet: in hoc fac vt te bene noris: vt intelligas eum esse te: qui iudicy ac periculi metum maximum competitoribus afferre possis. fac itaque, vt se abs te custodiri, atque obseruari sciant. cũ diligentiam tuam, tum authoritatem, vimque dicendi, tum profecto equestris ordinis erga te studium pertimescent. Atq; hæc ita te volo illis proponere: vt videare occasionem non meditari: sed vt hoc terrore facilius hoc ipsum quod agis consequare. Et plane sic contende omnibus neruis, ac facultatibus: vt adipiscamur quod petimus. Video esse nulla comitia tam inquinata largitione: quibus non gratis aliqua centuriæ renuncient, suos maxime necessarios. Quare si aduigilamus pro rei dignitate: & si nostros ad summum studium beneuolos excitamus: & si hominibus studiosis gratiosisq; nostri, suum cuique munus describimus: & si competitoribus iudicia proponimus: si ex equestribus metum inycimus: diuisores ratione aliqua cohercemus: perfici potest, vt largitio nulla fiat: aut nihil valeat. Hæc sunt quæ putaui, non melius scire me quàm te: sed facilius his tuis occupationibus colligere vnum in locum posse: & ad te perscripta mittere. quæ tamen ita

scripta

scripta sunt: vt non ad omnes, qui honores petant, sed ad te proprie, & ad hanc tuam petitionem valeant. Tamen tu, si quid mutandum esse videbitur: aut omnino tollendum: aut si quid erit præteritum: velim hoc mihi dicas. Volo enim hoc commentariolum petitionis habere omni ratione perfectum.

FINIS.

ΑΠΟΣΗΜΕΙΩΣΕΙΣ
IN SECVNDVM VOLVMEN
librorum Philosophicorum Ciceronis.

Abderites eiȝcitur Athenis, quia si essent dȝ aut ne, non asseuerarat 14.

Academici à rebus incertis assensionem cohibuerunt 2.

Academici errantem, nō stabilem vt Stoici de Deo habent sententiam 26.

Academiæ proprium verisimillima probare 139.

Actius Nauius Lituus 27.

Actiones Dei quales secundum Epicurum 12.

Actius Nauius Tarquinȝ vnde augur factus 87.

Accȝ argutia 157. Aër 44.

Aer qualis 46. æther 44.

æther qualis 46.

æthereorum ignium eruptio 45.

æternum est quod semper mouetur 254.

Aegyptȝ diuinatores 80.

Aesculapȝ quot 70.

Aegisti libido 78.

ἀπροσῳχὶς 131.

Alcamenes Vulcanum fecit claudum 17.

Albanus quod creuerit, quid significabat 100.

Albanæ aquæ quare facta deductio est 101.

Amicitiæ quomodo adiungendæ sunt in petitione consulatus. 208.

Amphiaraus. 98.

Amphilochus augur. 98.

Animus

Animus sensum effugit oculorum. 204.
Animam quare & vnde Deus creauit. 198.
Animus sempiternus, fragile corpus mouet. 154.
animus hominis vnde constet. 252.
animus hominis solus æternus, cætera terrena caduca. 253.
animantium genera quatuor. 201.
animorum corruptio vnde. 165.
animantium corporum descriptio. 53.
animantium vita tribus rebus tenetur. 53.
anaxagoræ sententia de deo. 7.
Anitius Manilius consul. 151.
animalia cætera abiecta ad pastum, solus homo erectus. 161.
Andromacha Ennij. 85.
Androchini ortus. 100.
annales Ennij. 44.
Annibalis somnium de columna aurea. 90.
Annibalis somnium de inuadenda Italia. 90.
Antisthenes de Deo. 8.
anaxandri opinio de dijs. 7.
anaximenis sententia de Deo. ibidem.
antiochi sententia de peripateticis & Stoicis. 5.
ἀναλογία. 197.
apollo. 39. apollo sudat. 100.
ad apollinem referendum censebat de rebus incertis & obscuris. 105.
apollines quot. 71.
apulia terræ motibus conquassata. 100.
apis bos, deus ægyptius. 17.
aquam quare deus posuit inter ignē & terram. 197.

aquatilium descriptio. 50.
arabes, phryges & Cilices, ex cantu auium diuinant. 99.
argumenta quibus probatur omne corpus mortale esse. 65.
argumenta varia de prouidentia Dei. 73.
argumenta quibus probatur naturæ omnia subiecta, ab eaq; omnia regi. 42.
ἁρμονία 199.
argumenta quibus demõstratur quod deus sit. 28.
aruspex quod non videret, cum aruspicem videret Cato admirabatur. 119.
aruspicina vnde. 118.
arati carmina de motibus astrorum. 46.
arcadum iter facientium somnia. 92.
aristoteles de somnijs. 91.
aristoteles & Theophrastus cum philosophia, dicendi etiam præcepta coniunxerunt. 109.
ariston de deo. 9.
aristoteles de deo. 8.
astra generata sunt. 201.
astra sensum & intelligentiam habent. 34.
astrologorum præcepta. ibidem.
astra in deorum numero ducenda. 34.
athenis tenue cœlum. 141.
atomorum regno abutuntur Epicurei. 14.
atratus fluuius sanguine fluxit 100.
auspicia multa non euenisse, aliqua, contra. 109.
auium significationibus qui maxime obtemperant. 99.
auguria externa. 124.

auspi-

auſpicia externa. 100.
augurium, fore Romanos dominos. 89.
authoritati ratio adhibenda. 4.
ἀξιώματα. 140.
Aſſyrij motuum ſtellarum ſignificationem memoriæ prodiderunt. 80.
Beatitas, ſiue beatitudo. 20.
Bonum magnum nihil habendum, niſi quod ſua ſponte laudari poſsit. 163.
Bonum omne natura, non opinionibus confirmatum. 165.
Boni vbicunque ſint, a bonis diliguntur. 25.
Boœthus Stoicus. 83. Brennus. 97.
Catilinæ facinora deſcribuntur. 206.
Catilina Q. Caucilium ſororis ſuæ virum ſua manu occidit. 206.
Callidus quis. 64.
in Caria excellit Aruſpicum diſciplina. 99.
Carthaginem ſe euerſuram Scipioni in ſomnio aperitur. 251.
Capræ feræ, in Creta. 51.
Cauſa efficiens quæ ſit rerum. 147.
Calchas augur optimus, & dux. 98.
Calani Indi præſagium. 90.
Caſtor & Pollux in acie dimicant. 27.
Capediunculæ. 68.
Cæſaris turpis mors. 113.
Cæſaris immolatio portendebat illi mortem. 105.
Cæciliæ Metellæ omen. 101.
Celij ſomnium. 92.
Centaurus in Capitolio ictus. 100.

Ceres,

Ceres 39. Ceruæ 51..
Calchas ex passerum numero belli Troiani annos auguratus est 95..
Chaldæi scientiam diuturna obseruatione syderum ex diuinatione effecerunt 80.
Chaldæi in Syria cognitione astrorum antecellunt 99.
Chaldæi astrologi refutantur 126..
Chrysippus de dijs 9..
Chrysippi distinctio causarum 148..
Chrysippi libri de diuinatione 81.
Chrysippi laquei 141..
Chrysippus omnia in perfectis & maturis docet esse meliora 33..
Ciceronis auspicium in Mario 102.
Ciceronis philosophandi studium admirabantur multi 3.
Ciceronis institutores qui 3..
Ciceronis liber inscriptus Hortensius 108..
Ciceronis somnium 93.
Ciceronis sententia vtriusq; disputationis L. Balbi & Cottæ de natura deorum 79..82.
Cicero cur se philosophiæ dederit 109.
Cicero Arpini natus 170.
Q. Ciceronis de fratre suo somnium 92..
Cilices & Pisidæ & alij volatibus auium cantibusque declarari res futuras putant 80..
P. Claudij bello punico primo temeritas 27.
P. Claudius augur 102. Cleanthes de deo 9..
Cleanthes quatuor de causis dixit in animas hominum informatas deorum esse notiones 29..

Cœli descriptio 152.
Cœli & terræ vinculum 197.
in cœlum qui venire vult neq; sermonibus vulgi sedere, neque in præmijs humanis spem ponere debet 154.
Cocles 171.
Colophonius Xenophanes diuinationem sustulit 81.
Comitia habere nefas tonante, fulgurantéq; Ioue 117.
Communio hominum cum dijs, est per leges 160.
Conflatilis res 146. l. 28.
Consilium publicum Lacedæmonij senes appellauerunt 100.
de Consolatione liber Ciceronis 109.
constitutio eorum quæ referenda sunt ad quæstionem de natura deorum 4.
Constitutio secundi libri de natura deorum 26.
de consulatus petitione 205. coniugata 21.
cornua commouere disputationis 113.
corporum quatuor genera 42.
corporum animantium descriptio 53.
corpus omne mortale 65.
è corporum vinculis tanquã è carcere euolare 252.
T. coruncanus pontifex maximus 60.
contumeliæ & impudentiæ fanum Athenis 175.
cõsuetudo mala & impia cõtra deos disputãdi 59.
C. Cotta cum C. Velleio de dijs immortalibus disputat 5.
Cotta pontifex 13.
M. Crassus trans Euphratem perijt 113.

Cratippus

Cratippus peripateticorum princeps 195.
Crocodili 32.
Crocodilus deus Aegyptius 17.
Crotoniates syderibus & animo diuinitatem dedit 7.
Crœsi filius infans locutus 105.
Critolaus euertit Corinthum 78.
Δαίμονας latini lareis 201.
Daphitæ fatum 141.
Deiotarus à Cæsare Tetrarchus regno pecuniaq; mulctatus est 86.
Deiotarus rex omnia auspicato gerebat 85.
Decussare 199. lin. 24.
P. Decij somnium 91.
Delphici dei authoritas 100.
Delphis oraculum 88.
Definitio Diuinationis improbatur 111.
Democritus de dijs 8.
Democritus nutat in sententia de natura deorum 24.
Democriti error de atomis 15.
Democritus non obscurus physicus 135.
Demosthenes dixit pythiam φιλιππίζειν 133.
Demosthenes rho quod non poterat pronunciare exercitatione didicit 128.
Deus quid 154. Deus quid sit 28.
Deus non Deus, sed quasi deus Epicurus ait 15.
Deum esse mundum 32.
Deum esse secundi libri prima pars docet 26.
Deus ἀσώματος ibidem.
Dei tantum est optima quæq; creare 196.

Dei notitiam solus homo habet 160.
Dei probitas causa omnium rerum 196.
Dei forma qualis secundum Epicurum 11.
De natura deorum variæ doctissimorum sententiæ 2.
Deorum progeniem veteres se dicebant 201.
Deo nihil potest obscurum esse 67.
Deorum opinionem quare aliqui fictam esse dixerunt. 24.
Deos fecisse omnia hominum causa quarta pars secundi libri de natura deorum 57.
Deos esse omnibus innatum est 28.
Deorum notiones quatuor de causis in animis hominum informatas dicit Cleanthes esse 29.
Deo maximè propria bonitas & beneficentia 25.
Deos esse multi negant 14.
Deorum vnde nomina 37.
Deos non esse ociosos contra Epicureos 21.
Deos esse nemo negat, quales sint varium est. ibid.
Dextrum & sinistrum quid 125.
Diagoras atheos 78.
Dianæ quot 71.
Dicæarchus peripateticus. 81.
Dicæarchi liber 130. Dij penates 39.
Dij an habendi sunt qui coluntur vulgo 67.
Diogenes Stoicus de diuinatione 127.
Diogenes Babylonius de dijs 10.
Diogenes Apollinates de dijs 8.
Dionysij tyranni matris somnium 88.
Dionysius tyrannus 76.
de Dionysio diuinatio 95.

Dionysij quot 71.
Diodori contentio περὶ δυνατῶν 143..
Diræ 86..
Disputatio de restabili qualis debet esse 196.
Dissimilitudo rerum 127..
Diuitiacus Heduus 99.
Diuinatio vnde dicta 80.
Diuinationis duo genera 82..
Diuinatio quæ secundum artem, & quæ secundum naturam 82..87..
Diuinatio est earum rerum quæ fortuitæ putantur, prædictio atq; præsensio 82.
Diuinatio Græce μαντικὴ appellatur 80.
Diuinationis authoritas 80.
Diuinatio naturalis 103.
Diuinationis tempus 103.
Diuinatio vnde in scientiam abijt 80.
Diuinationis definitio improbatur 111.
Diuinatio omnis vnde ducta refellitur 114.
Diuinatio an ars putanda 85.
Diuinatio improbatur 111..
Diuinatio coniectura nititur 85..
Diuinationem quam veteres obseruauerunt 80..
Diuinatio quibus argumentis negatur esse 110..
Diuina prouidentia quid valeat in diuinatione 104.
Diuinatio quæ arte constat 95.
Diuinationes aliquæ ex locis ipsis ductæ 99.
diuisio Diuinationis 82..
Diuinum quiddam est quod dæmonium appellatur. Socratis dictum 105..

diuisio secundi libri de natura deorum 26.
dodona 100.
druydes in Gallia 99.
duo genera syderum 153..
ductus aquarum Nili & Euripi vocati 169.
εἱμαρμένην latini fatum vocant 105..
Elephanto beluarum nulla prudentior 20..
Elis 99..
Eleusina sancta & angusta 24..
Emissitiæ 188.l.19.
Empedoclis sententia de deo 7..
Epicurus deos ociosos quare vult esse 11.
Epicurus re tollit, oratione reliquit deos 25..
Epicurei abutuntur atomorum regno 14.
Epicuri libri de sanctitate, de pietate aduersus deos quales 24.
Epicurea refutatio ironica sententiarum Platonis & Stoicorum 5..
Epicureorum fiducia & temeritas 5..
Epicuri sententia de dei forma 11.
Epicurus omnem metum deorum auffert 12..
Epicuri sententia de deo 10..
Errantes quanquam stellæ falso sic dicuntur 36.
Ethrusci cœlum in XVI partes diuiserunt 117.
Ethrusci diuinatores 99..
Ethruria de cœlo tacto scientissima animaduertit 99.
Eudemi Cyprij somnium 91..
Euhemerus 24..
Euphrates Mesopotamiam fertilem efficit 52..
Euphorion obscurus poëta 135..

Excitare fluctus in simpulo 191.
Exempla varia, quod bonis malè eueniat 76.
Exordium de legibus 158.
Exordium difficilimum in omni cõquisitione rationis 169.
Exorditur primum librum de natura deorum à Velleio, qui partes Epicuri defendit 5.
Exorditur primum librum de diuinatione 82.
Exordium somnij Scipionis 151.
Fabularum poëticarum de dijs explicatio 38.
Falsa & vera si sint omnia 143.
Fana vitiorum reprobat Cicero 175.
Fatum quid 106.
Fato Stoici omnia fieri dicunt 147.
de Fato 140.
Fato an omnia, aliquid, aut nihil fiat 141.
Fauni voces 101.
Faunorum voces 27.
Febris fanum 71.
Felis deus Aegyptius 17.
Fibrenus flumen 170.
Fidenter 5.
C. Flaminius cecidit religione neglecta 27.
C. Flaminius quia neglexit signa rerum futurarum concidit 98.
Fortuna à Deo petenda, à seipso sumenda est sapientia. 77.
Fulgura quid in diuinatione 117.
Fulmen quid Stoicis 117.
A. Gellius philosophos concordes reddere voluit 166.

Gloria humana exigua 154.
T. Gracchus P. filius duobus anguibus compre-
hensis augures conuocat 88.
Gracchi auguris error 87.
Græci nihil sine diuinatione fecerunt 80.
Gruum trianguli forma 51.
Hamilcaris Carthaginensis somnium de Syracu-
sis 91.
Hanno 100.
Hasdrubal Carthaginem euertit 78..
Helicis inflexio 200..
Heraclitus obscurus physicus 135..
Heraclitus dicit occultè 16.
Hercules multi 67..
Herodotus innumerabiles habet fabulas insperſas
historiæ 156..
Hiero tyrannus 13.. Historiæ leges 157.
Historiarum patres 156..
Homerus non obscurus poëta 135..
Homo qualis 160.
Homeri versus de Calchante 121..
Hominis descriptio 54.
Homo ad iustitiam natus 161..
Homo solus notitiam Dei habet 16..
Hominum interitu scientiæ non occidunt 4.
Homini homine nihil pulchrius videtur 16..
Homines creati vt tuerentur terram 252.
Homines fronte & oratione magis, quàm ipso be-
neficio reg; capiuntur 212.
Hominum causa omnia facta sunt. 57.
Hominis effecta. 56..

Humanis rebus deum consulere, quarta pars secundi libri de natura deorum. 57.
Hostilius rex Actij Nauij auguris bella gerit. 27.
Ianus. 39.
Ibis deus Aegyptius. 17.
Icadius prædo. 140.
Ignis non sempiternus & propterea non deus. 67.
ἡγεμονικὸν principatus. 31.
ἦθος quid 140.
Imber lactis, sanguinis, lapidis, terræ. 100.
Inanimatum quod impulsu externo mouetur. 255.
Indiuidua in deo Epicuri. 11.
Indus omnium fluminũ maximus quid faciat. 52.
Iniucunditas. 54.
Iniustus quis. 164.
Instauratiui. 92.
Intelligentia cõmunis res nobis notas efficit. 165.
Intelligentia nihil præstantius. 196.
Interrex. 164.
Ioue tonante, fulgante comitia populi habere nefas. 117.
Ioues tres. 70.
Iouis cuiusq; filij & filiæ. 70.
Ironia Epicuri opinionum aliquot Stoicorum 6.
ἰσονομία Epicuri. 12.23.
Iunius collega P. Claudij. 27.
Iuno quare sic dicta. 39.
Iunonis varijs nationibus varia species. 17.
Iunonis sospitæ templum, somnio refectum est. 81.
Iuppiter vnde 38.
Ius natura constitutum. 158.

de Iure ciuili. 158.
Iuris fundamentum. 164.
Iuris ignoratio litigiosa potius quàm scientia. 159.
Iustitia legalis quæ. 164.
Iustitiæ mercedem quærere, iniustissimum ipsum est. 166.
νόσμος. 201.
πρόνος καὶ χρόνος quis. 38.
πυρίνας λόξας quid appellent Epicurei. 18.
πύνλος ex planis circulus aut orbis. 35.
Lacedæmonij regibus suis & senibus augurem assessorem dederunt. 100.
C. Lælius Augur. 60.
Lacedæmonij moniti ab Anaximandro physico 103.
Lapidum conflictu atq; tritu elicitur ignis. 51.
Lares Græci dicunt δαίμονας. 201.
Legis etymologia. 159.
de Legibus exorditur. 158.
Lex quid sit. 159.
Lex mutus magistratus. 184.
Lex cœlestis est. 171. Lex imperium 184.
Lex summa diuina mens. 171.
Lex iniqua, non est lex. 171.
Lex commendatrix virtutum, emendatrix vitiorum. 167.
Lex Maria. 191. Lex Cassia. 191.
Lex Tabellaria. 191. Lex Gabinia. 191.
Leges ciuiles. 135.
Legem rationem recte imperandi atq; prohibendi qui ignorat iniustus est. 164.

Leges

Leges omnes non iustas esse. 164.
Leges aliæ historiæ, aliæ poematum. 156..
Legem bonam à mala nisi natura diuidere possumus. 165.
Leges Religionum. 173.
Legum fons. 159.
Legum sacrarum interpretatio Ciceronis. 174..
Legum disciplina ex intima philosophia hauriēda. ibidem.
Legum de magistratu expositio. 186..
Leuctricæ calamitas præsignatur. 96.
λήμματα. 111.
Libri omnes Ciceronis. 108.
Lingua plectri similis. 86..
Lires. 170..
Lituus quid fecerit. 87.
Lituus vnde. 86.
Locorum qualitatum differentiæ. 141.
Loligenis aut Delphici exultantes tempestatē significant. 138..
Lucifer vbi. 200.
Q. Lucilius Balbus Stoicus. 5.
Lucina. 39.. Ludi votiui. 91..
Lunæ ambitus proximus terræ. 200.
Lunæ cursus. 46..
Lyceum. 81..
Lycurgi leges confirmatæ Apollinis delphici authoritate. 110.
Magistri Epicuri. 15..
de Magistratu legum expositio. 186..
Magistratuum petitio diuisa in duas res 207.

Magi-

Magistratuum descriptio legalis. 185.
Magistratus vis. 184..
Magistratus loquens lex. 184..
Magorum atq; Aegyptiorum de dijs persuasio. 10..
Malitia quid. 75. Mantes. 100..
μαντικὴ diuinatio Latinè. 80.
Mare quale. 46.
Masanissam regem conuenit Scipio. 151.
Marsicum bellum. 100..
Martius & publicius vates. 104.
Masanissæ gaudium de Scipione. 151.
Mauors. 39..
Mercurij quot. 7..
Mercurij stella. 200.
μεσότητας. 199.
Mens diuina summa lex 171..
Mens cuiusq; is est quisq;. 254..
Milesij Thalis prouidentia de oleo. 105.
Miluo bellum naturale cum coruo. 51.
Mineruæ quot. 71. Minerua. 39..
Midæ phrygi prædicitur, ditissimum se fore. 98..
Mirtilli mors. 78.
Mopsus augur. 98..
Mortui viuunt. 252.
Motus. 201.
Motus secundum Platonem. 3.
Mulier leonem peperit. 105..
Multæ res in philosophia, nequaquam satis adhuc explicatæ. 2.
Mundus vnus. 197.
Mundus qualis sit. 32.

Mundi partes diꝝ. 35.
Mundum esse deum. 32.
Mundus quod genuit etiam deus est appellatus. 38.
Mundus simulachrum æternum alicuius æterni. 196.
Mundum rationalem esse refutatur. 63.
Mundus deorum domus. 61.
Mundus omnibus modis absolutus. 97.
Mundum esse deum refutatur. 64.
Musæ quatuor. 70.
Mundum animantem, intelligentem, & sapientem esse. 32.
Natura quid. 42.
Natura rerum quid. 37.
de Natura deorum perobscura quæstio. 4.
Naturæ hominum dissimiles. 141.
ex Natura viuere summum bonum. 167.
Neptunus vnde vocatus. 39.
Nihil tam valde, quàm nihil sapere vulgare. 125.
Nilus Aegyptum irrigat. 52.
Nomenclatio. 211.
Noscere seipsum. 168.
Occupatio. 156.
Omina. 125.
Omnia subiecta esse naturæ, eaq; ab ea pulcherrimè geri. 42.
Omnibus veris falsa quædam adiuncta. 4.
Opinio omnis ratio est. 74.
Oracula. 88.
de Oratore libri Ciceronis. 109.

epistolæ

ὀρίζοντες quid Græci appellent. 127.
Orithya. 156.
ὄρμους quas Græci vocant. 37.
Orphei carmen cuiusdam cerdonis Pythagorici dicunt esse. 22.
Orpheum poëtam Aristoteles nunquam fuisse dicit. 22.
Ostenta. 118..119.
Ostenta incerta esse. ibidem.
Pantheræ barbariæ. 51.
Paridis libido. 78.
Pasitheæ fanum. 100.
pastoris apud Actium naues admirantis versus. 43..
Patriæ duæ vna naturæ, altera ciuitatis. 170.
Patriæ amor & delectatio. 169..
L. Pauli consulis filiæ prædictum. 101..
φαέθων annis xij̃ cursum conficit. 36.
Permenides quid dicat deum esse. 7..
περὶ δυνατῶν. 140.
Perseus de dijs. 9..
Phalaridis matris somnium. 90.
Philo Epicureus. 23.
Philoctetes. 147..
Philosophiæ nomen & præstantia. 168.
Philosophi pulsi Athenis carere ingrata ciuitate maluerunt quàm in improba manere. 189..
Philosophiæ partes, qui facilius noscantur. ibidem.
Philosophorum somniorum diuinatio. 91.
Philosophiæ fundamentum positum in finibus bonorum & malorum. 108..

Philosophiæ præcepta omnia referuntur ad vitam: 3..
Physica argumenta Cottæ de atomis. 14..
φιλιππίζειν dixit Demosthenes Pythiam. 133.
φώσφορος veneris stella, Latine Lucifer. 36..
Pietas inesse non potest in specie fictæ simulationis. 2.
Pietas vbi tollatur quid sequatur. 2.
M. Piso philosophus. 5.
Platalea 50..
Plato negat deum inquiri debere. 8.
Plato vno die disputauit de legibus. 159.
Plato de legibus. 198..
Platonis sententia de motibus. 32.
Platonis eloquentia prouidetur. 97.
Platonem Cicero admirans sæpe commouebatur. 184.
πλάτων vnde sic vocetur. 39.
Pœna eorum qui se corporis voluptatibus dediderunt. 155.
Pœna iniuriarum. 163.
Poetam magnũ sine furore existere non posse Democritus & Plato aiunt. 97..
Poetæ de dijs. 10.
Cn. Pompeius Aegyptiorum solitudine trucidatus est. 113.
Ponticus Heraclides de deo. 8..
Possidonij liber de Natura deorum. 25..
Possidonij Rhodius. 94.
Possidonius tribus modis censet deorum appulsu homines somniae. 947.

Præcepta Astrologorum. 142.
Præsagire quid. 94.
præsagitio. ibidem.
Priamus duos filios augures habebat. 98.
principatus quid in natura. 31.
principium sempiternum. 155.
Proclus & Euristhenes fratres. 127.
πρόληψις Epicuri quid. 10.
πρόνοια Stoicorum. 5. 77. 40.
prodicus Chius quæ prodessent hominum vitæ deorum in numero habita esse dixit. 24.
propositio secundi libri de diuinatione. 110.
propositio operis de natura deorum per diuisionem, falso & verè sentientium philosophorum. 2.
propositio de legibus. 158.
propositio tertiæ partis secundi libri. 41.
propositio primi voluminis de Diuinatione. 82.
propositio totius voluminis de Diuinatione 80.
propositio confirmationis dogmatum Epicuri de dijs. 11.
propositio de petitione Consulatus. 205.
propositio refutationis argumentotum Epicuri de natura deorum. 13.
prothagoræ incerta sententia de dijs 8.
de prouidentia dei. 73.
prouidentia diuina quàm ornate omnia dispoſuerit. 45.
prouidentiam deorum describit tertia pars secundi libri de Natura deorum. 40.
prouidentia deorum omnia fieri. 41.

Prudentia à prouidendo 168.
Prusias rex contra auspicia 119.
Puella nata biceps 105.
Pullarius 123.
Puteolanum 140.
Pyrois stella Martis XXIIII mensibus, VI diebus minus cursum suum conficit 36.
Pythia Delphis incitabatur ad edendum oracula vi terræ 97.
Pythius Apollo 88.
Pythagorea vox τὰ φίλων κοινὰ, καὶ φιλίαν ἰσότητα 162.
Pythagoræ sententia de deo 7.
Pythagoras celabat alienos 16.
Pythagorici quare à fabis abstinent. 93.
Pythagoreorum disciplina quodammodo extincta est. 195.
Pythagoras putat mundum canere ad harmoniam. 65.
Qualis sit deus. 24.
Quatuor anni tempora vnde 35.
Quarta pars secundi libri de Natura deorum Deos rebus humanis consulere. 57.
Quæstio de natura deorum qualis sit. 2.
Quercus Arpinatium. 156.
Ranæ marinæ. 51.
Ratio recta summi Iouis lex vera. 171.
Ratione nihil diuinius. 160.
Ratione vt recte fit, sic & male. 73.
Rationalis deus & homo 160.
Rationis subiecta 162.

Refutatio tertiæ & quartæ partis secundi libri 72.
Refutat Cotta argumenta Velleij aut Epicuri de natura deorum 12.
Refutatio eius dicti Epicuri quo fingit deum non vt deum, sed quasi deum 15.
Refutatio eorum sententiæ, qui deos omnino nullam habere censerent humanarum rerum procurationem 2.
Religioni deorum parere quàm salutare 27.
Religionum leges 173.
Religiosi vnde dicti 40.
Religionis populi Rom. diuisio 60.
de Republica sex libri Ciceronis 109.
Romulus Proculo Iulio dixit se deum esse 156.
Roscius prædicitur clarus fore 97.
Rosiro 170. lin. 27.
Roscius senex numeros in cantu cecinerat, ipsasq; tardiores fecerat tibias 158.
Rumoribus non rationibus pugnare 62.
Sagire quid 94.
Sanctitas est scientia colendorum deorum 24.
Saturnus vnde dictus 38.
Saturnum ad occidentem maxime colunt 68.
Saturni stella, Phænon triginta annos cursum suum conficit 16.
Sapientia mater omnium bonarum rerum 168.
Sapiens quomodo inuenit causas rerum 204.
Sapientiæ artus & nerui sunt, Non temere credere 211.
Sapientissimus vir Ithacam vt videret, immortalitatem repudiauit 169.

Scæuo-

Scæuola pontifex maximus 100.
Scientiæ non occulunt hominum interitu 4.
P. Scipio pontifex maximus 60.
Scipioni aperitur Carthaginem se euersurum in somno 251.
Scipioni quæ euentura in somnijs ostenditur 251.
Scipionis sex libri de Repub. 160.
Senator 192.
Senatoris tria iussa 192.
Senatus decemuiros quare ad libros ire iussit 100.
Seruio Tullio caput arsit 105.
Sibyllæ 131.
Sibyllam incitabat ad edendum oracula vis naturæ 97.
Silenus diligentissimè res Annibalis descripsit 90.
σίλβων stella Mercurij anno conficit cursum 36.
συμπάθεια 134. συμπάθεια 65.
Simonides doctus, sapiens & suauis poëta 13.
Simonidis deliberatio in quæstione de natura deorum 13.
Simonidis somnium 92.
Simia quàm similis turpissima bestia nobis 20.
Sisenna omnes scriptores superauit 157.
Socrates de deo 8.
Socratis somnium in custodia de morte sua 91.
Socratis diuinationes 105.
Socrates de somnijs inutilibus 195.
Socrates iudicatus stupidus 142.
Socrates execrabatur eum, qui primus vtilitatem à natura seiunxit 102.
Solis cursus 46.

Solingens Oceaniq; pascitur humoribus 33.
Solis circumuectio vbi 200.
Soles multi 70.
Sol, quia solus est 70.
Somnium dicit Possidonius euenire tribus modis 94.
Somnium & vaticinium 129.
in Somno cogitationes sermonesq; nostri pariunt tale quid 151.
Somnij Scipionis exordium ibid.
Sophoclis somnium 91.
Sorites latinè acerualis 110.
Sors 126. Sospita 19.
Spartiatis maximum portentum fit 96.
Speusippus de deo 8.
Species enarrat singulas in hominum vsum conditas 57.
σφαῖρα ex solidis globus 35.
σφαιροειδὲς quid Græci vocent 198.
Steremia quid appellet Epicurus 11.
Strato de deo 30.
Stylpo Megareus ebriosus & mulierosus, naturam suam doctrina edomuit & compressit 142.
Subciua tempora 15.73.
ad Suffragandi studia tribus rebus ducimur 20.
Sunanus, 88. Superstitio 40.
Superstitio à religione semper est separata 40.
Supra lunam sunt omnia æterna 153.
Surdi sunt qui ad Nilum habitant 153.
Syderum descriptio 46.
Sydera in deorum numero reponit 36.

Syllæ augurium per anguem. 95.
Tages. 118.
L. Tarutius Firmianus Chaldaicis literis eruditus. 128.
Tantalidarum internitio. 78.
Tarquinius rex. 87.
S. Tarquinius vim Lucretiæ intulit. 171.
Terra vbi collocata sit & quomodo ornata. 45.
Terræ descriptio. 153.
Terræmotus. 98.
Terrestrium rerum descriptio. 49.
Terripauium, post terripudium, iam tripudium. 123.
Testudines. 52.
Thalis Milesij sententia de aqua & deo. 7.
Thebis crassum cœlum. 141.
Thebani pingues, & valentes. 141.
Thebanorum victoria præsagitur. 96.
Theologi. 70.
Theopompus innumerabiles habet fabulas inspersas historiæ. 156.
Theophrastus de deo. 9.
θεωρήματα Latine præcepta. 142.
Timæi historia de Diana. 40.
Timocrates omnia quæ ad beatã vitam pertinent dicit ventre metiri. 23.
Tribunitia potestas refutatur. 188.
Tres enim trium disciplinarum principes conuenistis. 5.
Troglodytæ. 127.
Triton maritimus quomodo pictus. 16.
Tusculanarum quæstionum libri. 108.

Tyrannicæ leges. 164.
Tyresias. 98.
P. Vacieni vaticinium. 27.
Vaticinium & Somnium. 129.
Venus. 40.
Veneres quot. 71.
Venus Coa qualis. 16.
Veneris Sindiæ Coæq; pulchritudo. 85.
Vera & falsa si sint omnia. 143.
Versutus quis. 64.
Vesta. 39.
Veteres se progeniem deorum dicebant. 201.
Prosapia. 202.
Via in cœlum. 252.
Victoria sudat. 100.
Virtus perfecta & ad summum producta natura est. 161.
Virtutes per se colendæ non præmio metiendæ. 165.
Virtus sola trahit ad decus. 154.
Vita deorum secundum Epicurum. 12.
Vita humana mors. 152.
Vitæ finis, auulsio motus. 155.
Vitium nullum vitandum, nisi iudicio ipso notatum aliqui philosophi falso putant. 166.
Volatilium descriptio. 50.
Voluptas imitatrix bonorum, mater omnium malorum. 165.
Vulcani complures. 70.
Vultum solum homo habet. 161.
Xenophon de deo. 8.

INDEX.

Xenophanes quid ſentiat deum eſſe. 7.
Xenophon Socraticus de ſomnijs ſuis. 91.
Xenocrates de Deo. 8.
Xeno breuius anguſtiusq́; concludebat. 30.
Zalenius legislator negatur fuiſſe. 172.
Zeno de Deo. 9.
Zeno corypheus Epicureorum.
Zopyrus phyſiognomõ Socratem ſtupidum iudicauit. 142.

FINIS.

ARGENTORATI EXCVDEBAT IOSIAS RIHELIVS M.D.LXXIIII.

Inexorabilis. de fato. 144.
Extenuus, quoad. de legib. 158. b.

BIBLIOTEKA KÓRNICKA PAN 2

3200—

7254/43

M. T. CICERONIS

PHILOSOPHI

QUORUM